This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

4430

L eleg m
469.




Digitized by Google

25

p: 146. Atimeti cul. Atimeti meminit Tacitus l. XIII. annal. cap. XIX.
atimeti nomen in de leg lampade l. VII. p. 206 Hist. Helvet. Joannis Stumpfii.

11213

<36603588070013

<36603588070013

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

# THESAURUS EPITAPHIORUM VETERUM AC RECENTIUM SELECTORUM

Ex Antiquis Inſcriptionibus, omnique Scriptorum genere.

Non ſine delectu & ingenioſo ordine ante XX. & quod excurrit annos in Partes tributus duodecim.

*Opera ac ſtudio*
*R. P. PHILIPPI LABBE* Bit. S. I.
*Publicam emiſſus in lucem.*



PARISIIS,
Apud DANIELEM HORTHEMELS, via Citharæa, ſub Mæcenate.

M. DC. LXXXVI.

*CUM PRIVILEGIO REGIS.*

Digitized by Google




Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

EMINENTISSIMO

PRINCIPI

# FRANCISCO

CARDINALI

# BARBERINO,

S.R.E. VICECANCELLARIO,

EPISCOPO PORTVENSI.

*VRBANI FRANCISCE heres, Spes altera* ROMÆ,
*Doctarum ſacro nectare paſtus* APVM:
*Dum ſtudijs ter Sancta tuis* ECCLESIA *creſcit;*
*Purpureoſque anteis Relligione* PATRES;
*Sollicitis dum crebra offers ſolatia* MVSIS,
*Ingens Aonij gloria & ipſe chori;*
*Cogis & innumeros, nec ſit licet ampla patenſque,*

BARBERINA *capit Bibliotheca, librōs;*
*Nec nullus noſtris, Veterũ dum ſcripta miniſtras,*
CONCILIIS *per te conciliatur honos;*
*Accipe de varijs ſelecta* EPIGRAMMATA *libris,*
*Et* TVMVLOS *bis ſex Partibus explicitos.*
*Hi Patrem ſibi, Fautorem, Dominumque, Patronúmque,*
*In* TE VNO *haud ficta ſedulitate petunt;*
*Vt qui* DANT *doctis viuacia* SECLA CAMOENIS,
*Et magnis* VITAM REGIBVS, A TE *habeant.*

*Lutetiæ Pariſiorum Kalendis Sextilibus anni M. DC. LXV.*

Scribebat addictiſſimus & obſequentiſſimus

PHILIPPVS LABBE S.I.P.

Digitized by Google

## AD BENEVOLVM LECTOREM.

# PRÆFATIO.

THESAVRVM huncce emortualem, à viginti, & quod excurrit, annis, omnibus ſuis partibus abſolutum & maximam jam partem typis expreſſum quod ſeriùs modò, Lector humaniſſime, excipias, fecit ſupina Typothetarum negligentia qui quamplurima ſibi à nobis commiſſa ad excudendum Epitaphia amiſerunt; & in hunc diem exoptatum omnibus, certè quorumdam expoſtulationibus ac penè conuicijs tandem extortum opuſculum diſtulerunt. Ex Antiquis Inſcriptionibus, omnique Scriptorum cum Græcorum tum Latinorum genere collegi, cum per juuenilem ætatem calerent ſtudia, atque inſtar ſedulę apis noua veteráque ingenioſorum hominum monumenta libarem: ac ne tibi ſua mole velut incondita quædam farrago diſpliceret, (quod in vulgatis collectionibus meritò arguitur) operam dedi, vt ex innumerabili, quæ paſſim extat, ſepulcralium carminum multitudine non niſi ſelecta tibi apponerem (Paginam 126. conſule) & [illegible] ordine in XII. partes diſtributa: Quæ ſingulis contineantur, docebunt te, ſi vacat, ſequentes [illegible] Tu verò tot eruditus ad bene & beate vi- [illegible] moriendumque præceptis atque exemplis [illegible] promiſcuæ breuiſque hominum æui

*[illegible] Chriſtiane cogita:*
*[illegible] iuuare proximos:*
*[illegible] : proterere hereſes:*
*[illegible] hac meta ſtudiorum omnium.*

# PRIMA PARTE.

ANtiqua ſeria, ingenioſa, venuſta, quæ abs probatæ elegantiæ Poëtis, puræque ac ſinceræ Latinitatis ſcriptoribus, chartis, ſaxis, marmoribuſque commendata ſunt ad poſteritatis memoriam. *Numero ſunt minimum* 270. *à pag. prima ad* 78.

## SECVNDA PARTE.

Chriſtiana pia, ſeria, ingenioſa, quæ à primis naſcentis Eccleſiæ temporibus conſcripta ſunt ab Autoribus Chriſtianæ religionis cultoribus ante ducentos circiter annos, Leoninis interim Rhythmiciſque, necnon Iocoſis, &c. peculiarem in locum ſepoſitis. *Numero ſunt* 104. *à pag.* 79. *ad* 126.

## TERTIA PARTE.

Acroſtichica, Meſoſticha & Teleoſticha cum Chronologicis, in quibus ex Numeralibus Literarum vulgarium Notis tanquam certis characteribus Annus Mortis deſignatur adjunctis nonnumquam Menſe Die atque Hora. *Sunt autem pluribus, vt id obiter moneam, dedita opera ob inſulſitatem prætermiſſis, omnino* 33. *à pag.* 127. *ad* 139.

## QVARTA PARTE.

Dialogica, Viatore alijſve cum Vmbra ſeu defuncto aut ipſomet nonnumquam Poëta per breuem Dialogiſmum colloquentibus. *Ex pluribus quæ in volutandis veterum recentiorumque monumentis occurrerunt ſelegi dumtaxat* 28. *à pag.* 140. *ad* 155.

Digitized by Google

## QVINTA PARTE.

Leoninis Rhythmiciſque verſibus, ijſque nonnumquam invicem permixtis contexta, breuiuſculis quibuſdam atque jocoſis ad innocentes ingenioſorum hominum delicias ac riſum dedolatis in ſuas poſtmodum Claſſes referendis. *Ex innumerabili porro Rhythmorum hujuſcemodi ab aliquot ſeculis apud Chriſtianos in Italia, Gallia, Belgio, Germania, aliſque Prouincijs omnibus fere Eccleſiarum Polyandriorumque parietibus affixorum multitudine ſecreuimus 60. minimum, aut 70. additis ad finem Hildeberti ex Cenomanenſi Epiſcopo Turonenſis Archiepiſcopi Hymno de Sancta Trinitate & Oratione ad Dominum à pag.* 156. *ad* 184.

## SEXTA PARTE.

Diſticha, Triſticha, Monoſticha, ſimiliaque argute ac facili breuitate conſtricta, præter ea quæ peculiarem ſibi locum reliquis in Partibus jam vindicarunt. *Numerantur omnino* 157 *à pag.* 185. *ad* 210.

## SEPTIMA PARTE.

Recentiora, ſeria, pia, ingenioſa, venuſta, ſed paullo præcedentibus longiora à ducentis præterpropter annis edita, & ex varijs hinc inde Auctoribus magno ſtudio collecta ſelectaque, quorum pleraque elegantiam veterum puramque Latinitatem apprime redolent. *Sunt minimum numero* 410. *à pag.* 211. *ad* 342. *quibus & nonnulla ſubjunguntur in eorum locum quæ ſupina male feriatorum Ty- [illegible] negligentia perierunt.*

## OCTAVA PARTE.

[illegible] aliquot Epitaphia ſelecta ex quampluri- [illegible] tum alibi, tum maxime in Anthologiæ [illegible] Græcorum à Maximo Planude vt fe- [illegible] in titulos Alphabetico ordine digeſtæ



Digitized by Google

libro tertio reperiuntur, ab eruditiſſimis viris Latinè nec ineleganter reddita: nonnullis quoque additis quæ recentiores aliqui Poëtæ non contemnendi Græco idiomate ad Antiquiorum imitationem conſcripſerunt. *Non ſunt plura 45 eaque Latinè dumtaxat ne nimiam in molem opus excreſceret à pag. 343. ad 360.*

NONA PARTE.

Ingenioſa ſed Iocoſa, ſalſa, ridicula, ænigmatica, in quibus plurima Leoninis Rhythmiciſque verſiculis ad captandum riſum concinnata, quædam monoſticha, diſtichave, ac numeris etiam omnibus ſoluta oratione conſcripta. Occurrent in ijs & quædam ſeria, ſed quæ, vel ob ſimplicitatem, vel ob crebras ad idem vocabulum alluſiones, aut exquiſitas nimis operoſaſque argutias, politioribus riſum mouere ſoleant *Ex infinitis adſcripſimus pauca, licet ſint plura* 238. *à pag.* 361. *ad* 444.

DECIMA PARTE.

Romæ Veteris, Trojæ, Græciæ, Anni, Victoriæ nauis, plerorumque Animalium, præcipuè Canum, Catellorumve, ac ſimilium ab hominibus præcipuo quodam amoris ſenſu dilectorum Epitaphia exhibentur, vt plurimum ingenioſiſſima, à varijs Poëtis veteris recentiſque æui magno ſtudio conſcripta, vt eorum apud poſteros extaret memoria. *A pag* 445. *ad* 483. leges pluſquam 80.

VNDECIMA PARTE.

Soluta oratione ſcripta, cum Antiqua, tum præſertim recentiora complectitur: verum ex innumerabilibus, (quæ nullo non loco occurrrunt ſiue in Templis, Cœmeterijs, Polyandrijſque ad omnium aſpectum expoſita, ſiue in libris cæteriſque eruditiorum Muſarum promptuarijs ac moni-

Digitized by Google

mentis recondita) admodum pauca; eaque, quod mihi maxime operoſum fuit, non ſine faſtidioſo quodam delectu ac diligentiori examine in medium producta. *Conſule pag. 484. & ſequentes uſque ad 559 Neque enim tantum quindecim ſupra centum, ſed plures illorum centurias largiſſima poteram manu tibi profundere, niſi me abhoc conſilio plurima deterruiſſent.* Adeat, qui volet, BARONIVM, SPONDANVM, BZOVIVM, RAYNALDVM, CIACCONIVM, VGHELLVM, ROBERTVM cum SAMMARTHANIS, vtrumque DVCHESNIVM, AVBERIVM, ATTICHIVM, FRIZONVM, RVPIPOZEVM, SVVERTIVM, BOZIVM, GRVTERVM, GVALTERVM, ſimileſque.

## DVODECIMA TANDEM ATQVE OMNIVM POSTREMA PARTE.

Regum Reginarum plurimorumque Regiæ Francorum familiæ Principum Virorum Fœminarumque præcipua quæque Epitaphia exhibentur, non ſeruato ſæculorum, ætatiſve, ſed elementorum dumtaxat, qui pleriſque arridere ſolet, alphabetico ordine. *Numero 113. à pag. 560 ad 626.*

## SVBIICIVNTVR INDICES DVO.

*Primus locupletiſſimus eorum omnium quibus celebrandis notandiſve ſcripta ſunt Epitaphia quæ huiuſce Theſauri Partibus duodecim comprehenduntur.*

*[illegible] idem copioſiſſimus Poëtarum, Græcorum ac [illegible], aliorumque ſcriptorum Veteris Mediæ [illegible] ætatis, ex quibus hic Epitaphiorum [illegible] multorum annorum ſpatio collectus fuit.* [illegible] quoque ni mea me fallit opinio, [illegible] hoc eſt Gallica, Italica, Hiſpanica,

Anglica, Belgica, Germanica, aliarumque gentium familiari Natiuoque ſermone expreſſa à nobis expoſtulent Verum cum tanta ſit vel Latinorum copia, vt pluribus voluminibus vix contineri poſſint, qui fieri potuiſſet vt intra vnius opuſculi arctiſſimos limites compingerentur tam multa, tam varia, tam à ſe invicem atque à Latinis Græciſque diſiuncta. Erit fortaſſe tempus, cùm Gallica in ſuas claſſes aptiſſimè diſtributa publicam emittamus in lucem: ijs interim vtere fruere, Lector humaniſſime, & pro nobis Deum Opt. Max. Deiparamque Virginem deprecare, vt cætera quæ jampridem preminus, publici juris faciamus.

# CHRISTIANIS ADOLESCENTIBVS IN FATALI PYTHAGORÆ BIVIO HÆRENTIBVS.

## De Breuitate Vitæ, Temporis fluxu, Mortiſque incerto caſu, Nonnulla Variorum in anteceſſum Carmina.

### I.

*Thomæ Mori Angliæ Cancellarij.*

NVgamur, Mortemque procul, procul eſſe putamus,

Digitized by Google

At medijs latet hæc abdita viſceribus:.
Scilicet ex illâ quâ primùm naſcimur horâ,
Prorepunt juncto Vitáque, Mórſque pede.
Partem aliquam furtim quâ ſe metitur, & ipſam
Surripit ex Vitâ quælibet Hora tuâ.
Paulatim morimur, momento extinguimur vno,
Vt lampas oleo deficiente perit.
Vt nihil interimat, tamen ipſo in tempore Mors eſt;
Quin nunc interea dum LOQVIMVR, MORIMVR.

I I.

VIta vitrum eſt, glacies, ſomnus, flos, fabula, fœnum,
Vmbra, cinis, punctum, vox, ſonus, aura, NIHIL.

I I I

VIVE memor LETHI, dum res eſt læta: repentè
Nam MORS nocturni furis adinſtar adeſt.
Cuique MORI certum, nihil eſt incertius Horâ,
Viuit eâ ſapiens quâ cupit arte MORI.
Nec tibi promittas, Decus ô Iuuenile, ſenectam,
*Sæpè* ſuum candens FLOS cadit ante diem.

I V.

SI nihil eſt ſomnus, vitæ pars altera noſtræ,
Quàm rigidæ mortis lætior effigies;
Horrendúmque Dei ſi cunctos ante Tribunal
Siſtere judicio lex violenta jubet;
Autem vellentis toties obliuio mentes
Cur tener, vt mortis non meminiſſe queant?
Cur male congeſtis opibus ſuperaddere ſemper
Flagitio tentant deteriore, nouas;
[illegible] cùm vitæ propè ſit, cur finis habendi
[illegible] vita velut ſit data mancipio.
[illegible] vel lateant Diuinam crimina mentem:
[illegible] non lateant; rideat illa tamen?

Digitized by Google

O miſer hoc quiſquis credit; miſer ô quoque quiſquis
Hoc minimè credens non minùs illa facit.

V.

*In pago Brabantiæ refer. Swertio.*

OMnia mors ſoluit, ſunt omnia terrea mortis,
Mortalis viuo viuere diſce Deo.
Omnia debentur morti, mortémque ſequuntur,
Mortalis verum diſce timere Deum.
Omnia, Mors, tua ſunt, morientur & omnia morte,
Diſcite Mortales viuere, itémque mori.
Dum tibi, dúmque alijs patet alti janua Cæli,
Non cras (nam ſerum eſt diſcere) diſce hodie.

VI

*Apud Auguſtinianos Louanienſes.*

LEctor habe memori ſub pectore flebile Mortis
Tempus, & in ipſo tempore diſce Mori.
Triſte Mori, res dura Mori, niſi præuia Virtus
In cælos facilem ſtrauerit ante viam.
Ergo reformidas Mortem? Virtutibus inſta.
Et vis æternùm viuere? Diſce Mori.
Diſces viuendo rectè, nec differ in horas,
Cum via, vita breuis, ſítque Viator homo.
Iam quoque pro vitâ functis orare memento,
Fatáque ſic recolens triſtia, Diſce Mori.

VII.

*Eodem recidit quod Tolentini extare volunt.*

VT viuis, vixi; verùm morieris: & omnes,
Qui ſum, vos eritis; puluis, & vmbra, ſolum.
Qui ſapit, & qui non: qui ſeruit & imperat, æquâ
Et miſer & felix conditione cadunt.

## VIII.

*VVitebergæ in quodam ſepulcro.*

O Vitam inuitam, ô ſpem exſpem, ſortémque gemendam.
O fata triſtia! commoda atque incommoda!
Vita fugax hominum eſt, volucríque ſimillima ſomno,
Et omnibus breue eſt & irreparabile
Tempus! purpureum florem mors atra juventæ
Carpit, ſenectam demetítque marcidam.

## IX.

*Lucæ Gaurici.*

PVluis & vmbra ſumus; puluis nihil eſt niſi fumus,
Sed nihil eſt fumus; nos nihil ergo ſumus.
Hora fugit, celeri properat Mors improba paſſu,
Et tegitur terra quidquid acerba rapit.

## X.

*Auctore Pomponio Gaurico.*

HEu ſortem miſerandam hominum, vitámque pigendam!
Quàm miſerâ nati conditione ſumus!
Non ita Maurus eques, ita non leuis aura Fauoni,
Non ita per noctem ſomnia viſa breuem;
Quàm citò formoſæ præteruolat aura juuentæ,
Quàm citò jucundi temporis hora fugit.
Hora fugit; curæ accedunt; morbíque ſequuntur;
Occupat & tremulum curua ſenecta caput.
Stulti mortales lugemus morte peremptos!
Lugendum, ætatis cùm perit ipſe decor.

Digitized by Google

XI.

*Lunaburg. circa tumulum Henrici Huſani.*

NIl fragile à fracto diſtat: quod tu eſſe ſolebas,
Ipſe fui, fies tu quoque ſum quod ego.
Chriſto vno duce carpe viam; ſic itur ad aſtra;
Aurea puluereis præſtant, æterna caducis.
Cælum politeuma piorum eſt.
Nulli ſine Marte triumphi.
Vita creſcendo decreſcit.
Mors lilia ſentibus æquat.

XII.

*Lipſiæ in ædibus Auerbachijs.*

QVæ neque pauperibus, neque mole potentibus auri,
Nec pueris noui parcere, nec ſenibus:
Mors vocor, impoſitum numquid malè dixeris nomen?
Quod fugere à morſu res nequit orta meo.

*Ibidem.*

Mors certa eſt, incerta dies, hora agnita nulli;
Extremam quare quamlibet eſſe puta.

XIII

*Æneas Syluius Epitaphium Ludouici Romani I.C. hoc Tetraſticho clauſit.*

HEu vanas hominũ mentes! heu pectora cæca!
Cuique dies certum eſt fata dediſſe ſuos.
Et nos cum Superi ſtatuent, veniemus ad illos:
Nemo parum vixit, cui bona vita fuit.

XIV.

*Fulginia in D. Feliciani.*

AD mortem properas; vel ſi hic paulum ipſe moraris,
Siſte gradum: cœptum tutius vt ſit iter.

Digitized by Google

Tutum iter ad mortem eſt tu ſi tibi viuere temnas,
Vt viuas: vitæ hæc cura ſit vna tuæ.

X V.

*Patauij extra templum D. Antonij.*

PRæter amare Deum cum cætera deleat ÆTAS:
Hic ſere, quod plena poſtmodo falce metas.

X V I.

*Lucilij junioris.*

MOrs non vna rapit: ſed quæ rapit vltima, mors eſt.

X V I I.

OMnia tranſibunt: Nos ibimus, ibitis, ibunt,
Ignari, gnari conditione pari.

X V I I I.

*Clauſit his verſibus ſua Monum. Brabantina Franciſcus Sueertius.*

VIta Viatoris quaſi tranſitus: Omnia finem,
Quidquid hic immundus, Mundus honorat, habent.
Tranſit honor, tranſit fortuna, pecunia tranſit,
Mente Deo ſimilis corpore tranſit Homo.
Tranſiuere patres, ſimul hinc tranſibimus omnes,
In cælo Patriam, qui bene tranſit, habet.

X I X

*Ego vero propoſitum jam alias Epigrammation diſticho auctius tibi offero & finio.*

DOcti atque indocti fato rapiuntur eodem;
Vna omnes magni Iudicis Vrna mouet.
Quid proſunt Muſæ? quid carmina, Phœbus & artes?
Nil Sophia, aut leges, aut Medicina juuant.
Vita perit, fugiunt anni, Mors certa propinquat.
Inter tot Mortes, da mihi CHRISTE, bonam.

Digitized by Google

O Iesv, vnus amor, ſpes vna, atque vna voluptas;
In te dulce mihi viuere, dulce mori.

*Ex his vero quæ ſequuntur Epitaphijs plura quivis per otium colliget, vt vitæ fragilis memor, æternam ſibi comparet.*

---

## *MENDA HÆC OCCVRRERVNT.*

PAg. 8 in primo verſu poſt *patriam* deeſt * Pag. 9. pro *Venerunt*, ſcribe Vetuerunt apud Pith. p. 134. Pag. 11. *Scribe* Soſia cum Soſio. P. 11. nutrix in 1. verſu. P. 25. LXXXIV. & p. 41. CXI. & in quibuſdam alijs luxati ſunt numeri. P. 45. MAXIMI OLYBRII. P. 53. ſic felix: *deinde* Texeruntque faui. P. 72. ad Orcum. P. 92. Fulberti deeſt Epitaphium. P. 100. induit artus: *deinde*, Affulſit partus, lucem lux. P. 103. de Helpi vide Gualterum n. 456. P. 119. LVGDVNENSIS. P. 126. inconditam. P. 132. MIRÆI. P. 150. ſupellex. P. 153. raptus breuis eſt flos. P. 157. Iuſtinctu. P. 159. *dele* vel ſapientiæ. P. 173. ante *duodecim*, ſcribe triginta, anno ſcilicet 1636. P. 175. alſinus. 139. ERRICI RHODII. 253. Mens habitat cœlo. 254. *Gualfreduccio*. 311. & docto & graui. 322. proque riſu. 356. *Guarino Veronenſi* 361. exquiſitas nimis. 364. *dele* primum, Hoc Auia, &c. 366. *Medicina* 371. longa 381. merum, & ſeq. Furca. 391. & 417. *Ioniano*. 401. tumulus, & ſeq. *dele* de Vitulo non ſuo loco adſcripta. 427. siti. 429. PYRRHI. 438. Symmyſtis. 444. tradunt. 445. *Aleander*. 456. omiſſum Foſſari equi Valentiniani. 457. mirata vetuſtas. 467. Hæc ſunt Roma. Viden' velut. 486. omnium virtutum omniumque literarum genere. 487. Antuerpiæ. 488. pauperes, Senatum orbitate cumulauit 493. diſcedentes. 540. MARTINI DORPII. 542. *A Nicolao Rigaltio* 562. Hoc jacent corpora. 599. Indictione 14. 604. *de ſacro portu* 623. idem Epitaphium quod ſupra 150. inter Dialogica. 620. ALENCONII. 622. mira pietate refertus.

Nonnulla quoque alia deprehendi adjungenda, mutanda, emendanda ipſis etiam in Indicibus.

*Nullus enim vitijs ſine ſit liber, optimus ille eſt*
*Qui minimis vrgetur.* Valete & Fauete.

THESAVRVS

SELECTORVM

# EPITAPHIORVM VETERVM RECENTIVMQVE,

Ex Antiquis Inſcriptionibus, omnique Scriptorum genere

# THESAVRVS,

*Non ſine delectu & ingenioſo ordine in Partes tributus duodecim.*

---

## PARS PRIMA.

ANTIQVA, ſeria, ingenioſa, venuſta, quæ ab probatæ elegantiæ Poetis, puræque ac ſinceræ Latinitatis ſcriptoribus chartis, ſaxis, marmoribúſve commendata ſunt.

### I.

### *ACHILLIS.*

*Auctore Euſebio apud Pithœum pag.* 98. *Parte tertiâ Collectionis Epigrammatum veterum.*

P*Elides* ego ſum, *Thetidis* notiſſima proles,
Cui virtus clarum nomen habere dedit:
Qui ſtraui toties armis victricibus hoſtes,
Inque fugam ſolus millia multa dedi.



Digitized by Google

*Hectore* ſed magno ſumma eſt mihi gloria cæſo,
Qui ſæpe *Argolicas* debilitauit opes.
Ille *Menœtiadæ* ſoluit me vindice pœnas:
*Pergama* tunc ferro procubuere meo.
Laudibus immenſis victor ſuper aſtra ferebar,
Cùm preſſi hoſtilem fraude peremptus humum.

II.

ACIDIS.

*Auctore Pentadio.*

ACidos hæc cernis montana cacumina buſti,
Æquor & ex imis fluminis ire iugis.
Iſta *Cyclopei* durant monimenta furoris.
Hic amor, hic dolor eſt, candida *Nympha*, tuus.
Sed bene, ſi periit, iacet hâc ſub mole ſepultus,
Nomen & exultans vnde perenne vehit.
Sic manet ille quidem, nec mortuus eſſe feretur:
Vitáque per liquidas cærula manat aquas.

III.

ADTÆ ALVMNO.

*Q. Bucuſius Creſcens & Mindia Fortunata.*

MVſica cum cantu reſonares carmina mirè
*Adtas* parue puer, dulci celebratus amore,
Morte graui raptus, tetrâ defungeris orâ
Immeritus, decimo prægreſſus nobilis anno.
Sed te noſter amor memori pietate reformat:
At quamuis te terra tegat miſerabilis ima,
Te dolor in paruo creſcit referente ſepulcro.

*Vide Gruteri inſcriptiones pag.* DCLVIII. *num.* 10.

IV.

AGAMEMNONIS.

*Ab Auſonio.*

REx Regum *Atrides* fraternæ coniugis vltor,
Oppetij manibus coniugis ipſe meæ.

Quid prodeſt *Helenes* raptum puniſſe dolentem,
Vindicem adulterij quum *Clytemneſtra* necet.

V. VI.

*AIACIS TELAMONII.*

*Ab Auſonio.*

A*Iacis* tumulo pariter tegor obruta *Virtus*,
Illacrimans buſtis funeris ipſa mei:
Inconſtans, lacerata comas, quod prauus *Atrides*
Cedere me ſtructis compulit inſidiis.
Iam dabo purpureum claro de ſanguine florem,
Teſtantem gemitu crimina iudicij.

*EIVSDEM AIACIS EX HOMERO.*

*Interprete M. T. Cicerone.*

HIc ſitus eſt vitæ iampridem lumina linquens,
Qui quondam *Hectoreo* percuſſus concidit enſe.

VII. VIII.

*ALBII TIBVLLI EQ. ROM.*

*Auct. Domitio Marſo apud Pith. p. 96.*

TE quoque *Virgilio* comitem non æqua, *Tibulle*,
Mors iuuenem campos miſit ad *Elyſios*.
Ne foret, aut elego molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

*Idem TIBVLLVS de ſe ipſe ſic ſcribit.*

*Lib. 1. Elegia III. ad Meſſalam.*

QVod ſi fatales iam nunc expleuimus annos,
Fac lapis inſcriptis ſtet ſuper oſſa notis:
*Hic iacet immiti conſumptus morte Tibullus,*
*Meſſalam terrâ dum ſequitúrque mari?*

IX.

*ALCIMI PVERI.*

*Ex M. Val. Martialis Libro I.*

A*Lcime*, quem raptum Domino melioribus annis
*Lanicana* leui ceſpite velat humus,

Accipe non *Pario* nutantia pondera ſaxo,
Quæ cineri vanus dat ruitura labor;
Sed fragiles buxos, & opacas palmitis Vmbras,
Quæque virent lacrymis roſcida prata meis.
Accipe care puer, noſtri monumenta laboris;
Hic tibi perpetuo tempore viuet honor.
Cum mihi ſupremos *Lacheſis* perneuerit annos;
Non aliter cineres mando iacere meos.

## X. XI.

### *ALEXANDRI MAGNI.*
*Apud Pithœum pag.* 99.

QVisquis adhuc nondum *Fortuna* mobile regnum,
Nec ſortem varias credis habere vices:
Aſpice *Alexandri* poſitum memorabile corpus:
Abſcondit tantum putris arena virum.

### *Aliud.*

SVfficit huic tumulus, cui non ſuffecerat orbis,
Res breuis huic ampla eſt, cui fuit ampla breuis.

## XII.

### *AMORIS IVRIS P. E' NOVEMPOPVLIS.*
*Antiquarum inſcript. DCLXVII.* 10.

D. M.

COnditus hic Amor eſt, dictus de nomine Patris:
Heu! miſeri Patris *conditus hic amor eſt.*
*Gallia quem genuit* de gente *Nouempopulanâ,*
*Itala* terra tegit *Gallia quem genuit.*
*Nobilis ingenio* docuit ius, inclyta *Roma,*
Oppetiit fatis *nobilis ingenio.*
*Læſeris hunc tumulum* ſi quiſquam, in *Tartara* pergas,
Atque expers tumuli *læſeris hunc tumulum.*

Digitized by Google

## XIII.

## ANGELÆ.

*Apud Pith. p. 115.*

HIc iacet in medio quæ concidit *Angela* partu,
Dum *Iuno* grauidæ ſæua negaret opem.
Impia res! tenerum ſaltem mors improba fœtum
Liquiſſet miſero, matre cadente, patri,
Aut matrem potius: quis enim cum carpſerit vuam,
Ipſam etiam vitem ſubſecuiſſe velit?
Plaudite vos ſteriles: ſoboles hanc perdidit: & ſic
Sæpe ſolent ramos frangere poma ſuos.

## XIV.

## ANICIÆ MATRONÆ SEDECENNIS.

*Ab Auſonio.*

OMnia quæ longo vitæ capiuntur in æuo,
Ante quater plenum conſumpſit *Anicia* luſtrum.
Infans lactauit, pubes, & virgo adoleuit,
Nupſit, concepit, peperit, iam mater obiuit.
Quis mortem accuſet? quis non accuſet in iſto
Ætatis? Meritis anus eſt, ætate puella.

## XV.

## ANICIÆ PROBÆ MATRI AN. OLYBRIVS. *Apud Pith. p. 135.*

COnſimiles fratrum trabeis, geſtamina honorum
Tertia, quæ deerant addidimus titulis.
Dilectæ *Probus* hæc perſoluo munera matri,
Reſtituens ſtatuis præmia, quæ dederat.

## XVI.

## L. ANNÆI LVCANI.

*Apud Pith. pag. 97.*

COrduba me genuit, rapuit *Nero*, prælia dixi,
Quæ geſſere pares, hinc *Socer*, inde *Gener*.
Continuo numquam direxi carmina ductu;
Quæ tractim ſerpit, plus mihi comma placet.



Digitized by Google

Fulminis in morem, quæ ſunt miranda citentur.
Hæc verò ſapiet dictio, quæ feriet.

XVII.

*M. ANNÆI SENECÆ.*

*Apud Pithœum pag. 96.*

CVra, labor, meritũ, ſumpti pro munere honores,
Ite, alias poſt hac ſollicitate animas.
Me procul à vobis *Deus* euocat. Ilicet actis
Rebus terrenis hoſpita terra vale.
Corpus auara tamen ſollennibus accipe ſaxis,
Namque animam cælo reddimus, oſſa tibi.

XVIII.

*D. M. ANNIÆ AGATHONICES.*

*Gruterus* DCCCCXXXI. *9. & Pith. p. 142.*

VIta breuis longo melior mortalibus æuo,
Nam paruo ſpatio floruit hæc anima.
Biſdenos perfuncta annos ſine crimine morum,
Vita beata fuit, ſpiritus hic nituit.
At patrum miſeranda ætas animâ cruciatur,
Pœnáque de longo tempore longa data eſt.
De ſenio luctus, ſenium fletu renouatur,
Vtraque res mortis dulcior exitio.
Dat tamen hæc patronæ pietas ſolatia fidæ,
Iugera quot terræ dedicat hic tumulus.

XIX.

*ANONYMI.*

*Apud Pith. p. 107. & in Antiquis inſcript. Gruteri.*

MOnumentum apſolui hoc impensâ meâ,
Amica tellus vt det hoſpitium oſſibus:
Quod omnes rogant, ſed felices impetrant.
Nam quid egregium, quídue cupiendum eſt magis,
Quàm vbi lucem libertatis acceperis,
Lapſum ſenectæ ſpiritum ibi deponere?
Quod innocentiæ ſignum eſt maximum.

Digitized by Google

*Sic verò integritati ſuæ reſtituit vir doctiſſimus.*

MOnumentum abſolui ſumptu & impenſâ meâ,
Amica tellus vt det hoſpitium oſſibus:
Omnes quod optant, ſed felices impetrant.
Namque quid egregium, quídue cupiendũ eſt magis?
Quam libertatis vbi tu lucem acceperis,
Feſſæ ſenectæ ſpiritum ibi deponere?
Quod innocentiæ argumentum eſt maximum.

XX.

*ANONYMI.*

*Pithœus p. 109.*

PIerides tumulo violas, Venus alma hyacinthos,
Balſama dant Charites, cinnama ſpargit amor,
Phœbus odoratas lauros, Mars ipſe amarantos,
Nos lacrymas, raræ munus amicitiæ.

XXI.

*ANONYMI.*

*Idem Pithœus p. 109.*

MOrborum vitiâ, & vitæ mala maxima fugi;
Nunc careo pœnis, pace fruor placidâ.

XXII.

*ANONYMI.*

*Idem Pith. p. 107.*

DVm quærit nomen multis noteſcere noſtrum,
Contentus titulo, nummos mihi reddidit heres.

XXIII.

*ANONYMI EXVLIS.*

*Ancona.*

FLens primùm has auras hauſi puer omine diro.
Flebilis ereptâ vita fuit patriâ.
Nunc quoque flens morior, ne quid non flebile reſtet.
Hæc eſt humanii conditio generis.



Digitized by Google

XXIV. XXV.

*ANTENORIS.*

*Apud Pithœum p. 101.*

INclitus *Antenor* patriam vox niſa quietem
Tranſtulit huc *Henetûm Dardanidûmque* fugas,
Expulit *Euganeos*, *Patauinam* condidit vrbem:
Quem tenet hîc humili marmore cæſa domus.

*Aliud.*

ESt via quæ populum ducit *Iunonis* ad ædem,
Fons vbi natiuis aëra pulſat aquis.
Quiſquis ad hanc pergis, *Periandri* tranſage thermas,
Antra, domos, curuis parua theatra locis,
Et ripas *Atheſis*, *Frigiique* palatia *Iani*,
Regia ſepta, lares, atria, templa, forum.
Inde celer ſubeas magni delubra *Tonantis*,
Quà fert ſublimes *Martia* porta gradus.
Hîc & *Atheſte* iacet, qui poſt *Antenora* nomen
Laudibus & titulis tollit in aſtra ſuum.
Tranſtulit huc *Henetos*, *Patauinam* condidit vrbem,
Cuius & oſſa *Ducis* nunc breuis vrna tegit.

XXVI.

*ANTILOCHI.*

*Auct. Auſonio.*

COnſiliis, bellóque bonus, quæ copula rara eſt,
Carus & *Atridis*, carus & *Æacidis*.
Præmia virtutis ſimul & pietatis adeptus,
Seruato *Antilochus Neſtore* patre obij.
Non hic ordo fuit: ſed iuſtiùs ille ſuperſtes,
*Troia* capi ſine quo perfida non poterat.

XXVII.

*ANTISTII RVSTICI.*

*Martialis lib IX.*

CAppadocum ſæuis *Antiſtius* occidit oris
*Ruſticus*: ô triſti crimine terra nocens!

Digitized by Google

Rettulit oſſa ſinu cari *Nigrina* mariti,
Et queſta eſt longas non ſatis eſſe vias.
Cúmque daret ſanctã tumulis, quibus inuidet, vrnam,
Viſa ſibi eſt rapto bis viduata viro.

XXVIII.

*ANTVLLÆ PVELLÆ.*

*Martialis lib. 1.*

HOc nemus æterno cinerum ſacrauit honori
*Fænius*, & culti iugera pauca ſoli.
Hoc tegitur citò rapta ſuis *Antulla* ſepulcro:
Hoc erit *Antullæ* miſtus vterque parens.
Si cupit hunc aliquis, moneo, ne ſperet agellum:
Perpetuò dominis ſeruiet iſte ſuis.

*Adde iis & quod habetur eodem libro Epigramma nu.* C.

XXIX.

*APOLLONIÆ.*

*Antiq. inſcript.* DCLXIX. *8.*

APolonia quæ vocitabar
Lapide hoc incluſa quieſco,
Ipſo mihi flore iuuentæ
Ruperunt fila Sorores,
Annos poſt decem & octo
Venerunt viſere lumen.
Vnum ſortita maritum
Seruaui caſta pudorem
Mater miſera hoc monumentum
Extruxit *Olympias* amens.
Hæc ſunt: bene viue Viator.

XXX.

*AQVILÆ IVVENIS.*

*Pith. p. 128. & Grut.* DCLXIX. *10.*

HIc *Aquilæ* cineres miſerabilis vrna ſepultos
Contegit, & fatis exproperata nimis.

Digitized by Google

Occidit infelix cœpto modò flore iuuentæ
Quem finijt annus ſeptimus & decimus.
Formoſus, frugi, doctus, pius à patre mœſto
Accepit tumulos, qui dare debuerat.

XXXI.

*AQVINI ET FABRICII.*

*Martialis libro* I. *Epigrammatum.*

F*Abricio* iunctus fido requieſcit *Aquinus*
Qui prior *Elyſias* gaudet adiſſe domos.
Ara duplex primi teſtatur munera pili:
Inſcriptum eſt titulo quod breuiore legis.
Iunctus vterque ſacro laudatæ fœdere vitæ,
Famáque quod rarò nouit, amicus erat.

XXXII.

*ARGENTEÆ PVELLÆ.*

*Gruterus Vet. inſcript.* MCLXXVII. 3.

SOrs tibi ſub teneris *Argentea* contigit annis,
Cuius Fauſta patrum ſecula nomen erant,
Quæ nos non aliter, quàm te conſumpſit, amantes;
Quorum ſenſus adhuc quod dolet, intus amat.
Non bene penſantur lethi diſpendia luctu,
Plus moritur viuens qui valet eſſe miſer.
Sume igitur lacrymas, quarum ſolatia ſenſus
Nulla tui, ſed nos, quos nocuere, iuuant.
Frangitur explicitis triſtis *fortuna* querelis,
Et reſerata minus pectora vulnus habent.
Nomen dulce matris, ſolúmque *Argentea* pignus,
Heu mihi quam ſubito funere rapta iaces!
Vernantes calidum decoxit frigore flores,
Et gemmam in fructu mors inimica tulit.

Digitized by Google

## XXXIII.

## ARIADNÆ.

*Apud Pith. p.* 113.

NE quis flere velit ſi tumulum ac titulum
Viderit extructum. Sic fatum voluit.
Vixi dum potui, tempore quo licuit.
Ignis habet corpus, ipſam cœlum animam,
Vexit aquâ *Porthmeus*, terra habet hîc cineres.
Ignis, aqua, terra, cœlum ſimul capiunt.
Si nomen quæris, quam *Liber* rapuit,
Digna *Ariadna* polo nobile ſidus ero.
Amóque ego, nec caſta ceſſit *Penelope*,
*Alceſti* comes, æmula mors placuit.
Saluus erit coniux; maior erit tumulus.
Terdenos annos menſes vndecim poſt
Diuiſos fatis, ter ſex vixi dies.
Annos bis ſeptem virgo ago: ſed reliquos
Coniuge *Alexandro* ſoſia cum ſoſio,
Iungit carus amor, diuidet ipſa mors.

## XXXIV.

## T. ARRII ANN. XXI.

*Theſ. inſcriptionum* DCLXX. 5.

INuida florentem rapuerunt fata iuuentam,
Nec licuit miſero, me ſupereſſe meis.
Fleuit præſentem mater, fleuere ſodales,
Et mater tepido condidit oſſa rogo.
Quæ prius hoc titulo debuit ipſa legi.

## XXXV.

## ASTORII QVINTIONIS.

*Grut.* DCCCLVIII. 12. & *Pith. p.* 138.

A*Storio* meritam dicat hanc *Octauius* aram,
Acri homini, atq; alacri, forti, fido, atque venuſto:
Cui domus *Aſirius* fuerat, cui *Quintia* nomen.

Digitized by Google

Hic in flore cubat longum ſecurus in æuum,
Poſt ter vicenos plures bene conditus annos.

XXXVI.

*ASTYANACTIS PVERI.*

*Ab Auſonio.*

FLos *Aſiæ*, tantáque vnus de gente ſuperſtes
Paruulus, *Argiuis* ſed iam de patre timendus,
Hic iacet *Aſtyanax, Scœis* deiectus ab altis.
Proh dolor! *Iliaci Neptunia* mœnia muri
Viderunt aliquid crudelius *Hectore* tracto?

XXXVII.

*P. ATINII C. F. FAB.*

*Ex Pithœo p. 101. & Grutero* DCCCCIII. I.

SI lutu', ſi puluis tardat te fortè Viator,
Arida ſiue ſitis nunc tibi iter minuit:
Perlege, cum in patriam tulerit te dextera fati,
Vt requietu', queas dicere ſæpe tuis:
Finibus Italiæ monumentum vidi *Voberna*
In quo eſt *Atini* conditum ***

*Secundum verſum prauè editum in Pithœanâ collectione reſtituimus.*

XXXVIII.

*ATTII EPICTETI.*

*Apud Pith. p. 100.*

RAptus ego ſuperis, patribúſque ablatus iniquè
Cùm frui debueram ætate, horrida fata negarunt,
Præcipitem memet ſuperi merſere ſub vndas,
Ac tumulo cluſere graui: iam partus & vſus,
Arſque mihi fuerat ſtudioſo corde reperta
Maxima quadrupedū: ſtudia & quoque plura fuerunt.
Ingenio ſemper plenus, probitate beatus:
Vt quandoque ſimul finito lumine vitæ,
Manibus his iuncti pariter ſociabimur vna.
Quiſque legis, doleas: deuites talia fata.

Digitized by Google

XXXIX.

*AVLI EGNATII.*

*Idem Pithœus p. 99.*

A*Vlu' Palateinâ Egnatiu' Priſcilianus*
Arte ſuper geminâ nobilis, & ſophiâ;
Dum vixi, didici, quæ mors, quæ vita homini eſſet,
Æterna vnde animæ gaudia percipio.

XL.

*AVRELIÆ.*

*Gruterus pag.* M. XLVI. 6.

HÆc quæ me fato præceſſit corpore caſto
Coniux vna meo prædita amans animo.
Feido feida virò veixſit ſtudio parili, quum
Nulla inauaritie ceſſit ab officio.

*In parte ſiniſtrâ.*

VIua *Philematium* ſum *Aurelia* nominitata,
Caſta, pudens, volgei neſcia, feida viro.
Vir conlibertus fuit eidem, quo càreo eheu!
Re fuit è vero plus ſuperáque parens.
Septem me natam annorum gremio ipſe recepit,
Triginta annos nata necis potior.
Ille meo officio aſſiduò florebat ad omnes

** ** ** **

XLI.

*AVSONII PARVVLI.*

*AD. Magno Auſonio patre.*

NOn ego te infletum memori fraudabo querelâ,
Primus nate meo nomine dicte puer.
Murmura quem primis meditantem abſoluere verbis,
Indolis & penè planximus exequijs.
Tu gremio in proaui funus commune locatus,
Inuidiam tumuli ne paterere tui.

Digitized by Google

XLII. XLIII.

*BASSI PVERI.*

*Pith. p. 133. & Gruterus* DCLXX. 2.

DEbuit hoc patris natus duo corpora humare,
Corpora ſemianimes corpus inane colunt.
Qui quia non poſſunt donis æquare merentem,
Reſpondere queunt, *Baſſe*, tuis meritis.

*Aliud.*

DEbuit hoc natus nobis præſtare duobus,
Vt cineres patrios dederet inferiis:
Sed quoniam diuæ genuerunt fata volucres,
Te *Baſſe* ereptum fleuimus ante rogum.

XLIV.

*BLASANI NOVII.*

*Apud Pith. p.* 100.

B*Laſanus* hoc *Nouius* requiem ſortitus in æuom.
** ** ** **
Hic olim ſtatuis vrbem decorauit & orbem,
Nomen habet populus, corpus habet tumulus.

XLV.

*CÆRELLIO AVRELIA EVSEBIA.*

*Gruterus* MCXXIX. 13.

QVot metui vitam moriens, quot & ipſe rogaui,
Coniugis orbati redditur ecce fides:
Scilicet infernæ noctis triſtiſſimus horror:
Me tamen in veſtrâ credo iacere domo:

XLVI.

*CÆSII.*

*E Pithœo pag.* 102.

C*Æſius Æquidius* iam centum vixerat annos
Felices. Annos tot tulit hora breuis.

Digitized by Google

## XLVII.

### CAIETÆ.

*Libro XIV. Metamorphoſeon Ouidij.*

FInierat *Macareus*, vrnáque *Æneia* nutrix
Condita marmoreo tumulo breue carmẽ habebat:
*Hic me Caietam notæ pietatis alumnus*
*Ereptam Argolico, quo debuit, igne cremauit.*

## XLVIII.

### CALLICRATEÆ.

*Apud Auſonium.*

VIginti atque nouem genitrici *Callicratea*,
Nullius ſexus mors mihi viſa fuit.
Sed centum & quinque expleui bene meſſibus annos,
Intremulam baculo non ſubeunte manum.

## XLIX.

### CAMILLI PVERI.

*Romæ in Templo S. Auguſtini.*

PRæcipiti dum currit equo dans fræna *Camillus*
Vix annos natus decidit octo puer.
Si caſurus erat, molli cecidiſſet in herbâ:
Heu tenerum ſcelus eſt rumpere ſaxa caput!

## L.

D. M.

### CAMILLVS AQVILEVS.

*Se viuo ſcribi iuſsit ſic:*

*Non fui. deinde fui. modò non ſum.*

ASpice quàm ſubitò marcet quod floruit ante,
Aſpice quàm ſubitò, quod ſtetit ante, cadit.
Naſcentes morimur, finíſque ab origine pendet:
Illa eadem, vitam quæ inchoat, hora rapit.

*Referunt Pithœus collectionis parte tertia pag. 102, aliíque.*

## LI.

### CANACES PVELLÆ.

*Martialis lib. XI.*

ÆOlidos *Canace* iacet hoc tumulata ſepulcro,
Vltima cui paruæ ſeptima venit hiems.
Ah ſcelus! ah facinus! properas quid flere, Viator?
Non licet hîc vitæ de breuitate queri.
Triſtius eſt letho lethi genus: horrida vultus
Abſtulit, & tenero ſedit in ore lues:
Ipsáque crudeles ederunt oſcula morbi,
Nec data ſunt nigris tota labella rogis.
Si tam præcipiti fuerant ventura volatu,
Debuerant aliâ fata venire viâ.
Sed mors vocis iter properauit claudere blandæ,
Ne poſſet duras flectere lingua Deas.

## LII.

### C. CANINII.

*Gruterus Theſ. inſcript. pag.* DCCCLXIV. 4.

OMnes hei mei ſunt: filius illum manu,
Ille illam merito miſſit, & veſtem dedit.
Quoad vixi, vix ſere omnes vna inter meos
Eundem mi amorem præſtat puerilem ſenexs.
Monumentum indicioſt ſaxo ſeptum ac marmore.
Circum ſtipatum moerum multis milibus.

## LIII.

### CASCARVM FRATRVM.

*In collectione Pithœanâ p. 99.*

OCcidere ſimul *Caſcæ*, ſimul occubuere,
Dextrâ quiſque ſuâ, quâ ſcelus auſus erat.
Caſtra eadem fouere. locus quoque vulneris idem.
Partibus afflictis victus vterque iacet.
Quanta fuit mentis, tanta eſt concordia fati.
Et tumulus cinerem paruus vtrumque tegit.

Par

Par fratrum multo celebrandum carmine vatum,
Vnâ ſi fierent parte minùs gemini.

LIV.

*CATILIÆ MARTIANÆ, ÆMIL. IANVARIVS.* *Apud Pithoeum p.* 124.

INuide quid gaudes? illa hic mihi mortua viuet.
Illa meis oculis aurea ſemper erit.

LV.

*Q. CETRONII Q. F. PASSERIS.*

*Ex Pithoeo pag.* 99.

VIxi, quod volui, ſemper bene, pauper honeſtè:
Fraudaui nullum, quod iuuat oſſa mea.

LVI.

*CLAVDII RVFINI.*

*Idem Pithœus pag.* 102.

C*Laudius* hunc viuus *Stygias Rufinus* ad Vmbras
Inſtituit titulum poſt animæ requiem;
Qui teſtis vitæ fati ſit lege futurus,
Cum domus accipiens ſaxea corpus habens.
Quodque meam retinet vocem data littera ſaxo,
Voce tuâ viuet, quiſque leget titulos.

*Rottio hic ſitus eſt iuuenili robore quondam, & quæ pluribus, habes apud Gruterum pag.* DCLXI. *num.* 1. *ex Paradino.*

LVII.

*CLAVDIÆ.*

*Antiquarum inſcript.* DCCLXIX. 9.

HOſpes, quod deico paullum eſt, aſta ac pellige.
Heic eſt ſepulcrum haut pulcrũ pulcraï fœminæ.
Nomen parentes nominarunt *Claudiam*:
Suom mareitom corde dilexit ſouo:
Gnatos duos creauit; horumc' alterum
In terrâ linquit, alium ſub terrâ locat.
Sermone lepido, tum autem inceſſu commodo:



Digitized by Google

Dominum ſeruauit; lanam fecit. Dixi. Abei.

*Refertur & à Fabricio, Smecio, Pithoeo, alijſque paſſim.*

## LVIII.

### CLODIÆ SECVNDÆ.

*Apud Pith. p. 114.*

O Quanta pietas fuit hac adoleſcentia,
Fides, amor, ſenſus, pudor, atque ſanctitas!
Noli dolere amica euentum meum,
Properauit ætas, hoc dedit fatum mihi.

## LIX.

### CLODIO FABATO AELIA MARCELLA.

*Gruterus* DCCLXXII. 8.

TErrenum corpus, cæleſtis ſpiritus in me:
Quo repetente ſuam ſedem, nunc viuimus illic,
Et fruitur ſuperis æterna in luce *Fabatus.*

## LX.

### CLEMENTIS PVERI.

*Gruterus* DCLXXVII. *Pithœus pag.* 182.

HIc puer octauo fraudatus laudatur anno,
Impia quem fati ſæua ruina premit.
Nomen erat *Clemens* minimè lædendus & annis,
Spes erat in puero, nunc cinis & gemitus.

## LXI.

### COCCEIÆ NICE HERMES.

*Apud Pith. p.* 123. *& Gruterum* MXXXII. 3.

ÆTernam tibi ſedem *Hermes*, aramque dicaui,
*Nice:* optaſſemque, vtinam tua fata ſuperſtes
Vt mihi tu faceres. ſed iniquâ ſorte malignâ
Rapta iaces, annis iam viduata tuis.
Iam tibi lac *Cybeles* ſint, & roſa grata *Diones*,
Et flores grati *Nymphis*, & lilia ſerta.
Sintque precor meritis, cui noſtra parent tibi dona
Annua, & hîc *Manes* placidâ tibi nocte quieſcant,
Et ſuper in nido *Marathonis* cantet Aëdon.

Digitized by Google

LXII.

*CONIVGIS A VIRO OCCISÆ.*

*Romæ: Variant ſcript. vide Barthium.*

IMmitis ferro ſecuit mea colla maritus
Dum propero niuei ſoluere vincla pedis.
Non culpâ meruiſſe necem pia Numina teſtor,
Sed iaceo fati ſorte perempta mei.
Diſcite ab exemplo hoc Matres, hoc diſcite Patres,
Ne nubat fatuo filia veſtra viro.

LXIII.

*CONSVLARIS EXVLIS.*

*Apud Pith. p. 108.*

M*Æonia* & *Latia* linguæ clariſſimus, & qui
*Conſul* eram, hîc perij miſſus in exilium.
Et quid mors rapuit? probitas me vexit ad auras:
Et nunc fama viget maxima, viuit opus.

LXIV.

*CORALES PVELLÆ.*

*Theſ. inſcriptionum* DCCCCVIII. I.

ARtibus ingenuis curâ perdocta ſuarum
Sortita egregium corporis omne decus:
Nondum bis ſeptem plenis præcepta ſub annis
Hac *Corale* caſta condita ſede iacet.
Ludite felices, patitur dum vita, puellæ,
Sæpe & formoſas fata ſiniſtra ferunt.

LXV.

*CORNELII CELSI.*

DIctantes Medici quandoque & Apollinis artes
Muſas Romano iuſſimus ore loqui.
Nec minus eſt nobis per pauca volumina famæ,
Quam quos nulla ſatis Bibliotheca capit.



Digitized by Google

## LXVI.

## CYNTHIÆ.

*Auctore Propertio libri IV. Eleg.*

RAmoſis *Anio* quà pomifer incubat aruis
Et nunquam *Herculeo* numine pallet ebur,
Hoc carmen mediâ dignum me ſcribe columnâ,
Sed breue quod currens vector ab vrbe legat,
*Hic Tiburtinâ iacet aurea Cynthia terrâ:*
*Acceßit ripæ laus, Aniene, tuæ.*

## LXVII.

## DAPHNIDIS.

*Auctore Virgilio Ecloga.* V.

SPargite humum folijs: inducite fontibus vmbras
Paſtores: mandat fieri ſibi talia *Daphnis*,
Et tumulum facite, & tumulo ſuperaddite carmen.
*Daphnis ego in ſiluis, hinc vſque ad ſidera notus*
*Formoſi pecoris cuſtos, formoſior ipſe.*

## LXVIII.

## DEIPHOBI.

*Ab Auſonio.*

PRoditus ad pœnam, ſceleratæ fraude *Lacænæ*,
Et deformato corpore *Deiphobus*,
Non habeo tumulum, niſi quem mihi voce vocantis
Et pius *Æneas* & *Maro* compoſuit.

## LXIX. LXX.

## DIDONIS.

*Auctore P. Ouidio Naſone Faſtorum lib.* III.

ARſerat Æneæ Dido miſerabilis igne:
Arſerat extructis in ſua fata rogis.
Compoſituſque ignis, tumuliq; in marmore carmen,
Hoc breue, quod moriens ipſa reliquit, erat.
*Præbuit Æneas & cauſam mortis & enſem*
*Ipſa ſuâ Dido concidit vſa manu.*

Digitized by Google

*Idem habetur in fine Epiſtolæ Didonis ad Æneam nullo vel addito vel detracto apice: ut ſuperuacaneum ſit illud bis exſcribere.*

EIVSDEM DIDONIS

*Auctore Auſonio peruulgatum.*

INfelix *Dido*, nulli bene iuncta marito;
Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

LXXI.

DIOGENIS CYNICI.

*In cuius ſepulcro pro ſigno, Canis.*

*Apud Auſonium.*

DIc canis: Hic cuius tumulus? *Canis.* At canis hic quis?
*Diogenes.* Obijt? Non obijt, ſed abît.
*Diogenes*, cui pera penus, cui dolia ſedes,
Ad *Manes* abijt? *Cerberus* ire vetat.
Quonam igitur? Clari flagrat quâ ſtella *Leonis*.
Additus eſt iuſtæ nunc canis *Erigonæ*.

LXXII.

DIOMEDIS TYDEI F.

*Ab Auſonio.*

COnditus hic genitore bono melior *Diomedes*,
Crimen ob vxoris pulſus dotalibus agris.
*Argyripam*, claroſque viris qui condidit *Arpos*:
Clarior vrbe nouâ, patriæ quàm ſede vetuſtâ.

LXXIII.

FL. DIONYSIADI VERNÆ.

*Pith. p. 142. & Gruterus* DCLIV. 3.

HIc iacet exiguis *Dionyſia* flebilis annis,
Extremum tenui quæ pede rupit iter,
Cuius in octauâ laſciuia ſurgere meſſe
Cœperat, & dulces fingere nequitias.



Digitized by Google

Quòd ſi longa tuæ manſiſſent tempora vitæ,
Doctior in terris nulla puella foret.
VIXIT AN. VII. M. XI. D. XV. HOR. VII.
*Antia Tibulla Vernæ ſuæ dulciſſ. fecit.*

## LXXIV.
## DOMITII IVVENIS.
*Gruterus pag.* MCLXXV. *5.*

QVàm malè ſors leti confundit proſpera vitæ.
Vt citiùs terris quod placet eripiat.
Protulerant iuuenem cœleſti munere ſecla,
Cui pietas fidei, gratia comis erat.
Iuſtitia clarum meritis animóque beatum,
Moribus eximiis, nobilitate probum;
Sed breue tẽpus habet munus quodcumque Deorum,
Inuida Domitium fata tulere ſibi.
Communis, ſapiens, humilis, moderatus, honeſtus.
Credere vix poſſis, iſta potens habui.

## LXXV.
## Q. ENNII POETÆ.
*Apud M. Tullium.*

ADſpicite ô Ciues ſenis *Ennij* imagini' formam:
Hic noſtrum panxit maxuma facta Patrum.
Nemo me lacrumeis decoret, nec founera fletum
Faxit: quom volito doctu' per ora virum.
*Ita quidem diſtinxit ſcripſitque Paulus Merula in ſuâ Q. Ennij vitâ, quam præfixit fragmentis. Annalium ex varijs Auctoribus collectorum. Vulgò enim ſic ſcribitur & hoc & alterum diſtichum.*
Aſpicite ô ciues ſenis *Ennij* imaginis formam:
Hic veſtrum panxit maxima facta patrum.
Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu
Faxit. cur? volito viuus per ora virûm.

Digitized by Google

LXXVI.

ENNOMI ET CHROMI.

*Ab Auſonio.*

ENnomus hîc, *Chromiúſque* iacent; queis *Myſia* regnum,
Queis pater *Alcinous, Oceanúſque* atauus.
Nobilitas quid tanta iuuat? quo clarius iſtis
Eſt genus, hoc mortis conditio grauior.

LXXVII. LXXVIII.

EROTII PVELLÆ.

*Martialis lib. 5.*

HAnc tibi *Fronto* pater, genitrix *Flaccilla* puellam
Oſcula commendo deliciáſque meas:
Pallida ne nigras horreſcat *Erotion* vmbras,
Oráque *Tartarei* prodigioſa canis.
Impletura fuit ſextæ modò frigora brumæ,
Vixiſſet totidem ni minùs illa dies.
Inter tam veteres ludat laſciua patronos,
Et nomen blæſo garriat ore meum.
Mollia nec rigidus ceſpes tegat oſſa, nec illi
Terra grauis fueris, non fuit illa tibi.

*Erotij alterum libro* x.

HIc feſtinatâ requieſcit *Erotion* vmbrâ,
Crimine quam fati ſexta peremit hiems.
Quiſquis eris noſtri poſt me regnator agelli,
*Manibus* exiguis annua iuſta dato.
Sic lare perpetuo, ſic turbâ ſoſpite ſolus
Flebilis in terrâ ſit lapis iſte tuâ.

LXXIX.

ETRVSCI PATRIS.

*M. Val. Mart. libro* VII.

HIc iacet ille ſenex *Auguſtâ* notus in aulâ,
Pectore non humili paſſus vtrumque *Deum*.



Digitized by Google

Natorum pietas ſanctis quem coniugis vmbris
Miſcuit: *Elyſium* poſſidet vmbra nemus.
Occidit illa prior viridi fraudata iuuentâ;
Hic prope ter ſenas vixit olympiadas.
Sed feſtinatis raptum tibi credidit annis,
Aſpexit lacrymas quiſquis, *Etruſce*, tuas.

## *LXXX.*

### EVPHEMI.

*Auſonio auctore.*

E*Vphemum Ciconum* ductorem *Troia* tellus
Condidit haſtati *Martis* ad effigiem.
Nec ſatis eſt titulum ſaxo inciſiſſe ſepulcri,
Inſuper & frontem mole onerans ſtatuæ.
Ocyus iſta ruunt, quæ ſic cumulata locantur,
Maior vbi eſt cultus, magna ruina ſubeſt.

## *LXXXI.*

### EVTYCHETIS AVRIGÆ AN. XXII.

*Gruterus* CCCXL. 4. *& Pith. p. 138.*

HOc rudis *Auriga* requieſcunt membra ſepulcro,
Nec tamen ignari flectere lora manu.
Iam qui quadrijugos auderem ſcandere currus,
Et tamen à bijugis non remouerer equis.
Inuidere meis annis crudelia fata,
Fata quibus nequeas oppoſuiſſe manus.
Nec mihi conceſſa eſt morituro gloria *Circi*,
Donaret lacrymas ne pia turba mihi.
Vſſere ardentes intus mea viſcera morbi,
Vincere quos medicæ non potuere manus.
Sparge, precor, flores ſupra mea buſta, Viator,
Fauiſti viuo forſitan ipſe mihi.

Digitized by Google

LXXXII.

EVTYCHI PVERI.

*Martialis lib.* VI.

FLete nefas veſtrum, ſed toto flete *Lucrino*
*Naiades*, & luctus ſentiat ipſa *Thetis*.
Inter *Bajanas* raptus puer occidit vndas
*Eutychus*, ille tuum, *Caſtrice*, dulce latus.
Hic tibi curarum ſocius, blandúmque leuamen,
Hic amor, hic noſtri Vatis *Alexis* erat.

LXXXIII.

FABIÆ PYRALLIDI PATRONÆ

*Artemiſius Libertus: apud Pith. p.* 143.

CVnctorum hæc ſuboli ſedem poſt morte reliquit;
Ante tamen nato coniuge & ante ſuo.
Nondum ſecurâ dum flet mœſtiſſima mente,
Occidit, & triſtes decepit mœſta fouendo.
Sed nos ſolliciti, memoréſque parentis amore,
Matrem cum nato, coniuge cúmque ſuo,
Securos colimus memores de nomine noſtro,
Et faciet ſuboles multos memorata per annos
Sacra *Deis* patribúſque ſuis, memoréſque priorum
Et memores noſtri noſtrorúmque: alta propago
Æterno ſeruent ſemper memorabile nomen.
Quiſquis es, aut olim noſtrâ de ſtirpe futurus,
Sis memor antiqui nominis & tituli,
In quorum titulis hic datur eſſe locus,
Æternæque domus tu tueare focos.

*Apud Gruterum* DCCCCXXXIX. I. legitur: *Et domus æterna &c.*

LXXXIX.

FELICIS.

*Apud Pith. pag.* 103. *& Grut.* DCCCCXI. 15.

SPonte fui pauper, tam re quàm nomine *Felix*:
Quæſiui nomen, quærat auarus opes.

LXXXV. LXXXVI.

*FILIÆ MATER.*

*Apud Pith. pag. 134. & Gruterum* DCCXVIII. 1.

VErius hunc titulum matri tu nata dicaſſes,
Quem mater miſeræ nunc tibi, nata, facit.
Bis ſenos complentem annos te, filia, matri
Eripuit miſeræ mortis iniqua dies.
Obteſtor *Manes* meritæ ſanctæque patronæ,
Comprecor vt leni terra tegat tumulo.

*Aliud.*

QVot lacrymas moriens liquiſti filia matri,
Tot tibi dent ſuperi gaudia perpetuò.
Ter conata ſequi, ter ſpiritus hæſerat ori,
Quod volui haud potui, te pereunte mori.
Solamen, ſi quod miſeræ eſt, inſomnia præſtant,
Quùm triſtem in ſomnis ludit imago animum.

LXXXVII.

*FILIÆ INFANTIS.*

*Gruterus* DCCXVII. *& Pith. pag. 131.*

RApta ſinu matris iacet hic miſerabilis infans,
Ante nouem plenos *Luna* quàm viueret orbes.
Hanc pater & mater mœſti fleuere iacentem,
Paruáque marmoreo clauſerunt membra ſepulcro.

LXXXVIII.

*FILIO PATER.*

*Apud Pithœum p. 128.*

QVamuis, nate, tuos mors inuida ruperit annos,
Abſtulerintque tuum dura ſepulcra decus.
Non tamen his ſecum potuit deducere laudes
Quas viuens ſemper fama ſuperſtes habet.
Maior enim longâ veniens de ſtirpe *Senator*
Auxiſti mentis nobilitate genus.
Iudicis imperium ſeruans bonitate magiſtrâ,
Cum tibi ſubiectis tu quoque miles eras.

Digitized by Google

Vrbanos faſces gaudens tibi *Roma* parabat,
Conſilio fratris nunc moderata tui.
Fidus amicitiæ cuſtos, ambitor honeſti,
Iuſtitiæ cultor, pacis amator eras.
Gratus, dulcis, ouans, humilis, pius: hei mihi quantis
Priuauit miſerum mors inimica bonis.
Te luxítque pater, ſoboles, coniúxque fidelis,
Te mixtis lacrymis longè & amata domus.
Nil tibi defendens, famulum mihi, nate, paraſti,
Vt tibi ſeruitij creſceret alter amor.

LXXXIX.

*FILII A MATRE.*

*Apud Gruterum* MCLXXVI. 12.

HÆc quæcumque legis deuoto pectore, Mater,
Da lacrymas, & me ſic peperiſſe dole.
Hic iacet extinctus crudeli funere natus
Vltima viuendi qui mihi cauſa fuit.
Maxima præſtabat miſeræ ſolatia matri,
Conſilio fratres & pietate colens.
Plurima reſtituit curando corpora vitæ,
Quem mihi tam ſubitò mors properata tulit.

XC.

*FILII.*

*Ianus Grut.* MCXXVI. 8.

NVnc pater & mater nato fecere ſepulcrum,
Oſſaque funeſtis fluctibus abluerunt.
Sed quoniam multi talem ſenſere dolorem,
Nec quiſquam lethi vincere vim potuit.
Deſinite extinctum dulces me flere parentes,
Deſinite & fati triſtia iura queri.

Digitized by Google

XCI.
*FILII.*
*Apud Pithœum pag. 132.*

QVæ mihi debebas ſupremæ munera vitæ,
Infelix ſoluo nunc tibi, nate, prior.
Fortuna inconſtans, lex & variabilis æui!
Debueras cineri iam ſupereſſe meo.

XCII.
*FLAVII ANTIOCHI.*
*Gruterus* DCCCCXL. I.

QVod quiſque veſtrum mortuo optarit mihi,
Id illi eueniat ſemper viuo & mortuo.

XCIII.
*FLORO IANVARIVS.*
*Roma Antiq. inſcript.* DCLVI. I.

F*Lorus* ego hic iaceo raptus bigarius infans:
Qui citò dum cupio currus, citò decidi ad vmbras.

XCIV.
*C. FONTEI SPVRIANI.*
*Pith. p. 182. Gruterus* DCLXXXIV. 8.

NEc grauius pote, nec breuius ſuperante parente,
Hic iacet æternâ filius in requie.

XCV.
*FVSCI.*
*M. Val. Martialis libro* VI.

ILle ſacri lateris cuſtos, *Martiſque* togati,
Credita cui ſummi caſtra fuere *Ducis*:
Hic ſitus eſt *Fuſcus*, licet hoc *Fortuna* fateri:
Non timet hoſtiles iam lapis iſte minas.
Grande iugum domitâ *Dacus* ceruice recepit,
Et famulum victrix poſſidet vmbra nemus.

Digitized by Google

## XCVI.
## GN. GARGONII.
*Gruterus* DCLXXXV. 3

PAter & mater titulum poſuerunt funeri acerbo
*Gn. Gargonio Cn. F. Paullino.* Vix. an. IX. m. VII.
Te lapis obteſtor, vt tu ſuper oſſa quieſcas.
Ne teneræ ætati grauis eſſe videaris.
Tu qui via Flaminiâ tranſis reſta ac rellege.

## XCVII.
## GERMANICI CÆSARIS CALIGVLÆ PATRIS.
*Apud Pithœum pag.* 97.

PArce, Hoſpes, tumulo, *Cæſar Germanicus* hîc ſum;
*Sæpe* etiam ignotis ipſe dedi requiem.
Quod ſiquem tumuli nihil huius gratia tangit,
Admoneat patriæ fraude quòd hîc iaceo.
Sed iaceo, quamuis non vitæ, at plenus honoris:
Hoc vno ingratus, quod genui, patriæ:
Teſtata eſt mores lacrymis plebéſque, Patréſque:
Hæc ſunt ſinceri iudicia ingenij.

## XCVIII.
## GERVNTIO ET CONSTANTIO PATER.
*Apud Pith. pag.* 132.

VOs equidem nati cæleſtia regna videtis,
Quos rapuit paruos præcipitata dies.
Sed mihi quæ requies oneroſâ in luce moranti,
Quoi ſoli ſupereſt & ſine fine dolor?
Quàm male de vobis fallacia gaudia vidi,
Et decepturus me iugulauit amor!
Reddebar teneris in vultibus, ipsáque per vos
Tempora credebam lapſa rediſſe mihi.
Sentio quid faciat ſpes irrita, peſſima ſors eſt
Supplicij afflicto, quem ſua fata premunt.

Digitized by Google

XCIX. C.

## GLAVCIÆ LIBERTI.

*Martialis lib. VI.*

LIbertus *Melioris* ille notus,
Totâ qui cecidit dolente *Româ*,
Cari deliciæ breues patroni,
Hoc ſub marmore *Glaucias* humatus,
Iuncto *Flaminiæ* iacet ſepulcro:
Caſtus moribus, innocens pudore,
Velox ingenio, decore felix.
Biſſenis modò meſſibus peractis
Vix vnum puer applicabat annum.
Qui fles talia, nil fleas, Viator.

*Aliud.*

NOn de plebe domus, nec auaræ verna catastæ,
Sed Domini ſancto dignus amore puer:
Munera cum poſſet nondum ſentire patroni,
*Glaucia* libertus iam *Melioris* erat.
Moribus hoc formæque datum: quis blandior illo?
Aut quis *Apollineo* pulcrior ore fuit?
Immodicis breuis eſt ætas, & rara ſenectus:
Quidquid ames, cupias non placuiſſe nimis.

CI.

## GVNEI.

*Scripſit Auſonius.*

GVnea pontus habet: tumulus ſine corpore nomen:
Fama homines inter: cœlum animus repetit.
Cuncta elementa *Duci* tanto commune ſepulcrum,
Quæ? Cœlum & tellus, & mare & ora virûm.

CII.

## HATERIÆ TELETES.

*Pith. pag. 136.*

TV pater & mater lacrimis retinere dolorem,
Nam fato raptum non potis eripere.

Digitized by Google

## CIII. CIV
## HECTORIS.

*Auctore Pentadio ſeu Maximiano apud Pith. p. 97.*

DEfenſor patriæ, iuuenum fortiſſimus *Hector*,
Qui murus miſeris ciuibus alter erat,
Occubuit telo violenti victus *Achillis*.
Occubuere ſimul ſpéſque ſalúſque *Phrygum*.
Hunc ferus *Æacides* circum ſua mœnia traxit,
Quæ iuuenis manibus texerat ante ſuis.
O quantos *Priamo* lux attulit illa dolores!
Quos fletus *Hecube*, quos dedit *Andromache*!
Sed raptum pater infelix auróque repenſum
Condidit, & mœrens hac tumulauit humo.

*Alterum eiuſdem HECTORIS*
*Magno Auſonio Auctore.*

HEctoris hic tumulus: cùm quo ſua *Troia* ſepulta eſt.
Conduntur pariter, qui periere ſimul.

## CV.
## HECTORI DOMITILLA.

*Apud Pith. p. 141. & Gruterum p.* DCLV. *3.*

QVi colitis *Cybelen*, & qui *Phryga* plangitis *Attin*,
Dum vacat, & tacitâ *Dindyma* nocte ſilent,
Flete meos cineres: non eſt alienus in illis
*Hector*, & hoc tumulo *Mygdonis* vmbra tegor,
Ille ego qui magni paruus cognominis heres,
Corpore in exiguo res numeroſa fui.
Flectere doctus equos, nitidâ certare palæſtrâ,
Ferre iocos, aſtu fallere, noſſe fidem.
At tibi dent ſuperi quantum *Domitilla* mereris,
Quæ facis exiguâ ne iaceamus humo.

Digitized by Google

## CVI.

### *HECVBÆ.*

*Auctore Auſonio.*

QVæ *Regina* fui, quæ claro nata *Dymante*;
Quæ *Priami* coniux, *Hectora* quæ genui.
Hic *Hecuba* iniectis perij ſuperobruta ſaxis,
Sed rabie linguæ me tamen vlta prius.
Fidite ne regnis & prole & ſtirpe parentum,
Quicumque hoc noſtrum σῆμα κυνὸς legitis.

## CVII.

### *T. HELII HOSPITIS.*

*Gruterus* DCLXXXVI. 8.

**** **** ſine crimine vitæ
Florentes annos ſubito nox abſtulit atra.
Viuite felices, moneo. mors omnibus inſtat.

## CVIII.

### *HELVIDII ORATORIS.*

*Apud Pith. p. 100. & Grut.* DCLII. 3.

HIc iacet *Helnidius*, fatis extinctus iniquis,
Egregius iuuenis, cauſſarum orator honeſtus.

## CIX.

### *HIPPOTHOI ET PYLEI.*

*Ab Auſonio.*

HIppothoum Pyleumque tenet gremio infima tellus:
Caulibus & maluis terga ſuperna virent.
Nec vexat cineres horti cultura quietos:
Dum parcente manu molle olus excolitur.

## CX.

### *HOMERI.*

*Auct. M. Terentio Varrone.*

CApella *Homeri* candida hæc tumulum indicat:
Quòd hac *Ieta* mortuo faciunt ſacra.

CXI.

Digitized by Google

CXI.

## Q. HORATII FLACCI.

*Auctore C. Mæcenate Cilnio Equite Rom.*

*Ex Iſidori Orig. libro 9.*

LVgens te, mea vita, nec Smaragdos,
Berillos quoque, *Flacce*, nec nitentes,
Nec percandida margarita quæro,
Nec quos *Thynica* lima perpoliuit
Anellos, nec iaſpios lapillos.

CXII.

## HYPERMNESTRÆ.

*Auct. Ouidio in Epiſt. Heroidum.*

VEl fer opem, vel dede neci; defunctáque vita
Corpora furtiuis inſuper adde rogis.
Et ſepeli lacrymis perfuſa fidelibus oſſa:
Scriptáque ſint titulo noſtra ſepulcra breui.
*Exul Hypermneſtra, pretium pietatis iniquum,*
*Quam mortem fratri depulit, ipſa tulit.*

CXIII.

## IKADIO CALPVRNIA ANTHIS.

*Apud Pith. p. 141.*

DExtera fama mihi fuit, & fortuna, patrona
Magnifici coniux *Cæſaris* illa *Dei.*
Quâ bene tutus eram, caris nec vilis amicis,
Queis etiam mecum plurima cura fuit.
*Anthis* cauſa meæ vitæ, quæ cara ſepulcro
Condidit oſſa ſuo: nominor *Ikadium.*

CXIV.

## IMPOSTORIS.

*Apud Pith. p. 110.*

FÆx hominum, fraus totus homo iacet: ecce ia-
centi
Nocte dat excubias noctua, luce canes.

Digitized by Google

CXV.

INCERTI.

*Albæ Iuliæ in Tranſiluania, vt ex Zamoſio refert Ianus Gruterus* DCCCXCVIII 16.

NIſi vtile eſt quod facimus ſtulta eſt gloria.
*Hic verò verſus, vt id obiter dicam, claudit elegantiſsimam Phædri fabellam, quæ eſt libri Tertij ordine* XVII.

CXVI.

INCERTI A MATRE.

*Apud Pith. p.* 135.

VIderat exanimem mater *Byzantia* natum
Forte facit patriis dum ſua vota ſacris.
Impoſitúmque ſuis iuuenem quæ geſſerat armis,
Et madida hoſtili tela manúſque nece.
Mox nec ſciſſa comam mater, nec territa caſu
Femina, fortunâ celſior ipſa ſuâ:
Nate, ait, egregium patriæ per ſecula nomen,
Quàm non degeneri funere, nate, iaces!
Te demum peperiſſe iuuat: dolor omnis abeſto,
Numquam ego te nato non bene mater ero.

CXVII. CXVIII. CXIX.

INCERTI.

*Romæ in S. Silueſtri tẽplo apud Grut.* DCCCCXXVIII. 9.

VT perferantur ſi qua ſunt ad inferos
Date terræ fructum, vt terra poſſit reddere:
Ab alio ſperes alteri quod feceris.

*Numero verò* 8. *eiuſdem paginæ.*

QVærere ceſſaui nunquam, nec perdere deſi.
Mors interuenit; nunc ab vtroque vaco.

*Tum num.* 13. *pag.* DCCCCLXXVII.

TV qui carpis iter greſſu properante, Viator,
Siſte gradum quæſo: quod peto, parua mora eſt
Oro vt præteriens dicas S. T. T. L.

Digitized by Google

CXX.

*INCERTI.*

*Pith. p. 181.*

SVſcipe me ſociam tumuli, chariſſime coniux,
Cui mors eſt, tecum non meruiſſe mori.
Hic mea mens ſimul eſt, ſimul hic mea vita ſepulta.
Mortem ferre tuam mors mihi ſæua fuit.

CXXI.

*INCERTI SEV NERONIS CVIVSDAM.*

*Apud Gruterum* DCLIII. 8.

AMiſſos ornat titulis, en aſpice iunctos,
Quos habet incolumes fouit amore pari.
Supremas error ne poſſet rumpere ceras
Arte ſuâ cauit, clauſit operta fide.
Excipiet *Manes* ſua qui ſine lite reliquit,
Laudabit ſtudium cui tua cura cauet.

CXXII.

*INCERTÆ.*

*Apud Pith. p. 117.*

SAnguine ſi noſtros, noſtrâ ſi morte liceret
Pallentes orco pro dolor! eripere,
Et ſi quæ patimur crudeli funere fata,
Hoc ſaltem nobis munere grata forent:
Quantos tæderet cœli conuexa tueri?
Quantæ ſæuirent in ſua corda manus?
Et tu quæ fuerim ſi noſſes, *candide lector,*
Nunc animam quoque tu purpuream vomeres,
Viuere quo rurſus poſſem, & ſupereſſe daretur,
Fingere & innumeras nexa per ora animas.

CXXIII.

*ITALICI ET MAMMVLÆ EIVS.*

*Pith. p. 127. & Gruterus* DCLXIII. 2.

DIſpar damna lege, & Parcarum carmina diſpar,
Hæc ridenda mihi eſt, hic lacrymandus erit.



Digitized by Google

Hæc namque emeritos bis quadraginta per annos
Vixit, at hic terno *Conſule* natus obit.
Cur modò tam præceps, puerum tam ſæua fuiſti?
Funeris amborum dic rea *Perſephone*?
Vix lucem vidiſſe, ſatis qui viuere poſſet:
Viuere quæ nollet, vix potuiſſe mori.

## *CXXIV.*
## IVLIANI INFANTIS.
*Ibidem pag. 129.*

NOmine *Iuliano* menſes excedere ſeptem
Haud licitum, multum fleuit vterque parens.

## *CXXV.*
## IVLIÆ.
*Pithœus pag. 122.*

I*Vlia*, quæ fueras longâ digniſſima vitâ,
Occidis, è noſtro rapta puella ſinu.
Sed comes æthereæ nunc degis iuncta *Corona*,
Nunc *Helicen* propius cernis & *Andromeden*.
Me cruciat coniux miſerum, me abſumit amantem
Sæuus amor nullis ignibus inferior.
Namque ego ſeu rebus fueram diſtrictus agendis,
Seu dederam vacuo languida membra thoro.
Tu mihi ſemper ades, tua præſens ſemper imago eſt,
Quæ miſero moueat flebile cordolium.
Impia, cur teneros, ô mors, diſtinguis amantes,
Quos bene conueniens conſociauit amor?

## *CXXVI.*
## IVLIÆ PROCILLÆ AMARANTHVS.
*Gruterus* CCCXIX. 6. *Pith. p. 121.*

HVnc tibi perpetuo titulum gratiſſima coniux,
Coniugis extincti dedicat ipſa fides,
Vixiſti mecum iuuenis, caróſque per annos,
Quos vita exegi dulciter ipſe mea.

Digitized by Google

Opto, ſiqua fides remanet telluris amicæ,
Sit tibi perpetuo terra leuis tumulo.

CXXVII.

IVLIÆ SEC. F. ET CORN. TYCHÆVX.

*Apud Pith. p. 129. & Gruterum* DCXC. 5.

IAm datus eſt finis vitæ, iam pauſa malorum
Vobis, quas habet hoc natam, matrémque ſepulcrum,
Littore *Phocaico* pelagi vi exanimatas.
Illic, vnde *Tagus*, & nobile flumen *Hiberus*,
Vorſum ortus, vorſum occaſus fluit alter & alter,
Stagna ſub *Oceani Tagus*, & *Tyrrhenica Hiberus*.
Sic etenim duxere olim primordia *Parcæ*,
Et neuere ſuper vobis fatalia fila,
Cum primùm *Lucina* daret lucémque animámque,
Vt vitæ diuerſa dies foret, vnáque lethi.
Nobis porrò alia eſt trino de numine fati
Dicta dies lethi, quam propagare ſuopte
Viſum ollis tacitò arbitrio, cùm lege perenni,
Siſti quæ cunctos iubet ad vadimonia mortis.

CXXVIII.

IVLII CÆSARIS.

*In collectione Pithœi p. 89.*

ILle hic magnanimus, qui claris arduus actis,
Non timuit *Generum*, nec martia tela *Senatus*,
Ne ſibi *Gallorum* raperetur pompa triumphi,
Intulit immitis per ciuica viſcera ferrum.
Vis inuicta viri reparatâ claſſe *Britannos*
Vicit, & hoſtiles *Rheni* compeſcuit vndas.

CXXIX.

LAÇONVM IN THERMOPYLIS CÆSORVM. *Ex Simonide Cicero.*

DIc, Hoſpes, *Sparta*, nos te hic vidiſſe iacentes
Dum ſanctis patriæ legibus obſequimur.

CXXX.

*LÆLIÆ CLEMENTINÆ.*

*Grut.* DCCXCVIII. 7. & *Pith.* p. 123.

FVncta iaces hic, ſed viuis, viueſque *Secundo*
*Lælia* tuo, debent nec benefacta mori.
Te *Tellus,* ſanctóſque precor pro coniuge *Manes*;
Vos ite ô placidi, tu leuis oſſa tegas.

CXXXI.

*LARCIÆ HORÆÆ.*

*Gruterus* DCXXVII. 9. & *Pithœus* p. 138.

BOnis probata inuiſa ſum à nullâ probâ:
Fui parens dominis ſenibus, huic autem obſequens.
Ita libertate illi, me hic decorat ſtolâ.
A pupulâ annos viginti obtinui domum
Omnem: ſupremus fecit iudicium dies.
Mors animam eripuit, non vitæ ornatum abſtulit.

CXXXII.

*LASCIVIÆ IVCVNDÆ VERNÆ.*

*Antiq. inſcript.* DCCCCXLIIII. 6.

D. M.

QVæ nondum ſeptem vitæ compleuerat annos,
Quæ caruit luce, & tenebris ſe miſcuit atris,
*Laſciuia,* nimium fatis crudelibus orta eſt;
Liquit & [illegible]patos miſeros, fidóſque parentes,
Vberibus preſſis nutricem liquit amantem,
Coniux nutricis infelix ille relictus
Mæret, & ad cineres plangit ſua pectora palmis.
Nec ſatis ereptam lucem ſibi ..........

CXXXIII.

*LATINI COMOEDI.*

*Martialis libro* IX.

DVlce decus ſcenæ, ludorum fama, *Latinus*
Ille ego ſum, plauſus, deliciæque tuæ:

Digitized by Google

Qui ſpectatorem potui feciſſe *Catonem*,
 Soluere qui *Curios Fabricióſque* graues.
Sed nihil à noſtro ſumpſit mea vita theatro,
 Et ſolâ tantum ſcenicus arte feror:
Nec poteram gratus Domino ſine moribus eſſe:
 Interiùs mentes inſpicit ille *Deus*.
Vos me laurigeri paraſitum dicite *Phœbi*,
 *Roma* ſui famulum dum ſciat eſſe *Iouis*.

## CXXXIV. CXXXV.

### *LATINÆ FILIÆ VIBIVS HELENIVS.*

*Apud Gruterum* DCCCXLIII. 2. *& Pith. p. 128.*

VIxiſſes vtinam, & potius mea *Muſa* taceret,
 Quàm mihi ſcribendi cauſa, *Latina*, fores.
Vixiſſes, neu te ſurgentem in vota tuorum,
 Aſpicerem addictam *Manibus* ire ſacris.
Sed quoniam *Parcis* vetitum eſt nihil; accipe noſtri
 Æternas, eheu! carminis exequias.

*Aliud alterius Latinæ dictæ.*

QVæ tibi cumque mei potuerunt pignora amoris
 Nata dari, populo ſunt lacrumante data.
Et volui maiora, nimis ſed cura meorum
 Fida, tui prohibet me cinerem eſſe rogi.

## CXXXVI.

### *LATRONIS BALISTÆ DICTI.*

*Virgilio auctore, vt eſt in eius vita.*

MOnte ſub hoc lapidũ iacet hic *Balliſta* ſepultus,
 Nocte dieque tuum carpe, Viator, iter.

## CXXXVII.

### *LESBIÆ ANCHIALVS.*

*Gruterus* DCCXCIX. *& Pith. p. 121.*

HOſpes ſta & lacruma, ſi quidquam humanitus in te eſt,
 Oſſua dum cernis conſita mœſta mihi.

Quoius laudati mores, & forma probata eſt
*Anchialo*, quem cura anxia debilitat.
*Leſbia* ſum, quæ dulcis mores ſola reliqui,
Et vitam viuens parui in officiis.
Sei nomen quæris, ſum *Leſbia*: ſi duo amantes,
*Anchialus* dulcis cum ſuaui homine *Spurio*.
Sed quid ego hæc cerno? mea ſunt hic oſſua in olla
Conſita: Viue hoſpes, dum licet, atque Vale.

CXXXVIII.

*LESBIÆ.*

*Ex Grutero* DCCCCXVII. 4. *& Pith. p.* 115.

SIſte gradum, properet quamuis breuis hora, Viator:
Sic fati nullus te dolor exanimet.
*Leſbia*, quam tulerat tellus pulcherrima *Tharſis*
(Indicio ſit amor totius *Heſperiæ*)
Quam ereptam terris pia numina ſubſtraxerunt,
Hanc ſibi ſola domum corporis inſtituit.

CXXXIX.

*EVCHARIS LICINIÆ. L.*

*Apud Pith. pag.* 141. *& Gruterum pag.* DCLV. 1.

*Docta erodita omnes artes virgo vixit an.* XIIII.

HEus oculo errante quei aſpicis lethi domum,
Morare greſſum, & titulum noſtrum perlege.
Amor parentis quem dedit natæ ſuæ,
Vbi ſe reliquiæ conlocarent corporis.
Heic viridis ætas cum floreret artibus,
Creſcente & æuo gloriam conſcenderet,
Properauit hora triſtis fatalis mea,
Et denegauit vltra veitæ ſpiritum.
Docta, erodita pene *Muſarum* manu,
Quæ modò nobilium ludos decoraui choro.
Et *Græcâ* in ſcenâ prima populo apparui,
En hoc in tumulo cinerem noſtri corporis

Infeſtæ *Parcæ* depoſuerunt carmine.
Studium patronæ, cura, amor, laudes, decus, &c.

## CXL.
## LICINI LIBERTI AVG.

*Siue de Claris inſepultis Auctore M. Terentio Varrone apud Pith. p. 89.*

LIttore diuerſo *Libyæ* clariſſima longè
  Nomina, vix vllo condita ſunt tumulo.
*Magnus*, & humano maior *Cato*, qui procul à te
  Aſpicit heu cineres, *Roma*, iacere ſuos.
Marmoreo *Licinus* tumulo iacet: at *Cato* paruo,
  *Pompeius* nullo. Credimus eſſe *Deos*?

## LXI.
## LVCANI POETÆ.

COrduba me genuit, rapuit *Nero*, prælia dixi,
  Quæ geſſere pares, hinc *Socer*, inde *Gener*.

## CXLII.
## M. LVCCEII M. F. MEMORIÆ.

*Ianus Gruterus Antiq. inſcr.* MCXXIII. 7.

QVum præmaturâ raptum mihi morte nepotem
  Flerem *Parcarum* putria fila querens,
Vt gemerem triſti damnatam morte iuuentam,
  Verſarétque nouus viſcera tota dolor:
Me deſolatum, me deſertum ac ſpoliatum
  Clamarem largis ſaxa mouens lacrymis.
Exactâ propè nocte ſuos quum *Lucifer* ignes
  Spargeret & volucri roſcidus iret equo:
Vidi ſidereo radiantem lumine formam
  Æthere delabi, non fuit illa quies,
Sed verus iuueni color & ſonus: At ſtatus ipſe
  Maior erat notâ corporis effigie.
Ardentes oculorum orbes, humeróſque nitentes
  Oſtendens roſeo reddidit ore ſonos.

Digitized by Google

Affinis memorande quid ô me ad ſidera cœli
  Ablatum quereris? Deſine flere *Deum*.
Ne pietas ignara ſupernâ ſede receptum
  Lugeat, & lædat *Numina* triſtitiâ.
Non ego *Tartareas* penetrabo triſtis ad vndas,
  Non *Acherontæis* tranſuehar vmbra vadis.
Non ego cæruleam remo ſulcabo carinam,
  Nec te terribilem fronte timebo *Charon*.
Nec *Minos* mihi iura dabit grandæuus, & atris
  Non errabo locis, nec cohibebor aquis.
Surge, refer matri, ne me noctéſque diéſque
  Defleat, vt mœrens *Attica mater Ityn*.
Nam me ſancta *Venus* ſedes non noſſe ſilentum
  Iuſſit, & in cœli lucida templa tulit.
Erigor, & gelidos horror perfuderat artus,
  Spirabat ſuaui tinctus odore locus.
Die nepos, ſeu tu turbâ ſtipatus *Amorum*
  Lætus *Adoneis* luſibus inſereris.
Seu grege *Pieridum* gaudes *plaudente ſororum*
  Omnis Cœlicolûm te *comitatur honos*.
Si libeat thyrſum grauidis *agitare corymbis*,
  Et velare comam palmite, *Liber eris*.
Paſcere ſi crinem, & lauro redimire *capillos*,
  Arcum cum pharetrâ ſumere, *Phœbus eris*.
Indueris teretes manicas *Phrygiúmque galerum*,
  Non vnus *Cybeles* pectore vincet *Atys*.
Si ſpumantis equi libeat quatere ora *lupatis*
  *Cyllare* formoſi membra vehes *Equitis*
Sed quicumque *Deus*, quicúmque vocaberis *Heros*,
  Sit ſoror, & mater, ſit puer *incolumis*.
Hæc dona vnguen is, & ſunt potiora *metallis*,
  Quæ non tempus edax non rapit *hora leuis*.

## CXLIII.

## LVCII ET FLAVII.

*In coll. Pithœi pag. 99.*

VRna breuis geminum quamuis tenet iſta cadauer,
Attamen in cœlo ſpiritus vnus adeſt.
Viximus vnanimes *Luciúſque* & *Flauius:* idem
Senſus, amor, ſtudium, vita duobus erat.

## CXLIV.

## LVCILII IVNIORIS.

*Pith. pag. 145.*

MOrs non vna venit, ſed quæ rapit vltima, *Mors* eſt,

## CXLV.

## LVCIOLÆ.

*Apud Pith. pag. 115.*

L*Vciola* effigies illorum, iudice quouis,
Quos peperit quondam morum fœcunda vetuſtas,
Hîc tegitur laudis monumento cuncta ſuperſtes
Nobilitas patriæ *Treueri* præclara, patrúmque
*Aruernum* hoſpitium ciuem te adſciſſe ſupernis:
Pignorat hæc tellus terræ felicis alumnam
Fundorum ſpatiis: cinerum eſt poſſeſſio maior
Coniuge *Fortunato* equitum peditúmque Magiſtro.
Omni humili officio dum ſe gerit, auxit honores.
Altior inuidiâ, qui non ſuccumbit honori.

## CXLVI.

## LYDÆ.

*Pithœus pag. 124.*

INiice, ſi pietas vſquam eſt, ſuſpiria, & imple
Mecum, Hoſpes, lacrymis marmoris hoc vacuum.
Nam formæ exemplum periit, cùm obiit mea *Lyda*,
Quam periere homines, quam periere Dei.

Digitized by Google

## CXLVII.

### LYDII INFANTIS.

*Apud Pith. pag. 106.*

LVderet in viridi dum ceſpite *Lydius* infans,
Propter aquam, ah pietas! ictus ab angue cadit.
Infelix mater, natum complexa iacentem,
Occidit angue puer, victa dolore parens.

## CXLVIII.

### MAGNORVM DVCVM.

*Apud Pithœum pag. 97.*

IVnxit *Magnorum* caſus *Fortuna Virorum.*
Hic paruo, nullo conditus ille loco eſt.
Ite, nouas toto terras conquirite mundo,
Nempe manet *Magnos* paruula terra *Duces.*

## CXLIX.

### MATRONÆ NOBILIS.

*Mart. libro* x.

MArmora parua quidem, ſed non ceſſura, Viator,
*Mauſoli* ſaxis, *Pyramidúmque* leges.
Bis mea *Romano* ſpectata eſt vita *Terento*;
Et nihil extremos perdidit ante rogos.
Quinque dedit pueros, totidem mihi *Iunò* puellas;
Clauſerunt omnes lumina noſtra manus.

## CL.

### MATVRÆ CALPVRNIANVS.

*Gruterus* DCCLXVI. 7. & *Pith.* p. 123.

HIc ſita quæ vixit duodetriginta per annos,
Vnanimi *Calpurniano* ſociata marito.
Nomina *Matura*, *Tuder* eſt mihi nota propago,
*Aufidius* genitor, genuit me *Plania* mater.
Quadraginta duos mecum fero flebilis annos,
Rapta meis fatis: ſuperi ſic namque iubebant,
Ima penetrali *Lucina* ſacra petenti.

Digitized by Google

## CLI. CLII.

### *MAGIMI OLIBRII.*

*Vrnæ inſcriptum, in quâ erat lucerna ardens*
*Apud Pith. pag. 144. & Gruterum*
DCCCCXXVII. 5.

P*Lutoni* ſacrum munus ne attingite fures,
Ignotum eſt vobis hoc quod in vrnâ latet.
Namque elementa graui clauſit digeſta labore
Vaſe ſub hoc modico *Maximus Olibrius.*
Adſit fœcundo cuſtos ſibi copia cornu,
Ne pretium tanti depereat laticis.

*Vrnæ minori.*

ABite hinc peſſimi fures,
Quid voſtris voltis cum oculis miſſitiis?
Abite hinc veſtro cum *Mercurio*
Petaſato caduceatóque.
Donum hoc *Maximus Maximi*
*Plutoni* ſacrum facit.

## CLIII.

### *MEIÆ.*

*Gruterus* DCCXXXIII. 9. & *Pith. pag. 136.*

M*Eia* fui felix, ſeptem circumdata natis:
Dum vixi, aſtabat *Romula* turba mihi.
Vt mihi grata vicem natorum turba parabat,
Hoc mihi de *Pario* marmore ſtruxit opus.
*Manibus* atque meis nati pia vota dedere,
Perſoluere meis *Manibus* inferias.

## CLIV.

### *MENIPPI CYNICI.*

*Auct. M. Terentio Varrone.*

M*Enippos* ille, nobilis quondam Canes
Heic liquit omnes homines in terræ pila.

Digitized by Google

## CLV.

### MERCATORIS.
*Apud Pithœum pag. 102.*

SEu ſtupor huic ſtudio eſt, ſiue eſt inſania nomen:
Omnis ab hac curâ cura leuata mea eſt.

*Gruterus Antiq. inſcript. pag.* DCXXXVII. 5. *ſubiicit huic diſticho Epitaphium verſibus Iambicis ſcriptum quod habes ſupra numero* XIX.

## CLVI.

### METROPHANIS LVCILII SERVI.
*Apud Pith. pag. 137.*

SEruo' neque infidus domino, neque inutili' quoiquam,
*Lucilli* Columela hîc ſitu' *Metrophanes.*

## CLVII.

### MILITVM LEGIONIS QVINT. ET VNDEVIGES.
*Fortiſſ. mil. v. & XIX. Leg. quorum operâ fortiter Vetera Caſtra defenſa ſunt, Polyandrion.*

HVc reduces olim poſt tempora longa reuerſas
Senſerat ire *Aquilas* Legio Vndeuigeſima, cuius
Hæc *Veterum Manes Caſtrorum* hiberna tuentur.

D. M.

*Oſſa mil.* v. *&* XIX. *Leg. cum Quintil.* v. *interfect. iuſſu Germanici Imp. huc collata quieſcunt.*

SI quid adhuc *Manes,* cineres atque oſſa ſepulta
Mentis habent, vociſque, iubent ſaluere reductas
In ſua caſtra *Aquilas,* felix fauſtumque precantur.

*Gruterus vtramque inter ſpurias ac ſuppoſititias inſcriptiones ſepoſuit pagina* XII. *num.* 7. *&* 8.

Digitized by Google

## CLVIII.
## MILTIADIS.
*Pith. pag. 181. & in Antiquis inſcript.* CCCCXXXVIII. 6.

QVi *Perſas* bello vicit *Marathonis* in aruis,
Ciuibus ingratis & patriâ interiit.
Παίτες Μιλτιάδου τάδ᾽ ἀρήϊα ἔργα ἴσασιν
Πέρσαι, καὶ Μαραθὼν τῆς ἀρετῆς τέμενος.

## CLIX.
## NÆVII POETÆ.
*Apud A. Gellium.*

IMmortales Mortalem ſi foret fas flere,
Flerent *Diuæ Camœnæ Næuium Poëtam.*
Itáque poſtquam eſt *Orcio* traditus theſauro,
Obliti ſunt *Romæ* linguâ *Latinâ* loquier.

## CLX. CLXI.
## NARCISSI.
*Auct. Pentadio in coll. Pith. pag. 98.*

HIc eſt ille, ſuis nimium qui credidit vndis,
*Narciſſus* vero dignus amore puer.
Cernis ab irriguo repetentem gramine ripam,
Vt per quas periit, creſcere poſſit aquas.

*Eiuſdem de eodem.*

SE *Narciſſus* amat captus lenonibus vndis,
Cui ſi tollis aquas, non eſt vbi ſæuiat ignis.

## CLXII.
## NAVFRAGORVM IVVENVM DVORVM.
*Apud Pith. p. 105. & Grut.* DCLVIII. 8.

VNa Iuuaneiæ domus hos produxit alumnos,
Libertatis opus contulit vna dies.
Naufraga mors pariter rapuit, quos iunxerat ante,
Et duplices luctus ſic periniqua dedit.

Digitized by Google

## CLXIII.
## NESTORIS.

*Auct. Auſonio.*

HOc tegor in tumulo quarti iam prodigus æui
*Neſtor*, conſilio clarus & eloquio.
Obiecit ſeſe cuius pro morte peremptus
Filius, & nati vulnere viuo pater.
Eheu! cur fatis diſponere ſic placet æuum,
Tam longum, vt nobis: tam breue, vt *Antilocho*.

## CLXIV.
## NINNIÆ CHRONIDIS.

*Apud Pith. p. 130. & Grut.* DCXCVII. 7.

QVod decuit natam patri præſtare ſepulto,
Hoc contra natæ præſtitit ipſe pater.
Vix. AN. III. M. X. D. XXV.

## CLXV. CLXVI. CLXVII.
## NIOBES IN SIPYLO MONTE.

*Ab Auſonio.*

THebarum *Regina* fui: *Sipyleia* cautes
Quæ modò ſum, læſi numina *Latoïdum*:
Bis ſeptem natis genitrix læta atque ſuperba,
Tot duxi mater funera quot genui.
Nec ſatis hoc Diuis, duro circumdata ſaxo,
Amiſi humani corporis effigiem.
Sed dolor, obſtructis quamquam vitalibus, hæret:
Perpetuáſque rigat fonte pio lacrymas.
Pro facinus! tantæne animis cæleſtibus iræ?
Durat adhuc luctus, matris imago perit.

*Aliud.*

VIuebam, ſum facta ſilex, quæ deinde polita
*Praxitelis* manibus, viuo iterum *Niobe*.
Reddidit artificis manus omnia, ſed ſine ſenſu.
Hunc ego quum læſi numina, non habui.

*Aliud.*

*Aliud.*

HAbet ſepulcrum non id intus mortuum,
Habet nec ipſe mortuus buſtum ſuper.
Sibi ſed eſt ipſe hic ſepulcrum & mortuus.

## CLXVIII.

## *NYMPHIO SERENA.*

*Pithœus Veterum Epigr. lib. III.*

VIuere poſt obitum vatem vis noſſe Viator,
Quod legis ecce loquor, vox tua nempe mea eſt.
*Nymphius* æterno deuinctus membra ſopore,
Hic ſitus eſt: cælo mens pia perfruitur.
Mens videt aſtra, quies tumuli complectitur artus,
Calcauit triſtes ſancta fides tenebras.
Te tua pro meritis virtutis ad aſtra vehebat
Intuleratque alto debita fama polo.
Immortalis eris, nam multa laude vigebit
Viuax venturos gloria per populos.
Te coluit proprium Prouincia cuncta parentem,
Optabant vitam publica vota tuam.
Exercere tuo quondam data munera ſumptu
Plaudentis populi gaudia per cuneos.
Concilium procerum per te patria alma vocauit:
Seque tuo duxit ſanctius ore loqui.
Publicus orbatas modò luctus conficit vrbes,
Confuſique ſedent anxia turba *Patres.*
Vt capite erepto torpentia membra rigeſcunt:
Vt grex amiſſo Principe mœret iners.
Parua tibi coniux, magni ſolatia luctus,
Hunc tumuli titulum mœſta *Serena* dicat.
Hæc indiuidui ſemper comes addita fulcri,
Vnanimem tibi ſe luſtra per octo dedit.
Dulcis vita fuit tecum: comes anxia lucem
Æternam ſperans, hanc cupit eſſe breuem.

## CLXIX.

## OCTAVIANI AVGVSTI.

*In Colleċt. Pith. p. 89.*

IN *Macetûm* campis vltus iam *Cæſaris* vmbras
Sum patris, *Auguſtus* bellóque, armíſque ſuperbus.
Namque meos ſenſit fugiens *Antonius* enſes.
Quantum ingens orbis, quantum *Iouis* alta poteſtas,
Tantus in orbe fui, mare trans pontúmque ſubegi:
Vix cælum ſuperis, & ſidera ſumma reliqui.

## CLXX.

## OCTAVII,

*Auctore Virgilio apud Pithœum pag. 89.*

QVis *Deus, Octaui,* te nobis abſtulit? an quæ
Dicunt, ah? nimio pocula dura mero?
Vobis, ſi culpa eſt, bilis: ſua quemque ſequuntur
Fata: quod immeriti crimen habent cyathi?
Scripta quidem tua nos multùm mirabimur, & te
Raptum, & *Romanam* flebimus Hiſtoriam.
Sed tu nullus eris: peruerſi dicite *Manes,*
Hunc ſupereſſe patri quæ fuit inuidia?

## CLXXI.

## DOMINO ONESIMO ANICETVS.

*Pith. p. 143. & Gruterus* DCCCCXLVIII. 10.

O Vtinam viuo potuiſſem præmia morum
Reddere, nunc lacrymas accipe pro meritis.
Nam ſemper, fateor, tantâ te mente probaui,
Detexit ſenſus vltima flamma meos.
Tu columen rerum, ſemper tu cura mearum,
Nunc eris & luctus tu quoque cauſa mei.
Oſſibus infundam quæ numquam vina bibiſti.

*Dis Manibus*

*Oneſimi Anicetus cariſſimo facit Domino.*

Digitized by Google

CLXXII.

## OPPIÆ COMINIVS FIRMVS.

*Apud Pith. pag. 112.*

EXemplum periit: caſtæ lugete puellæ.
*Oppia* iam non eſt, erepta eſt *Oppia Firmo.*
Accipite hanc animam, numeróque augete ſacrorum
*Arria* Romano, & tu graio *Laodamia.*
Hunc titulum meritis ſeruat ſibi fama ſuperſtes.

CLXXIII.

## M. OTHONIS IMPER.

*In Auſonij Cæſaribus.*

ÆMula polluto geſturus ſceptra *Neroni*
Obruitur celeri raptus *Otho* exitio.
Fine tamen laudandus erit; qui morte decorâ,
Hoc tantùm fecit nobile, quòd periit.

CLXXIV. CLXXV.

## OVIDII NASONIS.

*Pithœus pag. 96.*

HIc ſitus eſt vates, quem *Diui Cæſaris* ira
*Auguſti* patriâ cedere iuſſit humo.
Sæpe miſer voluit patriis occumbere terris:
Sed fruſtra: hunc illi fata dedere locum.

*Ouidius ipſe ſibi ſcripſit Elegia* III. *Libri* III.
*de Triſtibus.*

OSſa tamen facito paruâ referantur in vrnâ:
Sic ego non etiam mortuus exul ero.
Atque ea cum foliis & amomi puluere miſce:
Inque ſuburbano condita pone loco:
Quóſque legat verſus oculo properante Viator
Grandibus in tumuli marmore cæde notis.
*Hic ego, qui iaceo tenerorum luſor Amorum,*
*Ingenio perij Naſo Poëta meo.*
*At tibi, qui tranſis, ne ſit graue, quiſquis amaſti,*
*Dicere: Naſonis molliter oſſa cubent.*



Digitized by Google

Hoc ſatis in tumulo eſt: etenim maiora libelli,
Et diuturna magis ſunt monumenta, mei.

CLXXVI.

PACVVII POETÆ.

*Apud A. Gellium.*

ADoleſcens tametſi properas hoc te ſaxum rogat,
Vt ſe aſpicias: deinde, quod ſcriptum eſt, legas:
Hic ſunt Poëtæ *Pacuuij Marci* ſita
Oſſa: Hoc volebam neſcius ne eſſes. Vale.

CLXXVII.

PÆTI PROCONSVLIS.

*Aquis Tarbellicis.*

VRbis magnificæ *Pætus* Proconſul *Aquenſis*
Moribus & ſenſu maturus obit, tener annis.

CLXXVIII.

PANTAGATHI PVERI.

*Martialis libro* VI.

HOc iacet in tumulo raptus puerilibus annis
*Pantagathus*, Domini cura dolórque ſui,
Vix tangente vagos ferro reſecare capillos
Doctus, & hirſutas excoluiſſe genas:
Sis licet, vt debes, *Tellus* placata, leuíſque;
Artificis leuior non potes eſſe manu.

CLXXIX.

PARIDIS PANTOMIMI.

*Mart. libro* XI.

QViſquis *Flaminiam* teris, Viator,
Noli nobile præterire marmor.
Vrbis deliciæ, ſaléſque *Nili*,
Ars & gratia, luſus & voluptas,
*Romani* decus & dolor Theatri,
Atque omnes *Veneres*, *Cupidinéſque*,
Hoc ſunt condita, quo *Paris* ſepulcro.

## CLXXX.

### *PATRI FILIVS.*

*Gruterus* DCCXLVIII. 7. & *Pith. pag.* 135.

SIc pia, ſis felix, ſic quod tibi vita beata
Contigit, & cunctis auxilians bonitas.
Nos tamen hic cruciat dolor intimus, & pia cura,
Quòd te feſtinans abſtulit atra dies.
Numina nunc inferna precor, Patri date lucos,
Queis eſt purpureus perpetuúſque dies.
Heic certè, vt meruit, cuncta eſt data cura ſepulcro,
Venerúntque faui de *Siculis* apibus.

## CLXXXI. CLXXXII.

### *PAVLINÆ VALERIÆ.*

*Apud Pith. pag.* 112. & *Grut.* DCCXII. 4.

DEcipimur votis, & tempore fallimur, & mors
Deridet curas: anxia vita nihil.

*Alterius.*

VIuite felices moneo, mors omnibus inſtat.
Exemplum à nobis diſcite qui legitis.

## CXXXIII.

### *PEDANÆ.*

*Apud Gruterum pag.* DCCCCXLIII. 3.

INgratæ *Veneri* ſpondebam munera ſupplex
Ereptâ coniux virginitate tibi:
*Perſephone* votis inuidit pallida noſtris,
Et præmaturo funere te rapuit.
Supremum verſus munus donamus, & aram,
Et doctam capeſis docta *Pedana* chelyn.
Me nunc torquet amor, tibi triſtis cura receſſit,
Lethæóque iaces condita ſarcophago.



Digitized by Google

## CLXXXIV.

## PETRONIÆ THALLVSÆ.

*Gruterus* DCCCCL. 8. & *Pith. p.* 114.

LIberta & coniux *Petronia* cara patrono
*Thalluſa* hoc tumulo condita luce caret.
Quæ bis vicenos complerat lucibus annos,
Erepta eſt ſubito coniugis è gremio.
Hanc ſic aſſiduè deflet *Petronius*, vt iam
Deficiant oculos lumina cara ſuos.
Deſine per terras infernas tendere ad arces.
Fata animam dederant, fata eadémque negant.

## CLXXXV.

## PETRONII ANTIGENIDIS,

*Gruterus* DCCCCL. 7. & *Pith. p.* 139.

TV pede qui ſtricto pergis per ſenta, Viator,
Siſte rogo, titulúmque meum ne ſpreueris oro,
Bis quinos annos, menſéſque duos, duo ſoles
In ſuperis feci, tenerè nutritus, amatus,
Dogmata *Pythagoræ* ſenſi, ſtudiúmque ſophorum,
Et libros legi, legi pia carmina *Homeri*,
Siue quot *Euclides* abaco præſcripta tuliſſet,
Delicias habui pariter, luſúſque procaces.
Hæc *Hilarus* mihi contulerat pater ipſe patronus,
Si non infelix contraria fata habuiſſem.
Nunc verò infernas ſedes *Acherontis* ad vndas,
Tetráque *Tartarei* per ſidera tendo profundi.
Effugi tumidam vitam, ſpes, forma valete:
Nil mihi vobiſcum eſt: alios deludite quæſo.
Hæc domus æterna eſt: hic ſum ſitus, hic ero
ſemper.

Digitized by Google

## CLXXXVI.

## PHAETHONTIS.

*Ab Ouidio Naſone lib. II. Metamorph.*

NAiades *Heſperiæ* trifidâ fumantia flammâ
Corpora dant tumulo, ſignant quoque carmine ſaxum:
*Hic ſitus eſt Phaëton currus auriga paterni,*
*Quæ ſi non tenuit magnis tamen excidit auſis.*

## CLXXXVII.

## PHILÆNIDIS ANVS.

*Martialis libro IX.*

SÆcula Neſtoreæ permenſa, *Philæni*, ſenectæ,
Rapta es ad infernas tam citò *Ditis* aquas?
*Euboïca* nondum numerabas longa *Sibyllæ*
Tempora: maior erat menſibus illa tribus.
Heu quæ lingua ſilet! non illam mille cataſtæ
Vincebant: nec quæ turba *Serapin* amat.
Nec matutini cirrata caterna magiſtri,
Nec quæ *Strymonio* de grege ripa ſonat.
Sit tibi terra leuis, mollique tegaris arenâ,
Ne tua non poſſint eruere oſſa canes.

## CLXXXVIII.

## PHILOTIS.

*Pithœus p. 103.*

HIc iacet ereptus maturâ morte *Philotes.*
Plus reliqui huic mors, quàm vita, datura fuit.
Non habuit viuus calcem, quo ſiſtere poſſet:
Nunc ſpatium extincti grande cadauer habet.
Nec natos fraudaſſe bonis credatur auitis.
Quod pater huic, natis ipſe reliquit idem.



Digitized by Google

## CLXXXIX.

### *PHŒBI LIBERTI.*

*Apud Pith. pag. 104. & Grut.* DCCCCL. 7.

HIc ſitus eſt quondam *Gelli* pars maxima, *Phœbus*:
Adfectus omnes poſſidet iſte lapis.
Vix conſummauit ſeptem quinquennia luſtri,
Oſcula feruentem nec tenuere animam.
Quod ſi mutari potuiſſent fila ſororum,
Gauderet condi *Maximus* hoc tumulo.

## CXC.

### *PHYLLIDIS.*

*Auct. Ouidio in eius Epiſtolâ ad Demoph.*

INſcribêre meo cauſa inuidioſa ſepulcro,
Aut hoc, aut ſimili carmine notus eris:
*Phyllida Demophoon letho dedit, Hoſpes, amantem:*
*Ille necis cauſam præbuit, ipſa manum.*

## CXCI.

### *PLAVTI COMOEDIARVM SCRIPTORIS.*

*Apud A. Gellium lib. 1. c.* XXIV.

POſtquam eſt mortem aptus *Plautus*, Comœdia luget,
Scena eſt deſerta: dein Riſus, Ludu', Iocúſque,
Et Numeri innumeri, ſimul omnes collacrymarunt.

## CXCII.

### *POLYDORI.*

*Auct. D. Magno Auſonio.*

CEde procul, myrtúmque iſtam fuge neſcius hoſpes,
Telorum ſeges eſt ſanguine adulta meo.
Confixus iaculis, & ab ipsâ cæde ſepultus,
Condor in hoc tumulo bis *Polydorus* ego!
Scit pius *Æneas*, & tu *Rex* impie: quòd me
*Thracica* pœna premit, *Troica* cura tegit.

Digitized by Google

CXCIII.

*POLYXENÆ.*

*Auct. Auſonio.*

TRoas *Achilleo* coniuncta *Polyxena* buſto
Malueram nullo ceſpite functa tegi.
Non bene diſcordes tumulos miſcetis, Achiui,
Hoc violare magis quam ſepelire fuit.

CXCIV.

*POPILIÆ FELICVLÆ MENOPHILVS.*

*Apud Pith. pag 122.*

HVnc tibi nunc titulum ſtatuo gratiſſima coniux,
Luctuoſúmque mihi, qui ſcio quid fueris.
Extremum officium quoniam tibi reddere cogor,
Et merito hoc fieri teſtis & ipſe loquor.
Nunc vos conteſtor *Manes*, quibus oſſa relinquo:
Tellus huic tumulo ne grauis eſſe velis.

CXCV. CXCVI. CXCVII. CXCVIII. CXCIX.

*POMPEI ET FILIORVM.*

*Libro tertio Pithœanæ collectionis pag.* 87.

MEmbra Pater *Libyco* poſuit male tecta ſepulcro:
Filius *Hiſpanâ* eſt vix adopertus humo:
*Sexte Aſiam* ſortite fines, diuiſa ruina eſt;
Vno non potuit tanta iacere ſolo.

*Aliud.*

ALter *Niliaco* tumulo iacet, alter *Ibero*:
Tertius *Eoïs* partibus occubuit.
Omnis habet *Magnos* mundi plaga. *Dijs* ita viſum eſt.
Partem quiſque ſuam nunc quoque victus habet,

*Aliud.*

PAtria diuerſos terrarum littore *Magnos*
Spectas compoſitos heu! ſine nominibus.

*Europáque*, *Aſiáque* ſimul, *Libyáque* ſepultos,
Victores victâ nunc potiuntur humo.

*Aliud.*

DIuerſis iuuenes *Aſia* atque *Europa* ſepulchris
Diſtinet: infidâ *Magne* iaces *Lybiâ*.
Diſtribuit *Magnos* mundo *Fortuna* ſepultos,
Ne ſine *Pompeio* terra ſit vlla ſuo.

*De ſacris ad euocandum Manes Pompeij.*

Fata per humanas ſolitus pernoſcere fibras
Impius infandâ Religione *Sapor*,
Pectoris ingenui ſalientia viſcera flammis
Impoſuit, Magico carmine rupit humum.
Auſus ab *Elyſijs Pompeium* ducere campis.
Proh pudor! hoc ſacrum *Magnus* vt aſpiceret.
Stulte quid infernis *Pompeium* quæris in vmbris?
Non potuit terris ſpiritus ille premi.

CC. CCI. CCII. CCIII. CCIV. CCV.
*POMPEIORVM.*
*Apud Pithœum libro pag. 87.*

MAgne premis *Libyam*, fortes tua pignora nati
*Europam* atque *Aſiam*: nomina quanta iacent?

*Aliud.*

QVam latè veſtros duxit *Fortuna* triumphos,
Tam latè ſparſit funera, *Magne*, tua.

*Aliud.*

POmpeius totum victor luſtrauerat orbem;
At rurſus toto victor in orbe iacet.

*Aliud.*

AVt *Aſia* aut *Europa* tegit, aut *Africa Magnum*.
Quanta domus, toto quæ iacet orbe, ruit?

*Aliud.*

MAxima ciuilis belli iactura ſub ipſo eſt.
Quantus quàm paruo vix tegeris tumulo?

Digitized by Google

*Lucanus extremo libro* VIII. *Pharſalia breue Magni Pompeij elogium pluribus verſibus inſeruit, quos hic iuuat adſcribere.*

OSſa —— ſemiuſta rapit, congeſtáque in vnum
Paruâ clauſit humo. Tum ne leuis aura retectos
Auferret cineres, ſaxo compreſſit arenam;
Nautáque ne buſtum religato fune moueret,
Inſcripſit ſacrum ſemiuſto ſtipite nomen.
HEIC SITVS EST MAGNVS. Placet hoc *Fortuna* ſepulcrum
Dicere *Pompeij*, quo condi maluit illum,
Quâm terrâ caruiſſe *Socer*: temeraria dextra
Cur obicis *Magno* tumulum, Maneſque vagantes
Includis? ſitus eſt quâ terra extrema refuſo
Pendet in Oceano: *Romanum* nomen, & omne
Imperium *Magno* eſt *tumuli modus*, obrue ſaxa
Crimine plena Deûm: ſi tota eſt *Herculis OEte*,
Et iuga tota vacant *Bromio Nyſeia*, quare
Vnus in *Ægypto Magno* lapis? omnia *Lagi*
Rura tenere poteſt, ſi nullo ceſpite nomen
Hæſerit: erremus populi, cinerúmque tuorum
*Magne* metu nullas *Nili* calcemus arenas.
Quòd ſi tam ſacro dignaris nomine ſaxum,
Adde actus tantos monumentáque maxima rerum:
Adde truces *Lepidi* motus, *Alpináque* bella,
Armáque *Sertori* reuocato *Conſule* victa,
Et currus quos egit eques: commercia tuta
Gentibus, & pauidos *Cilicas* maris. Adde ſubactam
Barbariem, gentéſque vagas, & quidquid in *Euro*
Regnorum, *Boreáque* iacet. Dic ſemper ab armis
Ciuilem repetiſſe togam: ter curribus actis
Contentum patriæ multos donaſſe triumphos.
Quis capit hæc tumulus? ſurgit miſerabile buſtum
Non vllis plenum titulis, non ordine tanto

Digitized by Google

Faſtorum: ſolitúmque legi ſuper alta *Deorum*
Culmina, & exſtructos ſpoliis hoſtilibus arcus,
Haud procul eſt imâ *Pompey* nomen arenâ,
Depreſſum *tumulo*, quod non legat Aduena rectus,
Quod niſi monſtratum *Romanus* tranſeat *Hoſpes*.
——————————— Nil iſta nocebunt
Famæ buſta tuæ. Templis auróque ſepultus
Vilior vmbra fores: nunc eſt pro Numine ſummo
Hoc tumulo *Fortuna* iacens: auguſtius aris
Victoris *Lybico* pulſatur ab æquore ſaxum.
Proderit hoc olim, quòd non menſura ſepulcri
Ardua marmoreo ſurrexit pondere moles.
Pulueris exigui ſparget non longa vetuſtas
Congeriem, buſtumque cadet, mortiſque peribunt
Argumenta tuæ. Veniet felicior ætas,
Quâ ſit nulla fides ſaxum monſtrantibus illud.
Atque erit *Ægyptus* populis fortaſſe nepotum,
Tam mendax *Magni* tumulo, quâm *Creta Tonantis*.

*Tum quæ leguntur initio libri Noni.*

AT non in *Pharia Manes* iacuere fauillâ:
Nec cinis exiguus tantam compeſcuit *Vmbram*:
Proſiluit buſto, ſemiuſtáque membra relinquens
Degeneremque rogum ſequitur conuexa Tonantis.

*Cetera quiuis commodè legere poterit indicatis locis.*

CCVI. CCVII.

*PORCII CATONIS.*

*Apud Pithœum pag. 87.*

NE mirere ſacri deformia buſta *Catonis*.
Viſuntur magni parua ſepulcra *Iouis*.

*Alterum incerto quoque Auctore.*

CErne hic oſſa ſacri ſemper veneranda *Catonis*.
Libertate potens, animóque inuictus & armis,
Auius incerto peragrauit tramite *Syrtes*.
Libertatis enim dulcedine captus auitæ,

Ne ſua ſeruitio premerentur colla Tyranni,
Fortia crudeli penetrauit pectora ferro.

## CCVIII. CCIX.

## *PRIAMI.*

*Auct. D. Magno Auſonio.*

HIc *Priami* non eſt tumulus, nec condor in iſtâ
  Sede, caput *Danaï* diripuere meum.
Aſt ego cùm lacerum ſine nomine funus haberem,
  Confugi ad cineres *Hectoreos* genitor.
Illic, & natos, *Troiámque*, *Aſiámque* ſepultam
  Inueni: & noſtrum quidquid vbique iacet.

*Alterum eiuſdem.*

QVi tumulum *Priami* quærit, legat *Hectoris* ante:
  Ille meus; nato quem priùs ipſe dedi.
*Hectoris* & patris ſimul eſt commune ſepulcrum.
  Amborum quoniam iuncta ruina fuit.

## CCX.

## *L. PRIMIGENII MEDICI.*

*Iguuij apud Vmbros effoſſum, & à Petro Marieno ſibi miſſum exhibet Sirmondus noſter in Notis ad Epiſtolam XII. libri II. Sidonij.*

*L. SABINVS. L. L. PRIMIGENIVS.*

ORtus ab *Iguuio* Medicus fora multa ſecutus
  Arte feror notâ, nobiliore fide.
Me conſurgentem validâ *Fortuna* iuuentâ
  Deſtituit, rapidis impoſuítque rogis.
*Cluſino* cineres flammæ ceſſere ſepulcro,
  Patronus patrio condidit oſſa ſolo.

Digitized by Google

## CCXI.

## PROBINÆ GRACELI MARITVS.

*Gruterus* MLVIII. I. & *Pith. pag.* 120.

PErpetuas ſine fine domos mors incolit atra,
Alternóſque leuis poſſidet Vmbra lares.
Vita ſubit cælum, corpus tellure tenetur,
Omnia ſic repetunt iura locóſque ſuos.
Sic rerum natura iubet, ſic temporis ordo;
Quæ modò ſunt, pereunt; quæque futura, cadent.
Suſcipe nunc coniux, ſi quis poſt funera ſenſus,
Debita ſacratis *Manibus* officia.
Multorum inuidia tandem caruiſſe memento,
Nequicquam paueas, templa quietis habens.
Hic *Probina* iacet *Gracelis*, citò rapta, marito
Diebus paucis vix commodata ſuo.
Inuida ſors rerum, fatis quid mergis acerbam?
Nec te coniugij nouus flectit amor!
Heu miſeranda nimis auſpiciis iuncta ſiniſtris!
Quo fato traderis, hoc ſeuiente peris.
Quid *Probina* proſunt fecunda viſcera tibi
Concepis affectum luctum teipſa parit.
Nil te damna nocent, communis funere lethi
Cum tuus in noſtro pectore viuat amor.

*Hæc fuit in luce iſtâ annos XVII. m. X. d. XX. in quibus cum marito vixit dies centum, ægrotauit dies XXXX. verè quieuit cum pace.* Emendatos verſus exhibuit Pithœus, nos Gruteri Theſaurum expreſſimus.

## CCXII. CCXIII.

## PROCVLI.

*Gruterus Theſ. inſcript. Antiq.* CCCLXI. 2.

ILle ego ſum *Proculus* totus qui natus honori,
Aut dic, quid ſit honos, quem mihi ineſſe negas?

*Alterum.*

HIc bis *Præfectus* patriæ, *Præfectus*, & idem
Hic *Libyes*: idem *Libyes Proconſul*, & ante
Ter vice qui ſacrâ diſcinxit iurgia Iudex,
Conſul & æterno decorauit nomine faſtos.
Cætera quid memorem tanto ſub Iudice geſta?
Cum *Proculum* videas toto qui natus honori eſt.

CCXIV.

*SEX. AVR. PROPERTII.*

*Ex elegiâ libri II.*

DEinde vbi ſuppoſitus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat *Manes* paruula teſta meos:
Et ſit in exiguo laurus ſuperaddita buſto,
Quæ tegat extincti funeris vmbra locum.
Et duo ſint verſus: *Qui nunc iacet horrida puluis,*
*Vnius hic quondam ſeruus Amoris erat.*
Nec minus hæc noſtri noteſcet fama ſepulcri,
Quàm fuerant *Phthij* buſta cruenta viri.

CCXV.

*PROTESILAI.*

*Auctore D. Magno Auſonio.*

FAtale adſcriptum nomen mihi *Proteſilao*:
Nam primus *Danaûm* bello obij *Phrygio*.
Audaci ingreſſus *Sigeia* littora ſaltu,
Captus pellacis *Laertiada* inſidiis.
Qui ne *Troiana* premeret pede littora terræ,
Ipſe ſuper proprium deſiliit clypeum.
Quid queror? hoc lethum iam tum mea fata canebant,
Tale mihi nomen quùm pater impoſuit.

CCXVI.

*C. PVBLICII PROCVLEIANI.*

*Pith. pag. 182.*

TEmpera iam genitor lacrymis, túque optima
mater

Digitized by Google

Deſine iam flere. Pœnam non ſentio mortis.
Pœna fuit vita, requies mihi morte parata eſt.

CCXVII.

C. PVBLICII.

*Gruterus pag. 991. 6.*

TEmpore ſupremo fauſtè ſit tibi terra leuis. Si perlegiſti venias licet, & requieſcas. Abnuis: fruſtra. Hæc domus, hæc requies omnibus vna manet. Huc veniendum inquam .......

CCXVIII.

PVERI A MATRE MACTATI.

*Apud Pith. pag. 133.*

TE peperi, te nate alui, preſſi vbera nate,
Scilicet vt mater te gladio feriam?
Ambos in partu *Lucina* irata tuliſſet,
Cur non diſciſſis ilibus interij?
Hiſcite, quid ſtatis, terræ: ruat arduus æther:
In caput, in me omnis Tartarus exiliat.
Quo nos dira fames compellit? vos ne poteſtis
Aſpicere hæc æquis ſidera luminibus?
Nate petes iterum infelicis viſcera matris,
Te pietas celebrem, me feret impietas.

CCXIX.

PVERI STILLICIDIO IVGVLATI.

*Martialis libro* IV.

QVà vicina pluit *Vipſanis* porta columnis,
Et madet aſſiduo lubricus imbre lapis:
In iugulum pueri, qui roſcida tecta ſubibat,
Decidit hiberno prægrauis vnda gelu.
Cùmque peregiſſet miſeri crudelia fata,
Tabuit in calido vulnere mucro tener.
Quid non ſæua tibi voluit *Fortuna* licere?
Aut vbi mors non eſt, ſi iugulatis aquæ?

CCXX.

Digitized by Google

## CCXX.

### PVERI.

*Fani extare dicitur à Pithœo in prætermiſſis.*

LEge æuiternâ traditus letho puer
Bis octo in annis, hocce ſub tumulo iacet:
Quem cuncta fleuit turba, multò plus herus,
Speciem obtinentem moribus cùm vinceret.
Hic *Phocaenſium* ciuis patrio in ſolo,
Nunc *Italorum Ditis* intra terminos
Nomen tenebit *Iſidis* nati puer.

## CCXXI. CCXXII.

### PVERI.

*Apud Pithœum p. 106.*

FVnere non æquo puer immaturus obiui,
Marmoreiſque meis hîc iaceo tumulis.
Non potui paruus puerilem implere iuuentam,
Nec veſtire meam flore nouo faciem:
Non ſenior capiti niueos mutare capillos:
Ac fato victus ſorte puer perij.
Heu crudele nefas, quæ me generauerat hora,
Hæc eadem vitæ terminus hora fuit.

*Alterius.*

NOn ego, quòd perij, doleo: ſed paruulus infans:
Quod cùm plus ſaperem, ſpem merui dubiam.
Si vitâ incolumi potuiſſem vincere fata,
Creuiſſet generis gloria magna mei.
Fortuna inuiſa eſt, ſpes & fruſtrata iacentem:
Mors dura eripuit, dira quies hominum.

## CCXXIII.

### PVPPII POETÆ.

*Apud Pith. p. 85.*

FLebunt amici & bene ; oti morte in meâ.
Nam populus etiam viuo me lacrimatus eſt.



Digitized by Google

## *CCXXIV.*

## PYRRHI NEOPTOLEMI.

*Auct. Auſonio.*

ORbe tegor medio, maior virtute paternâ,
Quòd puer & Regis *Pyrrhus* opima tuli.
Impius ante aras quem fraude peremit *Oreſtes*,
Quid mirum, cæſa iam genitrice furens?

## *CCXXV.*

## *REMI ET ARCONTIÆ GALL.*

*Ex marmoreâ tabulâ ad Vrbem haud procul à Conſtantina mauſolæo effoßâ exhibet Sirm. ad Ennodium.*

HÆc tenet vrna duos ſexu ſed diſpare fratres,
Quos vno *Lacheſis* merſit acerba die.
Ora puer dubiæ ſignans lanugine veſtis,
Vix hiemes licuit cui geminaſſe nouem.
Nec thalamis longinqua ſoror trieteride quintâ
*Tanarias* crudo funere vidit aquas.
Ille *Remi* latio fictum de ſanguine nomen,
Sed *Gallos* claro germine traxit auos.
Aſt hæc *Graiugenam* reſonans *Arcontia* linguam
Nomina Virgineo non tulit apta choro.
*Depoſiti Nonis Nouemb. Conſul. Dioſcori V. C.*

## *CCXXVI.*

## RVBRIÆ TERTVLLIÆ REFANIVS MACR.

*Gruterus* DCCCXXIII. *1. & Pithoeus p. 113.*

L*Iuia* me tellus aluit, geminámque ſororem,
Egregio de patre ſatam ſanctâ genitrice.
Cara fui caſto bene iuncta pudica marito,
Inuida ſed fati lex reddidit irrita vota:
Et tantum miſeræ ſolatia liquit amanti,
Conjugis in manibus licuit, quòd reddere vitam

## CCXXVII.

### RVFI.

*Martialis, libro VI.*

FVnde tuo lacrymas orbata *Bononia Ruſo*;
Et reſonet totâ planctus in *Æmiliâ*.
Heu qualis pietas! heu quàm breuis occidit ætas!
Viderat *Alphei* præmia quinque modò.
Pectore tu memori noſtros euoluere luſus,
Tu ſolitus totos, *Rufe*, tenere iocos.
Accipe cum fletu mœſti breue carmen, amice,
Atque hæc abſentis thura fuiſſe puta.

## CCXXVIII.

### RVFI VIRGINII.

*Apud Pith. p. 85.*

HIc ſitus eſt *Rufus*, pulſo qui Vindice quondam,
Imperium aſſeruit non ſibi, ſed patriæ.

## CCXXIX.

### SABELLI.

*Romæ.*

OPtime mutaſti vitam cum morte, *Sabelli*
Vita ſed eſt potius morte ſecuta tuâ.
Nunc etenim viuis: nunc & felicius æuum
Ducis, ab humanâ conditione procul.
Nunc & in excelsâ cœli regione locatus
Cum ſuperis nectar paſcis, & ambroſiam.

## CCXXX.

### SABI PONTICVS.

*Pithœus, p. 121.*

DOcta lyrâ, grata & geſtu, formoſa puella,
Hâc iacet æternùm *Sabis* humata domo.
Cuius fatales penſare optauerit horas
*Ponticus*, huic conjux vltima dona dedit.



Digitized by Google

CCXXXI.

*SALONINI.*

*In Val. Martialis, libro VI.*

SAncta *Salonini* terris requieſcit *Iberis*,
Quâ melior *Stygias* non videt Vmbra domos.
Sed lugere nefas: nam qui te, *Priſce*, reliquit,
Viuit, quâ voluit viuere parte magis.

CCXXXII.

*SARDANAPALI.*

HÆc habeo quæ edi, quæque exſaturata libido
Hauſerat, illa manent pulcra & præclara relicta.

CCXXXIII.

*SARPEDONIS.*

*Auct. Auſonio.*

SArpedon Lycius, genitus *Ioue*, numine Patris
Sperabam cælum: ſed tegor hoc tumulo,
Sanguineis fletus lacrymis; Proh ferrea fata!
Et patitur luctum qui prohibere poteſt?

CCXXXIV.

*SATVRNINÆ.*

*Apud Pith. p. 117. & Grut.* DCLIV. 5.

IMmatura quies quos abſtulit, hic ſiti ſunt tres,
Mater cum paruis pignoribus geminis.
*Pollia Saturnina* parens triginta per annos
Vixit, & enituit, docta ſonare melos.
Octo puer *Titus*, proles citò rapta, *Philippus*,
Et fratri tenero Karior vna ſoror,
*Ælia Saturnina* obiit, vno inſuper anno:
Nec ſaltus vitam protulit, aut choreæ.

CCXXXV. CCXXVI.

*P. SCIPIONIS AFRICANI.*

*Auctore Q. Ennio apud Pith. p. 85.*

HEic eſt ille ſitus, quei nemo ciui, neque hoſtis,
Quibit pro factis reddere opræpretium.

Digitized by Google

*Alterum eodem Auctore.*

A *Sole* exoriente ſupra *Mæoti'* paludes
Nemo eſt, qui ſatis me æquiparare queat.
Si fas endo plagas cæleſtum ſcandere quoiquam,
Mi ſolei cælei maxuma porta patet.

*CCXXXVII.*

## SCIPIONIS IVNIORIS.

*Apud Pithœum pag. 87.*

DEuicto *Hannibale*, & captâ *Carthagine* & aucto
Imperio, hoc cineres marmore *Tagus* habes.
Cui non *Europe*, non obſtitit *Africa* quondam.
Reſpice res hominum quàm breuis vrna tegat.

*CCXXXVIII.*

## SCORPI AGITATORIS CVRRVVM.

*Martialis, libro X.*

FRangat *Idumaas* triſtis *Victoria* palmas:
Plange *Fauor* ſæuâ pectora nuda manu.
Mutet *Honor* cultus, & iniquis munera flammis,
Mitte coronatas *Gloria* mœſta comas.
Heu facinus! primâ fraudatus, *Scorpe*, iuuentâ
Occidis, & nigros tam citò iungis equos.
Curribus illa tuis ſemper properata, breuiſque;
Cur fuit & *Vita* tam prope *Meta* tuæ?

*CCXXXIX.*

## SENARII.

*Pithœus exhibet pag. 108.*

ILle ego ſum mundi quondam ſine fine Viator,
*Senarius*, membris tumulo, non nomine clauſus.
Principis inuicti ſemper ſublimis amore;
Cuius in orbe fui vox *Regum*; lingua ſalutis,
Fœderis orator, pacis via, terminus iræ,
Semen amicitiæ, belli fuga, litibus hoſtis.
Nouit & hoc oriens, hoc vltimus axis *Iberi*,
Hoc ſcit bruma rigens, ſcit & *Africa* Solibus vſta,



Digitized by Google

Bis denas & quinque ſimul legatio noſtra
Signat in orbe vias, & nunquam ſtrata labore.
Curſus erat volucer: namque anno peruigil vno
Bis maris *Oceani*, bis *Pontica* littora vidi,
*Europámque Aſiámque* ſequens duo limina mundi.
His etiam meritis ſociauimus agmen honorum
Aulica quippe *Comes* rexi patrimonia clarus,
Et mea *Patricio* fulſerunt cingula cultu,
Me pietas, me ſancta fides, me fouit honeſtas.
Secla canant titulos, nam moribus aſtra tenemus.

*CCXL.*

## SENIS.

*Apud Pith. pag. 108.*

FVnctus honorato Senio, plenúſque dierum
Euocor ad ſuperos. Pignora quid gemitis?
Reddere depoſitum lex eſt: ideóque petenti
Corpus humo, manes reſtituóque polo.
Sumite quod veſtrum eſt, inſignia, iura, parentis
Scilicet & titulos: plus ſatis vrna mihi hæc.

*Lugduni extare primum dumtaxat diſtichon docet ex Ioſepho Scaligero Gruterus Theſ. inſcript. p.* DCCXLVIII. 8.

*CCXLI.*

## SERVILIÆ CHRYSES.

*Ibidem, p. 123.*

S*Eruilia Eirene*, reuerens, pia, caſta, pudica,
Bis quinos denos & ſex prouecta per annos:
Sit tibi terra leuis, cineres quoque flore tegantur.

*CCXLII.*

## SEVERI SILII.

*M. Val. Mart. libro* IX.

FEſtinata ſui gemeret cùm fata *Seueri*
*Silius*, *Auſonio* non ſemel ore potens:
Cum grege *Pierio* mœſtus *Phœbóque* querebar.
Ipſe meum fleui, dixit *Apollo*, *Linon*.

Digitized by Google

Reſpexítque ſuam, quæ ſtabat proxima fratri,
*Calliopen*, & ait: tu quoque vulnus habes.
Adſpice *Tarpeium*, *Pallatinúmque Tonantem*:
Auſa nefas *Lacheſis* læſit vtrumque *Iouem*.
Numina cum videas duris obnoxia fatis,
Inuidiâ poſſis exonerare *Deos*.

CCXLIII.

*SORANI MILITIS BATAVI HADR. IMP.*

*Apud Pith. p. 105. & in Antiquis inſcrip.* DLXII. 3.

ILle ego *Pannonÿs* quondam notiſſimus oris,
Inter mille viros primus, fortíſque *Batauos*,
*Hadriano* potui qui iudice, vaſta profundi
Æquora *Danubÿ* cunctis tranſnare ſub armis:
Emiſſumque arcu dum pendet in aëre telum,
Et redit, ex aliâ fixi fregíque ſagittâ.
Quem neque *Romanus* potuit, neque *Barbarus* vnquam,
Non iaculo miles, non arcu vincere *Parthus*,
Hic ſitus, hoc memori ſaxo mea facta ſacraui.
Viderit, anne aliquis poſt me mea fata ſequatur:
Exemplo mihi ſum, primus qui talia geſſi.

CCXLIV.

*SVCCESSO POSVIT MATER.*

*Caſia Gemella.*

QVod fas parenti facere debuit filius,
Mors immatura fecit, vt faceret parens.

*Plura vide in Antiquis Gruteri inſcrip.* DCCVII. 8.

CCXLV. CCXLVI.

*SVLPITII IVVENIS.*

*Apud Pith. p. 106.*

SI iuuenis, ſi vir peccat, ſi numina temnunt,
Et claudunt fatum ſæpiùs ante diem:
Arbiter hæc æui rectè diſpenſat: at vrna hæc
*Sulpitÿ* pueri mœſta tegit cineres.



Digitized by Google

*Alterius. Vide Gruterum p.* DCCXVIII. 3.

NEc tibi, nec nobis æternùm viuere ceſſit.
Quod pueri occidimus, fata dolenda putas?
Dum ſis in vitâ, dolòr eſt amittere vitam:
Dum ſemel occidimus, omnia deſpicias.
Orbem ſub leges ſi habeas, dum viuis; ad ortum
Quid valet? hic nulla eſt diuitis ambitio.

CCXLVII.

*SYMPHERVSÆ ALVMNÆ*
*Vettia Megiſte & Vettius Oneſimus. Apud Pith. pag.* 137. *& Grut.* DCLIX. 7.

NOta, ſed in lacrymis ſolùm dolor omnib⁹ inſtat,
Hic ſita ſum, vixi, tempus inane meum.
Annus erat vitæ primus, mox deinde ſecundi
Liminibus rapuit me ſibi *Perſephone.*

CCXLVIII.

*TARQVITIÆ MODESTÆ.*
*Apud Pith. p.* 112.

HÆc fuit eximia ſpecie miróque decore,
Membráque erant verè corpore digna ſuo.

CCXLIX.

*TECLÆ.*
*Ibidem, pag.* 123.

HIc erepta iacet ſupremo funere conjux,
Nomine *Tecla*: mihi quæ caro pectore prægnās
Emiſit geminum pignus, ſi fata dediſſent:
Crudelis tabes conſortem ſuſtulit vnum.

*Aliter primum verſum expreſſit Gruterus* DCCCXXXII. 3. *& in alijs tribus nonnulla immutauit. Dicitur eſſe Romæ in Templo S. Agnetis, viâ Nomentana.*

CCL.

*TELEPHI PVERI.*
*Apud Gruterum,* DCCVIII. 8.

NOmine quo genitor mihi dicitur, hoc ego vixi.
*Thelephus* eſt genitor, *Thelephus* ipſe fui.

Digitized by Google

*Auguſtina* parens quarto me flebilis anno
Terdecimóque die perdidit orba ſatum.
Non igitur, Lector, lacrimes; decepit vtroſque
Maxima *mendacis* fama *Mathematici*.

CCLI.

*P. TERENTII.*

*Apud Pithœum p. 86.*

NAtus in excelſis tectis *Carthaginis* altæ,
*Romanis* ducibus bellica præda fui.
Deſcripſi mores hominum, iuuenúmque, ſenúmque,
Qualiter & ſerui decipiant Dominos.
Quid meretrix, quid Leno dolis, quid fingat auarus.
Hæc quicunque legit, ſic, puto, cautus erit.

CCLII.

*THRACIS PVERI.*

*In Catalectis Virgilij, apud Pithœum, alioſque.*

THrax puer aſtricto glacie cum luderet *Hebro*,
Frigore concretas pondere rupit aquas.
Dúmque imæ partes rapido traherentur ab amne
Abſcidit heu! tenerum lubrica teſta caput.
Orba quod inuentum mater dum conderet vrnâ,
Hoc peperi flammis, cetera, dixit, aquis.

CCLIII.

*TROILI.*

*Auct. Auſonio.*

H*Ectore* proſtrato nec *Dijs*, nec viribus æquis
Congreſſus rigido *Troïlus Æacidæ*,
Raptatus bigis fratris coniungor honori;
Cuius ob exemplum nec mihi pœna grauis.

CCLIV.

*M. TVLLII CICERONIS.*

*Auctore Euphorbo Scholaſtico.*

HIc iacet *Arpinas* manibus tumulatus amicis,
Qui fuit Orator ſummus & eximius.

Digitized by Google

Quem nece crudeli mactauit ciuis, & hoſtis?
Nil agis, *Antoni*, ſcripta diſerta manent.
Vulnere nempe vno *Ciceronem* conficis: at te
*Tullius* æternis vulneribus lacerat.

*Scripſerunt in eamdem rem & alij* XI. *Scholaſtici Iulianus, Hilaſius, Palladius, Aſclepiadius, Euſthenius, Pompeianus, Maximianus, Vitalis, Romanus, Aſmenus & Baſilius: quorum hexaſticha habes in collectione Pithœana pag. 90.*

## CCLV.

### C. *TVTILII RVFINI.*

*Ianus Gruterus Theſ. inſcript.* MCXIX. 4.

C*Aius Tutilius Rufinus* nominor ille
Annos qui vitæ linquo nouem atque decem.
Heu ſcelus! heu crudele nefas facinúſque tremendum!
Compatiare, vides, quàm miſer eſt genitor.
Qui me conſpexit moribundum, qui mea clauſit
Lumina diuerſis ætatis vicibus.
Quos non ille prius, quâ non ego voce, rogaui
Infelix ſuperos, nec valuere preces.
Sed vis maior agit mortis, iam iámque parens, aut
Mecum ſemper eris, aut dolor vna obiet.

*Hoc ſepulcrum T. FL. Eutychianus M. M. Rufini alumni ſui Fec.*

## CCLVI.

### C. *VALERIVS CATVLLVS VERON.*

*Sic Fratrem mortuum lamentatus eſt.*

MVltas per gentes & multa per æquora vectus
Aduenio has miſeras, Frater, ad inferias:
Vt te poſtremo donarem munere mortis,
Et mutum nequicquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem *Fortuna* mihi tete abſtulit ipſum,
Heu miſer indignè Frater adempte mihi?

Digitized by Google

Nunc tamen interea priſco quæ more parentum
Tradita ſunt triſtes munera ad inferias,
Accipe Fraterno multùm manantia fletu:
Atque in perpetuum Frater Aue, atque Vale.

## CCLVII.

### *VRBICI PVERI.*

*Martialis libro* VII.

COnditus hic ego ſum *Baſſi* dolor, *Vrbicus* infans,
Cui genus & nomen maxima *Roma* dedit.
Sex mihi de primâ deerant trieteride menſes,
Ruperunt tetricæ cum mala penſa *Deæ*.
Quid ſpecies, quid lingua mihi, quid profuit ætas?
Da lacrymas tumulo, qui legis iſta, meo.
Sic ad *Lethæas*, niſi *Neſtore* ſerior, vndas
Non eat, optabis quem ſupereſſe tibi.

## CCLVIII. CCLIX.

### *VERNÆ PVERI.*

*Pithœus pag.* 140. *Grut. in ſpuriis* XVII. I.

VErna puer, puer ô mi verna, quis ah, quis ab aurâ
In tenebras rapuit perditus? ah morerer,
Ni tecum aſſiduè loquerer, ni ſæpe iocando
Fallerer, hinc tecùm continuò aſpicio.
Semper ero tecum, & ſi me ſopor occupet, vmbram
Te vmbra petam: ergo vmquam ne metue abs te abeam.

*Alterius.*

SI fructus propria ſubdit de germine tellus
Si reparat ſparſis debita ſeminibus:
Naſcentur tumulo formæ, noua meſſis, honores,
Et lepor, & ſuauis gramina nequitiæ.

Digitized by Google

CCLX.

*VESPASIANI ET TITI.*

*Romæ in S. Sabina, vt aiunt.*

I Nunc & rebus fidas Romane ſecundis,
Cuncta breui cum ſint interitura die.
Orbis delitias & *Titum* & *Veſpaſianum*
Terrarum Dominos hæc capit vrna duos.

CCLXI.

*TITI VESPASIANI.*

*Ex Auſonij Cæſaribus.*

FElix imperio, felix breuitate regendi,
Expers ciuilis ſanguinis, orbis amor.
Vnum dixiſti moriens te crimen habere.
Sed nulli de te, non tibi, credidimus.

CCLXII.

*VETVRIÆ BELLÆ.*

*Pith. p. 182. Gruterus* DCCXIV. 6.

HEu! poſitæ gnatæ triſtes poſuere parentes.

CCLXIII.

*VIBIÆ LATINÆ VIBIVS PATER.*

*Antiqua inſcript. M. 9.*

QVæ tibi cumque mei potuerunt pignora amoris,
Nata dari populo ſunt lacrymante data.
Et volui maiora, nimis ſed cura meorum
Fida tui prohibet me cinerem eſſe rogi.

CCLXIV. CCLXV. CCLXVI. CCLXVII.

*P. VIRGILII MARONIS.*

*Ipſomet, dum vixit, auctore.*

M*Antua* me genuit, *Calabri* rapuere, tenet nunc
*Parthenope*. Cecini *Paſcua, Rura, Duces.*

*In illud argumentum ſcripſerunt duodecim Diſticha totidémque Tetraſticha inſignes Scholaſtici veteres, quorum nomina ſupra in Tullio retulimus. Adi collectionem Pithoeanam p. 92. ex ſequentibus vnum alterúmue ſeligo.*

*Vitalis*

M*Antua* mi patria eſt: nomen *Maro*: carmina *Silua*,
*Rurâque* cum *Bellis*: *Parthenope* tumulus.

*Hilaſij.*

HÆc tibi *Virgilius*, domus eſt æterna ſepulto,
Qui mortis tenebras effugis ingenio.
*Manalium* carmen qui profers ore *Latino*,
Et cultus *Segetum*, belláque ſæua *Ducum*.

EIVSDEM VIRGILII A PENTADIO,

*Ex infinitis ſelectum.*

PAſtor, Arator, Eques: Paui, Colui, Superaui:
Capras, Rus, Hoſtes: Fronde, Ligone, Manu.

*Et en François.*

P*Aſtre, Ruſtic, Guerrier: I'ay nourry, beſché, & mis bas:*
*Cheures, Champs, Ennemis: de Feuilles, de houë, & de bras.*

CCLXIII.

VLYXIS.

*A D. Magno Auſonio.*

COnditus hoc tumulo *Laërtâ* natus *Vliſſes*.
Perlege *Odyſſean*, omnia noſſe volens.

CCLXIX.

VMMIDIÆ ET PRIMIGENI.

*Gruterus* DCCCXCV. 10. *ex Fuluio Vrſino in Varr.*

V*Mmidia* manes tumulus tegit iſte, ſimúlque
*Primigeni* vernæ, quos tulit vna dies.
Nam *Capitolinæ* compreſſi examine turbæ
Supremum fati competiere diem.

CCLXX.

XANTIPPES SIVE IAIÆ.

*Theſ. inſcript. Gruteri* DCLX. 1.

SEu mortis miſeret, ſeu te vitæ, perlege.
Nomen *Xantippe Iaia*, eædem ludicro

Digitized by Google

Quod exprimens dolore fugit anima corpore.
Hic conquieſcit cunis terræ mollibus;
Quam trino annorum filo proterentiâ
Nouem poſt menſum fata conficiunt malo
Lues ignita torret noctes & dies.
Venuſta, amœna, ineptiens & garrula.
Quam ſi quæ pietas inſita eſt cæleſtibus
Viuenti ingenio ſoli & luci reddite
Altoris memorem, quem parentes dixerant
Cum primùm natuſt, *Lucilianum Caſſium.*

ΟΥτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων.

*Neque omnia, neque paſſim, neque ab omnibus.*



# SELECTORVM EPITAPHIORVM THESAVRI PARS SECVNDA.

CHRISTIANA, pia, ſeria, ingenioſa; quæ à primis naſcentis Eccleſiæ temporibus ab Auctoribus Chriſtianis conſcripta ſunt ante ducentos circiter annos, Leoninis, Rhythmiciſque peculiarem in locum ſepoſitis.

## I.

## *S. ABRAHAMI ABBATIS.*

*Auctore Sidonio Aruern. Ep. libri* VII. *Ep.* XVII.

A*Braham* ſanctis merito ſociande patronis
Quos tibi collegas dicere non trepidem:
Nam ſic præcedunt, vt mox tamen ipſe ſequare:
Dat partem regni portio martyrij.
Natus ad *Euphratem* pro *Chriſto* ergaſtula paſſus,
Et quinquennali vincula laxa fame;
Elapſus Regi truculento *Suſidis* oræ,
Occiduum propulit ſolus ad vſque ſolum.

Digitized by Google

Sed confeſſorem virtutum ſigna ſequuntur:
Spiritibúſque malis fers, fugitiue, fugam.
Quáque venis, *Lemurum* ſe clamat cedere turba:
*Dæmonas* ire iubes exul in exilium.
Expeteris cunctis, nec te capit ambitus vllus:
Eſt tibi delatus plus oneroſus honor.
*Romuleos* refugis *Byzantinóſque* fragores,
Atque ſagittifero mœnia fracta *Tito*,
Murus *Alexandri* te non tenet, *Antiochique*,
Spernis *Eliſea Byrſica* tecta domus.
Rura paludicolæ temnis populoſa *Rauennæ*,
Et quæ *Lanigero* de *Sue* nomen habent,
Angulus iſte placet paupertinuſque receſſus,
Et caſa cui culmo culmina preſſa forent.
Ædificas hic ipſe *Deo* venerabile templum,
Ipſe *Dei* templum corpore facte prius;
Finiti curſus iſtic, vitæque, viæque,
Sudori ſupereſt dupla corona tuo.
Iam te circumſtant paradiſi millia ſacri,
*Abraham* iam te comperegrinus habet.
Iam patriam ingrederis, ſed de qua decidit *Adam*,
Iam potes ad fontem fluminis ire tui.

II.

## *ABVNDANTII* V. I.

*Auct. Ennodio Ticinenſi Ep.*

NVmquam morte perit meritis poſt buſta ſuperſtes,
Funera ſublimem non capiunt animam.
Sanguis, honor, genius, probitas, conſtantia, cenſus
Interimunt multis dotibus exitium.
In commune bonus non ſentit damna ſepulcri,
Fila legunt *Parcæ* quæ dederant miſeris.
Pendula laſſantur quæ plebem ſtamina portant,
Fortia contingunt licia nobilibus.

Caſta

Cana venerandi renouabant ſecula mores
  Inque vicem templi pectora munda tulit.

III.

*ADAMI DE S. VICTORE CAN. REG.*

*Ipſemet ſibi ſcripſit.*

*Extat inciſum in ære in clauſtro S. Victoris.*

HÆres peccati, naturâ filius iræ,
  Exilijque reus naſcitur omnis homo.
Vnde ſuperbit homo, cuius conceptio culpa,
  Naſci pœna, labor vita, neceſſe mori?
Vana ſalus hominis, vanus decor, omnia vana,
  Inter vana nihil vanius eſt homine.
Dum magis alludit præſentis gloria vitæ,
  Præterit, imò fugit, non fugit, imò perit.
Poſt hominem vermis: poſt vermen fit cinis, heu!
  heu!
  Sic redit ad cineres gloria noſtra ſimul.
Hic ego qui iaceo miſer & miſerabilis *Adam*,
  Vnam pro ſummo munere poſco precem.
Peccaui fateor, veniam peto, parce fatenti,
  Parce pater, fratres parcite, parce *Deus*.

IV.

*ADEFONSI EP. HISPANI.*

*A Petro Pictauienſi monacho Cluniac.*

VRbs eſt *Hiſpaniæ* regionis, quam *Salamancam*
Indigenæ dicunt, hanc ordine Pontificali
Rexit *Adefonſus* tumulo præſente ſepultus.
Qui de *Concilio Remenſi* cum remearet,
Hic finem fecit pariter vitæque, viæque.

V.

*ADEODATI LEVITÆ.*

*Boſius Romæ ſubterraneæ pag. 151.*

SEdis *Apoſtolicæ Leuites* ſummus in iſtâ
  Mente petens Chriſtum membra recondit humo.



Digitized by Google

Inſignis meritis, claruſque per omnia miles,
Enituit tanti dignus honore loci.
*Adeo* ſic *datus* altaris fuit ille miniſter
Nomen vt æquaret vita decora viri.

## VI.

### ALCHVVINI SEV ALBINI ABBATIS.

*Ab ipſo dum viueret dictatum, & in laminâ areâ parieti inſertum Turonis in D. Martini. Extat quoque inter Epitaphia Rabani Mauri num. 7.*

HIc, rogo, pauxillum veniens ſubſiſte, Viator,
Et mea ſcrutare pectore dicta tuo:
Vt tua déque meis agnoſcas fata figuris,
Vertitur en ſpecies vt mea, ſícque tua.
Quod nunc es, fueram famoſus in orbe Viator,
Et quod nunc ego ſum, túque futurus eris.
Delicias mundi caſſo ſectabar amore,
Nunc cinis, & puluis, vermibus atque cibus.
Quapropter potiùs animam curare memento,
Quàm carnem: quoniam hæc manet, illa perit.
Cur tibi rura paras? quàm paruo cernis in antro
Me tenet hîc requies? ſic tua parua fiet.
Cur *Tyrio* corpus inhias veſtirier oſtro,
Quod mox eſuriens puluere vermis edet?
Vt flores pereunt vento veniente minaci,
Sic tua namque caro, gloria tota perit.
Tu mihi redde vicem, *Lector*, rogo, carminis huius;
Et dic da veniam *Chriſte* tuo famulo.
Obſecro nulla manus violet pia iura ſepulcri,
Perſonet *Angelica* donec ab arce tuba:
Qui iaces in tumulo terræ de puluere ſurge,
Magnus adeſt iudex millibus innumeris.
*Alchuuin* nomen erat *Sophiam* mihi ſemper amanti;
Pro quo funde preces mente, legens titulum.

Digitized by Google

*Aliud quoque eiuſdem Epitaphium recitat Brouuerus noſter libro 1. Antiquitatum Fuldenſium cap. 10. quod nuper adhuc cenotaphio affixum extabat in Eccleſiâ Herſfeldenſi prope Fuldam, ſed penè exeſum & in multis deformatum.*

## VII.

### *AMANDI VORMATIENSIS EPISCOPI.*

*In Templo Vormatiæ.*

PRæſul amauit oues proprias & pauit *Amandus*,
Idcircò ſuperis ſemper amandus erit.
Ille *Deum* docuit ardenter *Amandus* amandum,
Et nobis igitur ſemper amandus erit.

## VIII.

### *D. ANATHOLONIS.*

*Mediolani, ut habet Gruterus* MCLXI. *6.*

PEtri hoſpes, ſanctéque *Anatholon* domne probate,
Atque idem ſocius *Barnabæ* Apoſtolici.
Qui *Mediolani* verbi myſteria tradens
Te iubet agnatos viſere *Cenomanos*.
Dum tua membra metu rigidis ſubducta tyrannis
*Brixia* vicino detinet in loculo.
Hic titulum, & picto venerandus pariete vultus
*Miroclis* reddit Præſtitis alma fides.

## IX.

### *ANSELMI DECANI LAVDVNENSIS.*

*Tribuitur Philippo Bonæ ſpei Abbati.*

DOrmit in hoc tumulò celeberrimus ille Magiſter
*Anſelmus*, cui per diffuſi climatâ mundi
Sana fides, doctrina frequens, reuerentia morum,
Vndique notitiam contraxit & vndique laudem;
Splendida vita, manus diffundens, actio cauta,
Sermo placens, cenſurâ vigens, correctio dulcis,
Conſilium ſapiens, mens prouida, ſobria, clemens,



Digitized by Google

Sed quas larga Dei conceſſit gratia dotes,
Idibus inuiſis diſſoluit *Iulius* ater
Qua viuens viguit, comitetur gratia functum.

X.

APRI LEVITÆ.

In *Mon. Chriſtianis Gruteri* MCLXIX. 10.

HIc recubat dignus *Chriſto Leuita* ſacratus,
Totam qui ſancto tenuit moderamine vitam,
Nomine dictus *Aper Gallorum* partibus ortus.

XI.

ARNVLFI EP. LEXOVIENSIS.

In *cœnobio S. Victoris Pariſienſis.*

TV qui diues eras & magnus *Epiſcopus*, ob quod
Sortem mutaſti pauperiore ſtatu?
Immo pauperiem mutaui fœnore magno:
Mundo diues eram, plus fuit eſſe Deo.

XII.

ARSACII.

In *Monum. Chriſtianis apud Grut.* MCLXVII. 3.

INluſtris meriti recubat hoc marmore tectus
*Eccleſiæ* legíſque memor ſempérque dicatus
*Arſacius*, Domino reddens laudabile munus,
In fide *Catholica* credens conſiſtere vitam.
Pauperibus donauit opes, mortalia linquens
Membra ſolo poſuit, cæli perrexit ad aſtra.
Terdenos geminans tranſcendit curſibus annos.
Æternum lætus rediens rediuiuus in æuum,
Præmia pro meritis capiet ſub iudice iuſto.

XIII.

ATAVLPHI GOTHORVM REGIS.

*Pithœus pag. 145.*

BEllipotens valida natus de gente *Gothorum*,
Hic cum ſex natis rex *Atanlphe* iaces.

Digitized by Google

Auſus es *Hiſpanas* primus deſcendere in oras,
Quem comitabantur millia multa virûm.
Gens tua tunc natos & te inuidioſa peremit,
Quem poſt amplexa eſt *Barcino* multa gemens.

XIV.

AVGVSTI PRESBYTERI.

*Romæ in S. Hagnes baſilicâ, vt ex Codice S. Mariæ Virdunenſis publicauit P. Sirmondus.*

HOc, *Auguſte*, quidem tumulo tua membra teguntur,
Sed nunquam meritum paruula claudit humus.
Corpus habet tellus, animam cæleſtia regna,
Sic ſedes proprias ſingula rite tenent.
Deuotus Domino vixiſti corde fideli,
*Presbyteri* officium ſub pietate gerens.
Largus pauperibus, diues tibi, carus amicis,
Diuinæ legis iuſſa veranda colens.
Es felix tanto laudum cumulatus honore,
Perpetuis meritò iam frueris bonis?

XV.

AVRELIANENSIS DECANI.

*Auct. Philippo Bonæ ſpei.*

COrruit *Eccleſiæ* ſponſus, defenſor honeſti,
Mente *Cato*, linguâ *Tullius*, arte *Numa*.
Pax moritur moriente viro, diſcordia viuit,
Regnat nequities, optima quæque ruunt.
Hic dum iura colit, libertatémque tuetur,
Transfigit innocuum dextra cruenta latus.
O mala mens, ſcelerata manus, conſenſio praua,
Ictus atrox, audax impetus, horrida mens.
Mors patriæ mors illa fuit, quæ ſuſtulit illum,
In cuius caſu patria tota cadit.



Digitized by Google

## XVI.

## S. BERNARDI CLARÆVALLIS AB.

*Per Philippum Bonæ ſpei Abbatem Ord. Præm.*

CLaræ ſunt *Valles*, ſed claris vallibus *Abbas*
  Clarior, his Clarum nomen in orbe dedit.
Clarus auis, Clarus meritis, & Clarus honore
  Claruit ingenio, Religione magis.
Mors eſt Clara, cinis Clarus, Clarúmque ſepulcrum,
  Clarior exultat Spiritus ante Deum.

## XVII.

## BERNARDI PRIORIS CLVNIACENSIS.

*Auctore Petro Venerabili Abbate.*

EGregius ſenior, cui nil iuuenile cohæſit,
  *Bernardus Prior* hâc pauſat humatus humo.
Hic poſt militiam cæleſtia caſtra ſubintrans,
  Conſenuit certans hoc in agone diu.
Iſte ſibi pro te numquam *Cluniace* pepercit,
  Huic ſibi nulla dies abſque labore fuit.
Sic bene totius pondus tolerando diei,
  Nummum præteritum ſerò reportat ouans.
Huius vos fratres memores eſtote ſepulti,
  Nec cadat ex animo quod tegat oſſa ſolum.

## XVIII.

## BOETII PVERI.

*Boſius refert Romæ ſubterraneæ lib. II. cap. VIII.*

IMpia mors rapiens teneris te nate ſub annis
  Inuidit meritis creſcere magna tuis.
Te *Corale* decus primo cum carmine cœpto
  Doctorem Doctor vidit & obſtupuit.
Viciſti priſcos longæuâ ætate parentes,
  Annis parue quidem, ſed grauitate ſenex.
Non luxus tibi cura fuit, non gratia pompæ,
  Doctiloqui cupidus carminis ardor eras.

Digitized by Google

Tu meritis ornate tuis monumenta relinquis,
Quæ recolens ſemper ſit ſine fine dolor.
Morte tuâ genitrix optauit ſumere mortem,
Se quoque felicem ſi poteretur, ait.
Terdenos primum quùm *Luna* reſumeret ignes,
Coniunxit membris membra ſepulta tuis.

XIX. XX.

BONIFACII PAPÆ.

*Inter ſacra Monum. Gruteri* MCLXV. 4.

POſtquam mors, *Chriſti* pro nobis morte, periſti,
In Domini famulos nil tibi iuris erit.
Pone trucem rabiem, non eſt ſæuire poteſtas,
Aut quid victa furis, nil nocitura pijs?
Hoc ſiquidem meliùs demiſſo viuitur orbe,
Cum tamen vt viuat hic ſibi quiſque facit.
Hic ſita ſunt *Papę Bonifaci* membra ſepulcro,
Pontificis ſacrum qui bene geſſit opus.
Iuſtitiæ cuſtos, rectus, patiénſque, benignus,
Cultus in eloquijs, & pietate placens.
Flete ergo mecum *Paſtoris* munera cuncti
Quos tædet citiùs his caruiſſe bonis.

*Alterum numero ſequenti.*

SEdis *Apoſtolicæ* primæuis miles ab annis
Poſt etiam toto *Præſul* in orbe ſacer,
Membra beata ſenex *Bonifacius* hic ſua clauſit
Certus in aduentu glorificanda *Dei*.
Mitis adunauit diuiſum *Paſtor* ouile,
Vexatos refouens hoſte cadente greges.
Iram ſupplicibus humili de corde remiſit,
Debellans cunctos ſimplicitate dolos.
Egit ne ſterilis *Romam* conſumeret annus,
Nunc orando fugans, nunc miſerando, famem.
Quis te ſancte parens, cum *Chriſto* neſciat eſſe,
Splendida quem tecum vita fuiſſe probat?



Digitized by Google

## XXI.

## S. BRVNONIS CARTVSIANORVM P.

*Vetuſtiſſimum, vt aiunt.*

PRimus in hac *Chriſti* director ouilis Eremo,
Fundatórque fui, qui tegor hoc lapide.
*Bruno* mihi nomen, genitrix *Germania*, méque
Tranſtulit ad *Calabros* grata quies nemoris.
Doctor eram, præco *Chriſti*, vir notus in orbe;
Deſuper illud erat gratia, non meritum.
Carnis vincla dies *Octobris* ſexta reſoluit:
Oſſa manent tumulo, ſpiritus aſtra petit.

## XXII.

## CÆDOALIS BRITANNI REGIS.

*Inter Monumenta Christiana Grut.* MCLXXIII. II.

CVlmen, opes, ſobolem, pollentia regna, triumphos,
Exuuias, proceres, mœnia, caſtra, lares,
Quæque patrum virtus, & quæ congeſſerat ipſe,
*Cædoal* armipotens liquit amore *Dei*.
Vt *Petrum*, ſedémque *Petri* Rex cerneret hoſpes
Cuius fonte meras ſumeret almus aquas.
Splendificúmque iubar radianti carperet hauſtu
Ex quo viuificus fulgor vbique fluit.
Percipiénſque alacer rediuinæ præmia vitæ,
Barbaricam rabiem, nomen & inde ſuum.
Conuerſus conuertit ouans, *Petrúmque* vocari
Sergius Antiſtes iuſſit, vt ipſe pater.
Fonte renaſcentis quem *Chriſti* gratia purgans,
Protinus Albatum vexit in arce poli.
Mira fides *Regis*, clementia maxima *Chriſti*,
Cuius conſilium nullus adire poteſt.

Digitized by Google

Soſpes enim veniens ſupremi ex orbe *Britanni*
Per varias gentes, per freta, pérque vias.
Vrbem *Romuleam* vidit, Templúmque verendum
Aſpexit *Petri*, myſtica dona gerens.
Candidus inter oues *Chriſti* ſociabilis iuit;
Corpore nam tumulum, mente ſuperna tenet.
Commutaſſe magis ſceptrorum inſignia credas,
Quem regum *Chriſti* promeruiſſe vides.

*De eodem Ceduallâ Saxonum Rege plura ex Bedâ & Baronio Boſius.*

XXIII.

*S. CÆLESTINI PAPÆ I.*

*Inter monum. Chriſtiana* MCCXXI. 5.

PRæſul *Apoſtolicæ* ſedis venerabilis omni,
Quem rexit, populo decimum dum conderet annum
*Cæleſtinus* agens, vitam migrauit in illam,
Debita quæ ſanctis æternos reddit honores.
Corporis hic tumulus: requieſcunt oſſa, ciniſque.
Nec perit huic aliquid: *Domino* caro cuncta reſurgit.
Terrenum nunc terra tegit, mens neſcia mortis
Viuit, & aſpectu fruitur bene conſcia Chriſti.

XXIV.

*CASSII EPISCOPI.*

*Narniæ in Cathedrali ad cryptam S. Iuliani.* G.

CAſſius immerito *Præſul* de munere *Chriſti*
Hic ſua reſtituo terræ mihi credita membra.
Quem fato anticipans conſors dulciſſima vitæ
Ante meum in pacem requieſcit *Fauſta* ſepulcrum.
Tu, rogo, quiſquis ades, prece nos memorare benignâ,
Cuncta recepturum te noſcens congrua factis.

*SD. ann.* XXI. *m.* IX. *d.* X. *RQ. in pace.*

*Pridie Kal. Iul. P. C. Baſilij* V C. *ann.* XVII.

Digitized by Google

## XXV.
## GERVIÆ.

*Mediolani in S. Victoris. G.*

CEruia, quæ fidei vexit fundamina ſeclo,
Terdenos æuo binos quater attulit annos,
Læta doliſque expers, culpâ procul, impigra, honeſta,
Aſtrigeram ſecat alma viam cæloque recepta,
Hîc vitæ metas & inania membra reliquit.
*Dep. pridie Nonas Ianuarias.*

## XXVI. XXVII. XXVIII.
## S. CLARI.

*Auctore S. Paulino Epiſcopo Nolano.*
*Epiſtola* XII. *ad Seuerum.*

NOminis vt titulo, ſic mentis lumine *Clarus*
*Preſbyter*, hoc tegitur, ſed membra caduca, ſepulcro:
Libera corporeo mens carcere gaudet in aſtris,
Pura probatorum ſedem ſortita piorum.
Sancta ſub æternis altaribus oſſa quieſcunt;
Vt dum caſta pio referuntur munera *Chriſto*,
Diuinis ſacris animæ iungantur odores.

*Aliud eodem ſancto Auctore.*

PReſbyter hic ſitus eſt, meritis & nomine *Clarus*,
*Martino* ſtudiis comes, & meriti modò conſors:
Digna pio domus eſt altaria, ſub quibus artus
Conditur exanimos; nam ſpiritus æthere gaudet,
Diſcipulúmque pari ſociat ſuper aſtra Magiſtro!
*Tertium paullò prolixius eodem Auct.*
CLare fide, *præclare* actu, *Clariſſime* fructu,
Qui meritis titulum nominis æquiparas,

Caſta tuum dignè velant altaria corpus,
Vt Templum *Chriſti* contegat ara *Dei &c.* *Quæ hic breuitatis ſtudio omittimus.*

## XXIX.

### *CONSTANTII V. ILL.*

*In Monimentis ſacris veterum inſcriptionum, Apud Gruterum* MCLXVII. *5.*

INgenij legúmque potens *Conſtantius*, atrâ
Mortis ſorte iacens conditur his tumulis.
Hinc gemat hunc probitas, triſtis ſuſpiret honeſtas,
Et comitis funus plangat amica fides.
Quis per bella fori toties de iure triumphum
Rettulit, & ſæuos perculit ore reos?
Ornauit proprio ſemper fulgore togatus,
Eloquio mores, moribus eloquium.
Non multum mors dira noces in funere iuſti:
Nil tua tela grauant, poſſidet aſtra pius.

## XXX.

### *DALMATIÆ VIRGINIS.*

*Auctore Ennodio.*

FVnus obit Virgo, quoties in buſta refertur.
Vnum iter eſt mortis, criminis obſequium.
*Dalmatia* meritis victa eſt natura rebellis,
Degeneri cælum nobilitate tenet.
Hoc ſatis eſt tumulum calcaſſe in corpore mundi,
De vitio ſumptum cedere nil vitiis.
Stemmatis hæc lucem tranſcendit Sole pudoris,
Mens cum propoſito conſociata fuit.
*Dalmatij Preſbyteri epitaphium non inelegans legitur in Monimentis Chriſtianis veterum inſcriptionum, apud Gruter.* MCLXIX. 8.

Digitized by Google

XXXI.

*S. DAMASI PAPÆ.*

*Quod ſibi ipſe dicitur edidiſſe, num.* XVI.

QVi gradiens pelagi fluctus compreſſit amaros,
Viuere qui præſtet morientia ſemina terræ,
Soluere qui potuit *Laſaro* ſua vincula, mortis
Poſt tenebras, fratrem poſt tertia lumina Solis
Ad ſuperos iterum *Mariæ* donare ſorori,
Poſt cineres *Damaſum* faciet quia ſurgere credo.

XXXII.

*DANTIS ALIGERI POETÆ.*

*Florentiæ ad S. Mariæ de Flore.*

QVi cælum cecinit mediúmq; imúmq; tribunal,
Luſtráuitque animo cuncta Poëta ſuo,
Doctus adeſt *Dantes*, ſua quem *Florentia* ſæpe
Senſit conſiliis ac pietate patrem.
Nil potuit tanto mors ſæua nocere *Poëtæ*,
Quem viuum Virtus, Carmen, Imago facit.

XXXIII.

*DIOGENIÆ.*

*In Mon. Chriſtianis Gruteri, p.* MCLXVII. 7.

SAcra *Diogeniæ* clauduntur membra ſepulcro,
Quæ viduata viro vixit amica *Deo.*
Hanc poſt luſtra decem recipis dulciſſime conjux,
Depoſitam *Chriſtus* quam tibi reddit, habes.
Læta ſuis lacrymis, ieiuno corpore paſta,
Prodiga pauperibus, nam ſibi parca nimis.
Nec ſatis iſta putans eadem poſt fata reliquit,
Vinceret vt mortem perpetuauit opus.

XXXIV.

*DIONYSII LEVITÆ ET MEDICI.*

*In Monimentis Chriſtianis, Grut.* MCLXXIII. 3.

HIc *Leuita* iacet *Dionyſius* artis honeſtæ
Functus & officio quod *Medicina* dedit.

Digitized by Google

Huius dogma manus famæ dulcedine capta,
Diſpexit pretij ſordida lucra ſequi.
Sæpe ſalutis opus pietatis munere iuuit
Dum refouet tenues dextera larga viros.
Obtulit ægrotis venientibus omnia gratis,
Impleuit factis, quod docuit monitis.
Laudibus ætheriis famulatus mente fideli
Diſtitit illicitis actibus eſſe reus.
Amiſſis opibus robur non perdidit vllum,
Quo patiens prædæ tempore diues erat.
Ars veneranda fidem, fidei decus extulit artem:
Hæc ſtudij titulos, altera mentis habet.
Ciuibus ac ſociis qualis fuit, inde probatur
Quem potuit victor hoſtis amare ſuus.
Poſtquam *Romana* captus diſceſſit ab Vrbe
Mox ſibi iam dominos ſubdidit arte *Getas*.
Hos ſeruis manibus vitam committere fecit,
Quorum mortiferos pertulit ante metus.

*Hæc porrò emendatiora ſunt, quàm quæ apud Gruterum habentur, vixque poſſunt intelligi.*

## *XXXV.*

## A. EGNATII PRISCILIANI.

*Gruterus* ML. I.

A*Vlu' Palatinâ Egnatiu' Priſcilianus*
Arte ſuper geminâ nobilis, & *Sophiâ*,
Dum vixi, didici quæ mors, quæ vita homini eſſet:
Æterna vnde animæ gaudia percipio.

## *XXXVI.*

## EVPHEMIÆ.

*Per Magnum Felicem Ennodium.*

OBruit hæc tumulos, viuit poſt funera factis,
Quæ mortale nihil moribus inſeruit.
*Euphemia* tuos tellus complectitur artus,
Sed mens eſt niueis quàm bene iuncta choris!

Digitized by Google

Occidit exitium. Sors tunc duriſſima ſeruit,
Cum ſuperat fatum neſcia vita mali.
Hæc thalamis fœcunda fuit, viduata pudoris
Exemplis natas fecit amore *Deum.*

*XXXVII.*

EVSTACHII COMITIS.

*Auctore Petro Ven. Abbate Cluniacenſi.*

PRincipis *Euſtachij*, quo *Gallia* floruit olim
Exuuiis præſens nobilitatur humus.
Iſtius arma viri tremuerunt *Perſica* regna,
Et *Babylon* timuit; quæ timor orbis erat.
*Æthiopum* proprio rubuit nigredo cruore,
Quem fudit *Chriſto* dextera ſacra *Ducis.*
Pallet adhuc *Oriens* ſtupefactus cæde ſuorum;
Dum pauet *Occiduo* rurſus ab hoſte premi.
Regia *Ieruſalem Chriſti* veneranda trophæis
Hoc duce captiuum tollit ad aſtra caput.
Spem *Cluniace* ſuæ tibi credidit iſte ſalutis,
Vt ſibi placaret te mediante *Deum.*
Hâc ſpe longinquis veniens peregrinus ab oris,
Hîc iacet, & pro ſe ſupplicat ecce tibi.
Aurea Crux, geminæ cellæ, piſcéſque marini
Clamant, quòd nihil huic iure negare potes:
Huius tu membris ſicut tua Clauſtra paraſti,
Sic prece ſpiritui regna ſuperna para.
Hæc quoque felici quæ contegis oſſa ſepulcro,
Poſt hoc hoſpitium redde ſuæ patriæ.

*XXXVIII.*

S. FELICITATIS FILIORVM.

*Inter Monimenta ſacra Vet. inſcript.* MCLXXVI. 11.

VOs equidem nati, cæleſtia regna videtis,
Quos rapuit paruos præcipitata dies.
Sed mihi quæ requies oneroſâ in luce moranti,
Cui ſolus ſupereſt & ſine fine dolor.

Quàm malè de vobis fallacia gaudia vidi,
Et decepturus me iugulauit amor!
Reddebar teneris in vultibus, ipſáque per vos
Tempora credebam lapſa redire mihi.
Sentio quid faciat ſpes irrita, peſſima mors eſt
Supplicij afflicto quem ſua vota premunt.

## XXXIX.
## FLORENTINÆ BONITVS.

*Gruterus in Monimentis ſacris*, MCLXVII. 2.

FLorentina mihi quondam dulciſſima conjux,
Et toto penitus pectore fixa meo.
Te pudor & probitas caram fecere marito,
Conſeruanſque toros inuiolata fides.
Militiæ ſtudiis ſecurâ mente vacaui
Creueruntque mei te moderante lares.
Nunc tua deſerti quærunt ſolatia nati,
Ingemit & triſtis te moriente domus.
Suſcipe quapropter carmen ferale *Boniti*,
Quod mihi luctificum eſt, ſed tibi dulce nimis.

## XL.
## S. FORTVNATI EP. PICTAVORVM.

*Auctore incerto, ſed antiquo.*

*Extat Tomo I. Collect. Hiſtoria DuCheſnij.*

INgenio clarus, ſenſu celer, ore ſuauis,
Cuius dulce melos pagina multa canit.
*Fortunatus* apex Vatum, venerabilis actu,
*Auſoniâ* genitus, hâc tumulatur humo.
Cuius ab ore ſacro *Sanctorum* geſta priorum
Diſcimus, hæc monſtrant carpere lucis iter.
Felix, quæ tantis decoraris *Gallia* gemmis,
Lumine de quarum nox tibi tetra fugit.
Hos modicus prompſi plebeïo carmine verſus,
Ne tuus in populis, *Sancte*, lateret honor.

Digitized by Google

Redde vicem miſero, ne *Iudice* ſpernar ab æquo;
Eximiis meritis poſce *Beate* precor.

*XLI.*

## S. GERMANI EP. PARISIENSIS.

*A Chilperico Rege ſcriptum.*

ECcleſiæ ſpeculum, patriæ vigor, ara reorum,
Et *Pater*, & *Medicus*, *Paſtor*, amórque gregis.
*Germanus* virtute, fide, corde, ore beatus,
Carne tenet tumulum, mentis honore polum.
Vir cui dura nihil nocuerunt fata ſepulcri,
Viuit enim, nam mors, quem tulit ipſa timet.
Creuit adhuc potiùs Iuſtus poſt funera. Nam qui
Fictile vas fuerat, gemma ſuperba micat.
Huius opem ac meritum mutis data verba loquuntur,
Redditus & cœcis prædicat ore dies.
Hic vir *Apoſtolicus* rapiens de carne trophæum,
Iure triumphali conſidet arce throni.

*XLII.*

## GEROLDI COMITIS FR. HILDIGARDIS

*Reginæ Caroli M. conjugis.*

*Auct. Vualafrido Strabo Abbate Augienſi.*

MOle ſub hac magni ſeruantur membra *Geroldi*;
Huius iura loci cunctis qui viribus auxit,
*Pannonijs* verâ Eccleſiæ pro pace peremptus,
Oppetiit ſæuo *Septembribus* enſe *Kalendis*.
Sideribuſque animam dedit, artus *Saxo* fidelis
Abſtulit, huc retulit, dignóque hîc clauſit honore.

*XLIII.*

## GODEFREDI ET BALDVINI REGVM HIER.

*A Philippo Abbate Ord. Præmonſtr.*

GEntibus expulſis frater prior atque ſecundus,
Rex in *Ieruſalem* fortis vterque fuit.



Digitized by Google

Multa prior, ſed plura ſequens pro tempore geſſit,
Nam frater breuiter *Rex* fuit, iſte diu.
Hoſtibus hi quaſi fulgur erant, quaſi murus amicis,
Intus præualuit pax, gladiúſque foris.
In bello dorſum, pro pace tributa dederunt,
Non eſt maiores terra ſecuta viros.
*Eccleſias* clerus, plebs vrbem, rura coloni
Implebant, ſegetes horrea, vina penus.

## *XLIV.*

## S. GORGONII MART.

*Auctore S. Damaſo, num.* XIV.

MArtyris hic tumulus magno ſub vertice montis
*Gorgonium* retinet, ſeruat qui altaria *Chriſti*,
Hic quicumque venit, Sanctorum limina quærat;
Inueniet vicinâ habitare in ſede beatos,
Ad cælum pariter pietas quos vexit euntes.

## *XLV.*

## S. GREGORII EP. LINGONENSIS.

*Ex Venantio Fortunato l.* IV. *carm.* II.

POſtquam ſidereus diſrupit *Tartara Princeps*,
Sub pedibus iuſti mors inimica iaces.
Hoc veneranda ſacri teſtatur vita *Gregori*,
Qui modò poſt tumulos intrat honore polos.
Nobilis antiquâ decurrens prole parentum,
Nobilior geſtis nunc ſuper aſtra manet.
*Arbiter* ante ferox, dehinc plus ipſe *Sacerdos*,
Quos domuit *Iudex*, fouit amore *Patris*.
Triginta & geminos piè rexit Ouile per annos,
Et grege de *Chriſti* gaudia *Paſtor* habet.
Si quæras meritum, produnt miracula rerum,
Per quem debilibus fertur amica ſalus.



Digitized by Google

*Sunt & aliorum Galliæ Præſulum Virorúmque Illuſtrium apud eundem Fortunatum Epitaphia, ſed quia longiora ſunt, & cuiuis ſaltem poſt noſtram hanc obſeruationem peruia, ea prætermittemus, ſolis lemmatis contenti.*

*Euemeri* Ep. Nannetici.
*Tetrici* Ep. Lingonenſis.
*Galli* Ep. Aruernæ ciuit.
*Ruriciorum* Epp. Lemouicæ.
*Eſotij* eiuſdem ciuitatis Ep.
*Chalacterici* Ep Carnoteni.
*Chronopij* E. Petrocorici.
*Leontij* anterioris Ep. Burdegalenſis.
*Leontij* ſequentis Ep. eiuſdem vrbis.
*Victoriani* Abbatis Agaunenſis.
*Hilarij* Preſbyteri.
*Seruilionis.*
*Attici.*
*Arcadij* iuuenis.
*Baſilij.*
*Aracharij.*
*Brumachij.*
*Orientij.*
*Theodechildis* Reginæ.
*Vvilithuta.*
*Eufraſia.*
*Euſebia.*

*Extant quoque Tomo primo Hiſtoricorum Franciæ, ab Andreâ Ducheſnio editorum Epitaphia vetera quædam ex vetuſto codice MS. Bibliotheca Alex. Petauij Senatoris Pariſienſis v.c. emulgata, quæ quiuis per otium conſulere poterit: ſunt autem*

*Sancti Iuſti* Lugdunenſis Ep.
*S. Vvaldomeris.*

*SS. Seuerini, Exuperij & Feliciani.*
*Caretenes Reginæ, quæ condita eſt Lucduni in Baſilicâ S. Michaëlis.*
*S. Auiti* Ep. Viennenſis.
*S. Heſicij.*
*S. Pantagathi* Ep. Viennenſis.
*Namatij* Epiſcopi.
*Siluiæ* matris Celſi Patricij
*S. Gregorij* Papæ.
*Iulij Auiti.*
*Auſtrigildis* Reginæ.
*Chlodomeri* filij Guntranni Regis.
*Clotharij* fratris Chlodomeris.
*Fortunati* Epiſcopi Pictauenſis.
*Dinamij* Patricij & *Eucheriæ* conjugis.

XLVI.

*S. GREGORII PAPÆ.*

*Inter Mon. Christiana Gruteri,* MCLXXV. I.
*Extat & apud Ven. Bedam, cap. 1. libri 2. Hiſt. Angl.*

SVſcipe terra tuo corpus de corpore ſumptum,
 Reddere quod valeas viuificante *Deo.*
Spiritus aſtra petit, lethi nil iura nocebunt,
 Cui vitæ alterius mors magis iſta via eſt.
Pontificis ſummi hic clauduntur membra ſepulcro,
 Qui innumeris ſemper viuit vbique bonis.
Eſuriem dapibus ſuperauit, frigora veſte,
 Atque animas monitis texit ab hoſte ſacris.
Implebâtque actu quidquid ſermone docebat,
 Eſſet vt exemplum myſtica verba loquens.
Ad *Chriſtum Anglos* conuertit pietate magiſtrâ
 Adquirens fidei agmina gente noua
Hic labor, hoc ſtudium, hæc tibi cura, hoc *Paſtor* agebas,
 Vt Domino offerres plurima lucra gregis.



Digitized by Google

Hiſque *Dei Conſul* factus lætare triumphis,
Nam mercedem operum iam ſine fine tenes.

*Gregorij nomen, elegánſque ac polita carminis ſtructura non patitur, vt prætermittam Epigrammata duo, quæ inter eadem Chriſtianorum monumenta deliteſcunt pagina* MCLXXIV. *numeris 3 & 4. paucis haud dubiè cognita hactenus.*

*De partu B. Virginis.*

VIrgo parens hac luce *Deúmque*, *Virúmque* creauit
Gnará puerperij, neſcia conjugij:
Obtulit hæc iuſſis vterum, docuitque futuros,
Sola capax Chriſti quòd queat eſſe fides.
Credidit & tumuit; verbum pro ſemine ſumpſit;
Sepſerunt magnum paruula membra *Deum*.
Fit fabricator opus, ſerui *Rex* induit actus,
Mortalémque domum viuificator habet.
Ipſe ſator ſeménque ſui, matríſque creator,
Filius ipſe hominis, qui pater eſt hominum.
Affulſit partus lucem, lux noſtra petiuit,
Hoſpitij linquens oſtia clauſa ſui.
*Virginis* & *Matris* ſeruatur gloria conſors,
*Mater* dans *hominem* noſcere, *Virgo Deum*.
Vnius colitur duplex ſubſtantia nati,
*Vir*, *Deus*, hæc duo ſunt, *Vnus* vtrumque tamen.
*Spiritus* huic *Genitórque* ſuus ſine fine cohærent,
Triplicitas ſimplex, ſimplicitáſque triplex.
*Bis genitus*, ſine *Matre* Opifex, ſiue *Patre* Redemptor,
Amplus vtriſque modis, amplior vnde minor.
Sic voluit naſci, domuit qui crimina mundi,
Et mortem iuſſit mortuus ipſe mori.
Noſtras ille ſuo tueatur nomine vitas
Protegat ille tuum *Gregori Præſul* genus.

Digitized by Google

*De ſancti Petri Vinculis.*

HIs ſolidata fides, his eſt tibi, *Roma, Catenis*
Perpetuata ſalus; harum circumdata nexu
Libera ſemper eris. Quid enim non vincula præſtent,
Quæ tetigit, qui cuncta poteſt abſoluere vincta?
Hæc inuicta manu vel religioſa triumpho
Mœnia non vllo penitus quatientur ab hoſte,
Claudit iter bellis, qui portam pandit in aſtris.

XLVII.

GVIDONIS CARD. S. R. E. CANCELLARII.

*Romæ apud SS. Coſmam & Dam.*

SEdis *Apoſtolicæ Guido Cancellarius*, in ſe
Quam nihil eſt mundi gloria, morte probat.
*Piſa* Virum peperit, quem donat *Roma* ſepulcro
Vix paritura parem, vix fruitura pari.
Non operâ Pictoris eget, non marmore ſculpto,
Non titulo celebri tam tituloſus homo.
Tertia poſt Idus *Auguſti* præripit illum,
Virtutum titulis inuidioſa dies.
Huic ſine nocte diem, vitam ſine morte, quietem
Det ſine fine QVIES, VITA, DIESQVE DEVS.

XLVIII.

M. GVILLELMI.

*A Philippo Bonæ ſpei Abbate.*

G*Allia* ſuſpirat radio priuata ſereno,
Clarius irradians ſidera ſidus habet.
Nox abit in queſtum, ſequitúrque dies ſine Sole;
Fit ſine *Guillelmo*, fit ſine Sole dies.
Fleuit *Apollonium* ſua *Græcia, Roma Maronem*,
*Gallia Guillelmum* luget, vtrique parem.
Eius præclaret natu *Normania*, victu
*Gallia, Pariſius* corpore, mente *Polus*.



Digitized by Google

XLIX.

## GVILLELMI ARVERNI EP. PARIS.

*In cœnobio S. Victoris.*

COnditus hic recubat fatali ſorte *Guilelmus*,
Pariſii Paſtor qui gregis aptus erat.
Repperit illuſtrem cæleſti munere famam,
Quam nequit in tanto mors abolere viro.

L.

## HADRIANI I. PAPÆ.

*Quo Carolus M. ſepulcrum ipſius decorauit.*
*Extat inter carmina Alchuini, num. 217.*
*Et apud Quercetanum Tom. II. p. 691.*

HIc Pater *Eccleſiæ*, *Roma* decus inclytus auctor,
*Hadrianus* requiem *Papa* beatus habet.
Vir cui vita *Deus*, pietas lex, gloria *Chriſtus*,
Paſtor *Apoſtolicus*, promptus ad omne bonum.
Nobilis ex magnâ genitus iam gente parentum,
Sed ſacris longè nobilior meritis.
Exornare ſtudens deuoto pectore *Paſtor*,
Semper vbique ſuo Templa ſacrata *Deo*.
*Eccleſias* donis, populos & dogmate ſancto
Imbuit, & cunctis pandit ad aſtra viam.
Pauperibus largus, nulli pietate ſecundus,
Et pro plebe ſacris peruigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris erexerat arces,
Vrbs, caput Orbis, honor, inclyta *Roma*, tuas.
Mors cui nil nocuit, *Chriſti* quæ morte perempta eſt,
Ianua ſed vitæ mors melioris erat.
Poſt patrem lacrymis *Karolus* hæc carmina ſcripſi.
Tu mihi dulcis amor, te modò plango, Pater.
Tu memor eſto mei, ſequitur te mens mea ſemper;
Cum *Chriſto* teneas regna beata poli.
Te clerus, populus magno dilexit amore,
Omnibus vnus amor, optime *Praſul* eras.

Digitized by Google

Nomina iungo ſimul titulis, clariſſime, noſtra,
*Hadrianus Karolus*, Rex ego, túque Pater.
Quiſque legas verſus, devoto pectore ſupplex
Amborum mitis dic, miſerere *Deus*.
Hæc tua nunc teneat requies, cariſſime, membra,
Cum ſanctis anima gaudeat alma *Dei*.
Vltima quippè tuas donec tuba clamet in aures,
Principe cum *Petro* ſurge videre *Deum*.
Auditurus eris vocem, ſcio, *Iudicis* almam:
*Intra nunc Domini gaudia magna tui*.
Tum memor eſto tui nati, *Pater optime*, poſco,
Cum patre, dic, natus pergat & iſte meus.
O pete regna, Pater felix, cæleſtia *Chriſti*
Inde tuum precibus auxiliare gregem.
Dum Sol ignicomo rutilus ſplendeſcit ab axe,
Laus tua, ſancte Pater, ſemper in Orbe manet.

*Sedit Beatæ memoriæ Hadrianus Papa, Annos* XXIII. *m.* X. D. XVII. *Obijt* VII. *Kal. Ian.*

*Extat & aliud Hadriani Papæ Epitaphium à Theodulfo Aurelianenſi Epiſcopo nomine Caroli Magni, carm. II. Libri IIII. quod prolixitatis causâ inſuper habuimus.*

## LI.

## HELPIS VXORIS BOETII.

*Apud Pith. p. 115.*

H*Elpes* dicta fui, *Sicula* regionis alumna,
Quam procul à patriâ conjugis egit amor.
Porticibus ſacris iam nunc peregrina quieſco,
Iudicis æterni teſtificata thronum.

*Tetraſtichon hoc dumtaxat exhibuit Pithœus, verùm in Monumentis Chriſtianis, apud Gruterum* MCLXVI. 6. *dodecaſtichon habetur.*



Digitized by Google

LII.

## HENRICI REGIS ANGLIÆ.

*Auct. Philippo Bonæ Spei Abbate.*

A*Nglia* nunc humilis, terrarum gloria quondam,
Fluctuat, & merſo remige merſa iacet.
Quæ laudum titulis toto radiabat in Orbe,
Eclipſin patitur Sole relicta ſuo.
Quo pereunte perit, quo ſoſpite ſoſpes agebat
Otia, quo ſtabat ſtante, cadente cadit.
Legibus ille dolos, armis compeſcuit hoſtes,
Placatis placidus, indomitóſque domans.
Felix Imperio ſatis eſt feliciter vſus,
Pacis amans, clarus munere, *Marte* potens.
Illius interitu decus interit, intereúntque
Otia, pax, legum ſanctio, iura, fides.
Iam freta nauigio, fora mercibus, arua colonis,
Plebs patrocinio, clerus honore caret.
Iam reparat *Iudex* perjuria, bella tyrannus,
Fur ſicam, prædo tela, *Cilixque* ratem.
Ergo viri tanti caſum gemit *Anglia*, cuius
Præcipiti caſu præcipitata cadit.

LIII.

## D. HILARII PICT. EP.

*Ex veteri Codice.*

H*Ilarius* cubat hâc *Pictauus Epiſcopus* vrnâ,
Defenſor noſtræ terrificus fidei.
Iſtius aſpectum ſerpentes ferre nequibant,
Neſcio quæ in vultu ſpicula Sanctus habet.

LIV. LV.

## HOELI EP. CENOMANENSIS.

*Auct. Baldrico Burgulienſi Abbate.*

I*Ntempeſtiuo* caſu defecit *Hoëlus*
Sol *Cenomanorum*, Pontificúmque decus.

Alloquio dulcis, nulli pietate ſecundus
Omnibus exemplar Religionis erat.
Hunc plangit ſua plebs & vicinæ regiones,
Quem venerabantur iure *Patrem patriæ*.
Hic igitur poſitum ſolemni more reuiſunt,
Et coram ſancto vota vouent tumulo.

*Aliud.*

ORa madent & corda gemunt, & corpora marcent,
Cum tumulo titulus ſculptus in hoc legitur.
Iſte refert titulus, quia morte grauatus *Hoëlus*
Fecit pupillos morte ſuâ populos.
Vrbs *Cenomanenſis* fleuit ſpecialiter ipſum,
Illis *Pontificem* quem dederat *Dominus*.
Pauſat in hoc tumulo ſanctus pro corpore Præſul,
Præſulis obtineat ſpiritus aſtra poli.

LVI.

*HRODINES.*

*Inter mon. Chriſtiana* MCLXXIII. 4.

ACcipe tam longas breuis ô ſcriptura querelas,
Quâ duro ſilici vulnera mando mea.
Heu iacet hic pars magna mei! heu triſte cubile!
Quo ſine me *Hrodine* lumine nuda iaces.
O lux clara tuo mens vna & cura marito,
Nunc dolor & lacrymæ, ſola relicta mihi.

*Eſt & alterum Hrbodines Epitaphium à Dionyſio coniugi poſitum eadem paginâ num. 7.*

LVII.

*HVGONIS A S. VICTORE CAN. REG. In Cœnobio S. Victoris apud Pariſios.*

COnditus hic tumulo eſt *Doctor* celeberrimus *Hugo*.
Quàm breuis eximium continet vrna virum!

Dogmate præcipuus, nullíque ſecundus amore
Claruit ingenio, moribus, ore, ſtylo.

## *LVIII.*

## IACOBI MENTEBONÆ CARD.

*Romæ. Vide Auberium, alióſque.*

L*Vcâ* ortus, *Sena* lege fuit mihi patria, nomen
Dum vixi *Iacob*, *Mens bona* pro genere.
*Papa Pius* ſedem *Papienſem* detulit, idem
*Cardineo* ornauit munere, gente, domo.
Viuite, qui legitis, æterna & quærite; non hæc.
In cineres tandem gloria tota redit.

## *LIX.*

## INCERTI.

*In mon. Chriſt.* MCLXXV. a.

SIdera me retinent, nil me mors impia terret,
Ad vitam redij, quæ ſine fine manet.
Fatorum ſeriem felici morte peregi,
Curriculum vitæ ſumma fuit requies.

## *LX.*

## IOANNIS CHARLIERI GERSONIS.

*Lugduni in Æde D. Pauli circa ſepulcrum.*

*Pœnitemini, & credite Euangelio.*

MAgnum parua tenet virtutibus vrna *Ioannem*
Præcelſum meritis, *Gerſon* cognomine dictum,
*Pariſiis* ſacræ Profeſſor *Theologiæ*,
Claruit *Eccleſiæ* qui *Cancellarius*: anno
Milleno Domini centum quater atque vigeno
Nono, luce petit ſuperos *Iuli* duodenâ.

## *LXI.*

## IRENES SORORIS S. DAMASI.

*Ab ipſomet SS. Papâ ſcriptum num.* XXVIII.

HOc tumulo ſacrata *Deo* nunc membra quieſcunt,

Digitized by Google

Hic ſoror eſt *Damaſi*, nomen ſi quæris, *Irene*:
Vouerat hæc ſeſe *Chriſto*, cum vita maneret,
*Virginis* vt meritum ſanctus pudor ipſe probaret.
Biſdenas hyemes necdum compleuerat ætas,
Egregios mores vitæ præceſſerat ætas,
Propoſitum mentis, pietas veneranda puellæ,
Magnificos fructus dederat melioribus annis,
Te germana ſoror noſtri nunc teſtis amoris;
Cùm fugeret mundum dederat mihi pignus honeſtum,
Quam ſibi cum raperet melior tunc regia cæli,
Non timui mortem, cælos quòd libera adiret,
Sed dolui, fateor, conſortia perdere vitæ.
Nunc veniente *Deo* noſtri reminiſcere, *Virgo*,
Vt tua per Dominum præſtet mihi facula lumen.

*Idem reperitur in monimentis ſacris veterum inſcriptionum quas ex Codice Palatino edidit Gruterus* MCLXXII. 10.

LXII. LXIII.

*IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI.*

*Auct. Philippo Bonæ ſpei Abbate.*

Reddidit affectus *Patrem*, doctrina *Magiſtrum*,
Regula *Canonicum Pontificémque* gradus,
Famoſum probitas, humilem natura, verendum
Vita ſerena, ſenem longa, pudica ſacrum.
*Præſule* defuncto ſua tollere mos erat olim
*Principis*, hunc morem *Principis* emit *Iuo*.
Huius opem læſus, plebs dogmata, fræna tyrannus,
Senſit egenus opes, pro grege vota *Deus*.

*Alterum ex veteri membranâ Barn. Briſſonij.*

Mente, manu, lingua, doctrina, corporis vſu,
Prudens, munificus, affabilis, vtilis, inſons,
Firma columna domus *Domini*, quam iure ſalubri
Fouit, muniuit, inſtruxit, iugiter auxit,
Conſilio, ſcriptis, quo viueret ordine, rebus.

Digitized by Google

Cuius opem gratis æger, rem ſenſit egenus,
Iſtius vrbis apex memorandus *Epiſcopus Ivo*
Hâc ſitus expectat aduentum *Iudicis* vrnâ.

## LXIV.

### *LANFRANCI EP. CANTVARIENSIS.*

*Auct. Philippo Bona ſpei.*

VIxiſti venerande pater ſapienter & æquè,
Vixiſti viuens, mors quoque vita tibi eſt.
Inter diuitias pauper *Lanfrance* fuiſti,
Diuitiis manans pauperum amator eras.
Per te florentes artes valuere *Latinæ*,
Gratia de vobis ecce triumphat ouans.
Tu *Latios* ortu, *Galloſque* docendo leuaſti,
Te ſibi *Primatem* cardo *Britannus* habet.
In terrâ degens cæleſtia mente petebas;
Exemptus terrâ ſidera liber adis.
*Sol Geminos* denis obſederat igne diebus,
Prompſit *Luna* dies, nocte ſolutus abis.

## LXV.

### *S. LIBERALIS MARTYRIS.*

*Inter Mon. Chriſtiana Grut.* MCLXXI. 9.

M*Artyris* hic ſancti *Liberalis* membra quieſcunt,
Qui quondam in terris *Conſul* honore fuit.
Sed creuit titulis factus de *Conſule Martyr*,
Cui viuit ſemper morte creatus honor.
Plùs fuit irato quàm grato *Principe* felix,
Quem perimens rabidus miſit ad aſtra furor.
*Gratia* cui trabeas dederat, dedit *ira* coronam,
Dum *Chriſto* procerem mors inimica facit.
Obtulit hæc *Domino* componens atria *Florus*,
Vt *ſanctos* venerans præmia iuſta ferat.

Digitized by Google

## LXVI.

## LIBERII PRÆF. PRÆT. ITALIÆ ET GAL. *Referunt Pithœus, Baronius, Sirmundus.*

HVmano generi legem natura creatrix
Hanc dedit, vt tumuli membra ſepulta tegant.
*Liberij* ſoboles matríque patríque ſuperſtes
Triſte miniſterium mente dedere piâ.
Hîc ſunt membra quidem, ſed famam non tenet vrna,
Nam durat titulis neſcia fama mori.
Rexit *Romuleos faſces* currentibus annis,
Succeſſu parili *Gallica* iura tenens.
Hos non imbelli pretio mercatus honores,
Sed pretio maius detulit alma fides.
*Auſonijs* populis gentiles ritè cohortes
Diſpoſuit, ſanxit fœdera, iura dedit.
Cunctis mente pater, toto venerabilis æuo.
Terdenis luſtris proximus occubuit.
O quantum bene geſta valent! cum membra recedunt,
Neſcit fama mori, lucida vita manet.

## LXVII.

## LVCII III. ROMANI PONTIFICIS. *Ex Ptolomæi Lucenſis Hiſtoriâ.*

L*Vca* dedit lucem tibi *Luci*, Pontificatum
*Oſtia*, Papatum *Roma*, *Verona* mori.
Imò *Verona* dedit verum tibi viuere, *Roma*
Exilium, Curas *Oſtia*, *Luca* mori.

## LXVIII.

## MAGNI FEL. ENNODII EP. TICINENSIS. *Ticini in æde D. Michaëlis.*

E*Nnodius* vates lucis rediturus in ortum,
Hoc poſuit tumulo corporis exuuias.
Clarus prole quidem, generoſior ipſe propinquis;
Quos functos laudum iuſſit habere diem.
Reddidit hos cælo viuacibus ille figuris,
Cum fecit famæ viuere conloquiis.
Quid mirum, ſi morte caret poſt buſta ſuperſtes,
Qui conſanguineos reſtituit ſuperis?
Quantis iſte foret mundi celebratus in oris,
Nec ſilet *occidui* cardinis *Oceanus.*
Schiſmata coniunxit dudum diſcordia legi,
Atque fidem *Petri* reddidit *Ecclesiis*,
Pollens eloquio, doctrinæ nobilis arte,
Reſtituit *Chriſto* innumeros populos.
Largus vel ſapiens, diſpenſatórque benignus,
Diuitias credens quas dedit eſſe ſuas.
Templa *Deo* faciens hymnis decorauit & auro,
Et paries functi dogmata nunc loquitur.
*Depoſitus ſub d. XVI. Kal. Auguſtas Valerio V. C. Conſule.*

## LXIX.

## MANLIÆ DÆDALIÆ.

*Mediolani ad DD. Protaſii & Oribaſii. G.*

M*Artyris* ad frontem recubent quæ membra ſepulcro
Vt *Lector* noſcas eſt operæ pretium.
Clara genus, cenſu pollens, & mater egentum
Virgo ſacrata Deo *Manlia Dædalia.*
Quæ mortale nihil mortali in pectore voluens,
Quo peteret cælum ſemper amauit iter.

Digitized by Google

Sexaginta annos vicino limite tangens
Rettulit ad *Christum* celſa ſub aſtra gradum.
Hæc germana tibi *Theodorus* frater & heres,
Quæ relegant olim ſecla futura, dedi.

LXX.

S. MARCELLINÆ.

*Mediolani in Templo D. Ambroſii.* G.

M*Arcellina* tuos cum vita reſolueret artus
Spreuiſti patriis corpus ſociare ſepulcris,
Dum pia, fraterni ſperas conſortia ſomni,
*Sanctorúmque* cupis carâ requieſcere terrâ.
His longinqua domus caſto decerpſit amori:
Affectus nec morte perit. Nam munere lethi
Rurſus victa *ſoror fraterna* redderis vmbræ.
Quamuis magna pio ſuſpiret *Roma* dolore,
Tertia quod ſacri patitur iam damna ſepulcri.
Nec tamen anguſtam ſedem quis dixerit aulæ.
Corporis hæc domus eſt. Nam te pia *Virgo* ſupernum
Accipit imperium placidæ poſt munera mortis.
Æternæ *Chriſtus* pretium tibi deſtinat aulæ,
Præmia dans caſtis intactæ matris honorem.
Te medius *Iuli* tranſcendit feruide curſus
Et te *Virgo* tuus tranſuexit ad æthera ſponſus.

LXXI.

MARIÆ SANCTIMONIALIS.

*In Mon. Chriſtianis Gruteri* MCLXX. I.

SAnctorum gremiis commendat *Maria* corpus
Caſta, grauis, ſapiens, clemens, moderata, quieta,
Claram ſublimis fudit quam partus in auras.
Sed placitura *Deo* generis ſuperauit honorem.
Hæc non mortales ſed *Virginitatis* amore
Æternos ſortita thoros, *Chriſtíque* petiuit

Digitized by Google

Perpetuam lucem, nullo quæ fine tenetur.
Tertius & decimus gaudens hanc viderat annus
Compoſuit corpus, cælum cùm læta petiuit.
Texerat hæc ſacros caſto velamine crines
Sed *Chriſtum* feſtina petit, mundúmque reliquit.

LXXII.

MARINÆ.

*In Mon. Chriſtianis Grut.* MCLXVII. 4.

SAnctorum exuuiis penitus confine ſepulcro
Promeruit ſacro digna *Marina* ſolo.
Ter decies biſtérque ſimul tranſegerat annos
Cùm petit æthereas nomine iuſſa vias.
Vitæ ſumma breuis, ſed caſtæ gloria famæ,
Temporis anguſti continuauit opes.

LXXIII.

MAVRICII EP. PARISIENSIS.

*Refert Fr. Iacobus Brulius in Antiq. Pariſ.*

D*Octor* & *Antiſtes* cathedrâ condignus vtrâque,
A primâ meruit continuare duas:
Sana fides, doctrina frequens, elemoſyna iugis,
Clamant *Pariſios* non habuiſſe parem.
*Virginei* menſis quæ tertia præuenit *Idus*
Splendorem ſepelit nube ſepulta dies.

LXXIV.

MELISSÆ VIRGINIS.

*Auctore M. F. Ennodio Ep. Ticini.*

COrpore deuicto moritur quicumque, ſuperſtat:
Dant lethi legem crimina ſola homini,
Nil tibi, *Virgo*, perit: carnem mens pura refudit,
Quæ nunquam mundi vixit in obſequijs.
Funera, buſta, rogi, ſcelerum ſtipendia ceſſent:
De vitâ ad vitam tranſitus iſte placet.

LXXV.

## LXXV.
## MELISSÆ ſeu MELLISÆ INL. FÆMINÆ. *Auctore eodem Ennodio.*

SAnguine, mente, opibus, facie, virtute, pudore,
Optetur qualis fœmina, ſola fui.
Hoc tantum mundi, quod lex eſt, corpore geſſi,
Exornans caſtâ prole pudicitiam.
Quæ victrix fortem tenui perblanda maritum,
Melle meo vertens iura, *Seuere*, tua.
Quos genui, celſâ coniunctos ſtirpe reliqui.
Quod votum eſt ſanctis, coniuge præmorior.
Nil mihi deceſſit, maneo poſt buſta ſuperſtes:
Felices nunquam mors nocitura petit.
Et nomen dulce eſt, de factis *Mellisa* dicor.
Moribus hoc fluxit iure datum propriis.

## LXXVI.
## NAZARII.

*Mediolani, ad ſanctum Nazarium G.*

QVà ſinuata cauo conſurgunt tecta regreſſu,
Sacrataque *Crucis* flectitur orbe caput:
*Nazarius* vitæ immaculabilis, integer artus
Conditur, exultat hunc tumuli eſſe locum.
Quem pius *Ambroſius* ſignauit imagine *Chriſti*,
Marmoribus Libycis fida *Serena* polit.
Coniugis vt reditu, *Stilichonis* læta fruatur
Germaniſque ſuis pignoribus propriis.

## LXXVII.
## ODONIS PVERI.

*Inter carmina Baldrici.*

VRna breuis, modicúſque lapis ſuperadditus vrnæ:
Signant materiam quòd foueant modicam.

Quod premit iſte lapis pueri ſunt oſſa tenelli,
Si tamen vna ſatis duruit oſſa dies.
Pene fuit natus puer hic ſimulatque renatus,
Viuere vix potuit, moxque mori meruit.
Quod tamen impoſuit nomen properantia mortis,
His pateat ſignis. *Otto puer iacet hic.*

## LXXVIII.

## OSII.

*Mediolani in S. Franciſci veſtibulo G.*

LVx patriæ, ſublime decus pater *Oſius* vrbi
Mundo flente iacens conditur hoc tumulo.
Hunc . . . . . . . . . populus nunc lugeat omnis,
Nouerit vt tanti pignus obiſſe viri.
Communis, placidus, hilaris, iocundus, honeſtus,
Moribus his vrbem fecerat eſſe ſuam.
Celſa domus, proauúſque potens *Veneta* arbiter oræ,
Sed meritis mentis vicerat iſte genus.
*Priuatæ Comes* atque *rei* prouéctus in altum,
*Sacrarum* meruit ſumere iura *Comes.*
*Patricium* culmen gradibus conſcendit honoris
Creuit & ex tanto *Præſule* cenſus honor.
*Domnica* ſed coniux retinet commune ſepulcrum,
Iuncta toris quondam, iungitur & tumulis.

## LXXIX.

## PETILII PROCESSI. V. S.

*Romæ in B. Pauli Baſilicâ marmoreo tumulo inciſum, vt docet P. Sirmundus in notis ad carmina Ennodij.*

POſt mortem ſi viuit amor, ſi gratia priſca
Durat in arcanum mentis adacta bonum.
Quamuis luctificum, fratris tamen accipe carmen,
Ne mala ſit tumulis extera lingua tuis.



Digitized by Google

Tenatura parens omni depinxerat arte,
  Moribus, ingenio, corpore, mente, fide.
Purus amicitiæ cultor, ſeruator honeſti,
  Eloquio miſeros, vel pietate fouens.
Hinc eſt quòd toto ſemper te flebimus æuo,
  Quòd fuerit iuueni vis tibi multa ſenis.
Te genitrix, fratreſque ſimul, te compare luctu
  Perpetuis lacrymis plangit amata domus.
*Hic requieſcit in pace B. M. Petilius Proceſſius V. S. togatus inl. P. P. qui vixit plus minus annos XXXVIII. Dep. eſt ſub die Kal. Iulias Probo iuniore V. C. Coſ.*

## LXXX. LXXXI.

### *PETRI ABAILARDI.*

*A Petro Ven. extat pag. 1354. Bibl. Cluniac.*

G*Allorum Socrates, Plato* maximus *Heſperiarum*,
Noſter *Ariſtoteles, Logicis* quicumque fuerunt,
Aut par, aut melior: ſtudiorum cognitus orbi
Princeps, ingenio varius, ſubtilis, & acer,
Omnia vi ſuperans rationis, & arte loquendi,
*Abailardus* erat. Sed tunc magis omnia vicit,
Cum *Cluniacenſem* monachum, morémque profeſſus
Ad *Chriſti* veram tranſiuit *Philoſophiam*
In quâ longeuæ bene complens vltima vitæ,
*Philoſophis* quandoque bonis ſe connumerandum
Spem dedit, vndenas *Maio* renouante Calendas.

*Alterum eodem auctore.*

P*Etrus* in hac petrâ latitat, quem Mundus *Homerum*
  Clamabat, ſed iam ſidera ſidus habent.
Sol erat hic *Gallis*, ſed eum iam fata tulerunt.
  Ergo caret regio *Gallica* ſole ſuo.



Digitized by Google

*Ille ſciens quidquid fuit vlli ſcibile, vicit*
*Artifices, artes abſque docente docens.*
Vndecimæ *Maij Petrum* rapuere Calendæ,
Priuantes *Logices* atria *Rege* ſuo.
Eſt ſatis in tumulo: *Petrus* hîc iacet *Abaïlardus*,
*Cui ſoli patuit ſcibile quidquid erat.*

## LXXXII.

### *PETRI DE ALLIACO CARD. CAMERACENSIS. In Cathedrali.*

*Auberius refert, alijque.*

MOrs rapuit *Petrum*, petram ſubijt putre corpus,
Sed Petram *Chriſtum* ſpiritus ipſe petit.
Quiſquis ades precibus fer opem, ſemperque memento,
Quod præter mores omnia morte cadunt.
Nam quid amor *Regum*, quid opes, quid gloria durent,
Aſpicis, hæc aderant nunc mihi, nunc abeunt.

## LXXXIII.

### *PETRI SENONENSIS EP.*

*A Philippo Abbate Bonaſpei.*

VItam religio, mentem diſcretio, famam
Lux operum, ſtudium lectio, verba modus:
Iudicium ius, iuſtitiam rigor, ora venuſtas
Ornabant, pietas viſcera, virga manum.
Promouit, priuauit eum, profugúmque recepit,
*Papa, Comes, Chriſtus*, ordine, ſede, polo.
Exutus rebus, tentus vi, pulſus ab vrbe,
*Præſul* pauperiem, vincla, fugámque tulit.
Nunc diues, liber, ſtabilis, ſua præmia, *Chriſtum*,
Aſtra capit, ſequitur, poſſidet iſte *Petrus*.

Digitized by Google

## LXXXIV.
## PEPRONIÆ.

*Gruterus* MLVII. *num.* 5. *&* *Pith. pag.* 183.

L*Euita* coniux *Petronia* forma pudoris,
His mea diſcedens ſedibus oſſa loco.
Parcite vos lacrymis dulces cum coniuge natæ,
Viuentémque *Deo* credite flere nefas.
*DP. in pace* III. *Nonas Octob. Feſto V. C. Conſ.*

## LXXXV.
## PROBI ET VXORIS PROBÆ.

*Ianus Gruterus* CCCCI. 4.

SVblimis quiſquis tumuli miraberis arces,
Dices quantus erat qui *Probus* hic ſitus eſt!
Conſulibus, proauis, ſocerisque & Conſule maior,
Quod geminas *Conſul* reddidit ipſe domos.
Præfectus quartùm toto dilectus ab orbe
Sed famâ emenſus quidquid vbique hominum eſt.
Æternos heu! *Roma*, tibi qui poſceret annos,
Cur non vota tui vixit ad vſque boni?
Nam cum ſexdenos menſis ſuſpenderet annos,
Dilectæ è gremio raptus . . . . . . *Proba*
Sed perijſſe *Probum* meritis ſub talibus abſit
Credas *Roma* tuum, viuit, & aſtra tenet.
Virtutis, fidei, pietatis, honoris amicus,
Parcus opum nulli, largus at ipſe fuit.
Solamen tanti coniux tamen optima luctus
Hoc *Proba* ſortita eſt, iungat vt vrna pares.
Felix heu nimium felix dum vita maneret,
Digno iuncta viro, digna ſimul tumulo.

*Subijcit Gruterus alterius Probi Chriſtiani hominis Epitaphium paulò longius quod ex Baronianis Annalibus exſcripſit.*



Digitized by Google

LXXXVI.

PROBI V. IL. DE QVO ENNODIVS.

*Inter Chriſtiana monumenta editum*

MCLXXVI. 2.

SPes generis clari, magnorum gloria patrum,
Solers ingenio, carmine doctiloquus.
Inluſtris, ſapiens, humilis, moderatus, honeſtus,
Communis, gratus, plus bonitate pius.
Ante annos animúmque gerens ætatis auitæ
Clarior in patriâ nobilitate *Probus*.
Nil tibi mors nocuit, cum hîc viuis laude perenni,
Et Chriſti in regno dum ſine fine manes.
Hæc tibi quæ cecini, non ſunt præconia falſa,
Pro meritis fama eſt teſtis vbique tua.

LXXXVII.

PROIECTÆ.

*Inter carmina S. Damaſi Papæ num.* XIII.

QVid loquar, aut ſileam, prohibet dolor ipſe fateri.
Hic tumulus lacrymas retinet, cognoſce, parentum
*Proiectæ*, fuerat primo quæ iuncta marito,
Pulcra decore ſuo, ſolo contenta pudore,
Heu dilecta ſatis miſeræ genitricis amore.
Accipe, quid multis? thalami poſt fœdera prima
Erepta ex oculis *Flori* genitoris abiuit,
Ætheriam cupiens cæli conſcendere lucem.
Hæc *Damaſus* præſtat cunctis ſolatia fletus.

*Vixit an. XVI. m. X. dies XXV. Dep. III. Kal. Ian. Fl. Merobaude & Fl. Saturnino Coſſ.*

## *LXXXVIII.*
## RAINALDI ARCH. LVGOVNENSIS.
*Auct. Petro Venerabili.*

GLoria Pontificum iacet hic *Præſul Rainaldus,*
Magnus in exiguo conditus hoſpitio.
*Vizeliacenſis* priùs *Abbas*, pòſt *Patriarcha*
*Lugduni* fulſit, factus honoris honor.
Prædia, theſauri, faſtigia celſa loquuntur
Quo ſtudio primo præfuit ille loco.
*Lugdunenſis* apex iunxiſſet cornua cælo,
Ni celer occaſus ſurripuiſſet eum.
Cuius erat *Monachus*, prope cuius ab vbere natus,
Accubat in gremio nunc *Cluniace* tuo.
Quem tibi commiſſum numero committe piorum.
Cúmque tuis precibus fac penetrare polum.

## *LXXXIX.*
## REGINALDI DE CORBOLIO PARIS. EP.
*In Cœnobio S. Victoris.*

DIſcite, Mortales, ſortis memoranda ſupremæ
Fata, quibus mors eſt indita, vita breuis.
Nobile *Pontificum* decus hac *Reginaldus* in vrnâ
Occubat, exili contumulatus humo.
*Pariſiæ* quondam *Præſul* celeberrimus vrbis
Fatali ad ſuperos ſorte vocatus obit.
Quiſquis ades, ſic te fragilem memorare, Viator,
Mors eſt certa, breuis gloria, vita nihil.

## *XC.*
## M. RICHARDI DE S. VICTORE.
*In Cœnobio S. Victoris Pariſienſis.*

MOribus, ingenio, doctrinâ clarus & arte
Puluereo hic tegeris docte *Richarde* ſitu.

Quem tellus genuit felici *Scotica* partu,
Te fouet in gremio *Gallica* terra ſuo.
Nil tibi *Parca* ferox nocuit: quæ ſtamina paruo
Tempore tracta graui rupit acerba manu.
Plurima namque tui ſuperant monumenta laboris,
Quæ tibi perpetuum ſunt paritura decus:
Segnior vt lentè ſceleratas mors petit ædes,
Sic propero nimis it ſub pia tecta gradu.

## XCI.

## ROGERII BELLOVACENSIS EP.

*In Choro S. Petri Bellou.*

HOc quòd dotata eſt *Comitatu Eccleſia* tanto,
Iure mihi acceptum grata referre potes.
Vos quibus hæc data ſunt ſaltem præſtate ſepulto.
Ne malè re pâtriâ dicar abuſus ego.

*Hic Odoni fratri Campaniæ & Carnutum Comiti Sancerrum in Biturigibus dedit, vt Comitatum Bellouacenſem ſibi compararet, quem Eccleſiæ ſuæ contulit.*

*Ad ſuperos abijt Natali S. Ioannis Baptiſtæ anno 1024.*

## XCII.

## RVSTICÆ AB ENNODIO EP. TICIN. *Mediolani in æde S. Franciſci inſculptum lapidi.*

R*Vſtica*, perpetuæ non te ſors pallida vitæ
Suſtulit, interitum nec tibi morte dedit.
Purior æthereas graderis ſine carne per arces:
Sic vitam caſtæ funera nobilitant.
Quid mirum, viduata tibi ſat conſtitit ætas,
Coniugis ad natum cum bene ductus amor.

Digitized by Google

## XCIII.

## SAXONIS GRAMMATICI HIST.

*Roſchildæ in Daniâ.*

QVi viuens alios æternùm viuere fecit,
*Saxo Grammaticus* mortuus hîc recubat.
Mortuus extincto ſed tantùm corpore, mente
Quâ valuit, magno viuit & ingenio.

## XCIV.

## SIMONIS EP. AGENNENSIS.

*Auct. Baldrico ex Abbate Burgulienſi poſtea Dolenſi Archiepiſcopo.*

PRæſul *Agennenſis* vir canus nomine *Simon*,
In cauſis *Cicero*, moribus ipſe *Cato*.
Ad natale ſolum rediens ad *Biturigenſes*
Occidit, inque ſuâ ſubtumulatur humo.
*Præſulis* oſſa fouet modò Sancta *Maria Dolenſis*,
Fouerat & puerum *Terra Dolenſis* eum.

## XCV.

## SISSINI PRESBYTERI.

*In mon. Chriſtianis Grut.* MCLXXIII. 9.

PResbyter hic voluit *Siſſinnus* ponere membra
Omnibus acceptus populis, dignúſque *Sacerdos*
Qui ſciret Sanctæ ſeruare fœdera matris,
Blandus, amore *Dei* ſemper qui viuere noſſet,
Contemtúſque ſuo neſciret diuitis aulam.

XCVI.

*THEODORÆ VIRGINIS.*

*Inter Chriſt. monum.* MCLXXI. 2.

V*Irginis* hic teneræ Lector miſerere ſepulcro:
Vnius huic luſtri vix fuit acta dies.
O quam longinquæ fuerat digniſſima vitæ!
Heu cuius viuit nunc ſine fine dolor!
Addamus meritis lacrymas, tam mortis acerbæ:
Nam quæ grata forent ſunt modò flenda diu.
Hæc *Theodora* habuit nomen, quæ gaudia matris
Perculit æterno vulnere rapta citò.
Sola tamen tanti reſtant ſolamina luctus,
Quòd tales animæ protinus aſtra petunt.

XCVII.

*TIGRINI PRESBYTERI.*

*In monumentis Chriſt. Gruteri* MCLXXII. 8.

PRæfixo moriens naturæ munere functus
Hic mea *Tigrinus Preſbyter* oſſa loco.
Sedibus in propriis mens pura & membra quieſcunt:
Iſta iacent tumulo, gaudet at illa polo.
Pono metum de fine meo, ſpes vna ſalutis
Nam mihi ſit *Chriſtus* quo duce mors moritur.
Quippè ego cæleſtis captus dulcedine regni
Diuerſis reparo tecta ſacrata locis,
Culmina quæ hic lapſis trabibus totúmque nouando
Promerui ſuperas lætior ire domos.

XCVIII. XCIX.

*VRBANI II. PAPÆ.*

*A Baldrico.*

V*Rbanum* Papam, quem *Francia* dixit *Odonem*
Quæ regio tenerum protulerat puerum,

Vitales auræ morientem deſeruere;
In quo ſic Orbis lingua diſerta ruit.
Vt ſimili careat doctore ſuperſtite mundus:
Hoc igitur poſuit flens ſua *Roma* ſuum.

## *VRBANI PAPÆ.*

*Auct. Philippo Abbate Bonæ Spei O. Præm.*

HIc viuens lux Vrbis erat, nox morte peremptus:
Vrbs ſtetit *Vrbano* ſtante, cadente cadit.
Lege regens, & pace fouens te *Roma* beauit,
Seruans à vitiis intus, ab hoſte foris.
Non flexit, non extulit hunc, non terruit vnquam
Diues, fama, potens, munere, laude, minis.
Eloquium linguam, ſapientia pectus, honeſtas
Mores ornabant, exteriora decor.
Ecce per hunc Vrbs ſancta patet, lex noſtra triumphat,
Gentes ſunt victæ, creſcit in orbe fides.
Sed citius rapitur roſa quæ plus vernat in horto,
Sic & florentem fata tulere virum.
Mors hominem, requies animum, ciſterna cadauer,
Soluit dura, fouet grata, profunda tegit.

## C.

## *VVILLELMI NOTHI ANGL. REGIS.*

*Auct. Baldrico Burgulienſi Abbate.*

INdice qui cælo, qui præſagante *Comete*
*Anglos* innumeris ſtragibus obtinuit;
Qui *Dux Normanis*, qui *Cæſar* præfuit *Anglis*,
Qui quaſi mananti fonte profudit opes:
Imperio pollens *Vuillelmus*, coniuge, natis,
Occidit, & ſimul hæc omnia deſeruit.

Digitized by Google

## CI.

## VVILLELMI RVFI ANGL. REGIS.

*A Baldrico cum tribus alijs tetraſtichis.*

QVi legis hunc titulum ſubtus agnoſce ſepultum
Anglorum Regem, nunc modicum cinerem.
Hic *Vvillelme* iaces, *Vvillelmi* filius, *Anglos*,
Qui ferus enſe fero belliger edomuit.
Dum ſequeris ceruos, alter quoque deſtinat ictum:
Ceruo directam paſſus es ipſe necem.

## CII. CIII. CIV.

*Placet enimuerò extra ordinem ſubiungere Coronidis loco tria SS. Satyri, Sidonij, atque Paulæ Epitaphia, venerandæ Antiquitatis pretioſiſſimas gemmas, & certiſſima Chriſtianæ pietatis aduerſus Nouantes Hæreticos monumenta.*

## S. SATYRI FR. S. AMBROSII.

*In æde ſancti Victoris Martyris.*

*Refert Dungalus commentario contra Claudium Taurinenſem.*

V*Ranio Satyro* ſupremum Frater honorem
Martyris ad læuam detulit *Ambroſius.*
Hæc meriti merces, vt ſacri ſanguinis humor
Finitimas penetrans abluat exuuias.

## S. PAVLÆ.

*Auctore S. Hieronymo ſub finem Epiſtolæ* XXVII. *ad Euſtochium Virginem.*

S*Cipio* quam genuit, *Pauli* fudere parentes,
*Gracchorum* ſoboles, *Agamemnonis* inclyta proles,

Digitized by Google

Hoc iacet in tumulo, *Paulam* dixere priores,
*Euſtochÿ* genitrix., *Romani* prima Senatus
Pauperiem *Chriſti*, & *Betlemitica* rura ſecuta eſt.

*In fronte ſpeluncæ.*

ASpicis anguſtum præciſâ rupe ſepulcrum.
Hoſpitium *Paulæ* eſt, cœleſtia regna tenentis.
Fratrem, cognatos, *Romam*, patriamque relinquens,
Diuitias, Sobolem, *Betlemi* conditur antro.
Hic præſepe tuum *Chriſte*, atque hîc myſtica *Magi*
Munera portantes *Hominique*, *Deóque* dedere.

*Dormiuit ſancta & beata Paula VII. Kal. Febr. tertia Sabbati poſt Solis occubitum. Sepulta eſt V. Kal. earundem Honorio Auguſto VI. & Ariſteneto Conſulibus. Vixit in ſancto propoſito Romæ annos quinque, Betleem annos viginti. Omne vitæ tempus impleuit annis quinquaginta ſex, menſibus octo, diebus viginti & vno.*

## S. SIDONII ARVERNORVM EP.

*Ex veteri codice MS. Cluniacenſi apud Sauaronem & Sirmundum.*

SAnctis contiguus, ſacróque patri,
Viuit ſic meritis *Apollinaris*,
Inluſtris titulis, potens honore,
Rectus militiæ forique Iudex,
Mundi inter tumidas quietus vndas,
Cauſarum moderans ſubinde motus
Leges barbarico dedit furori.
Diſcordantibus inter arma regnis
Pacem conſilio reduxit amplo,
Hæc inter tamen & philoſophando
Scripſit perpetuis habenda ſeclis,
Et poſt talia dona gratiarum,

Digitized by Google

Summi Pontificis ſedens Cathedram,
Mundanos ſoboli refundit actus.
Quiſque hîc dum lacrymis Deum rogabis,
Dextrum funde preces ſuper ſepulcrum,
Nulli incognitus & legendus orbi,
Illic *Sidonius* tibi inuocatur.

*XII. Kal. Septemb. Zenone Imp.*

*Plura poteram ijs adiungere; ſed vel inſulſa admodum, aut iuſto prolixiora, aut mendis & ſtribiliginibus obſita, atque à veterum elegantiâ ac venuſtate nimium quantum aliena. Neque vero hic farraginem in conditam, quæ nauſeam pariat tædiúmque Lectoribus, ſed delectum, qui guſtum ſaliuámque moueat, proponere aggreſſus ſum, memor inſtituti noſtri, illiúſque ſententiæ, quâ ſingulas huius Theſauri funebris partes tanquam auſpicato acroamate claudere conſtitui.*

Οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων.

*Neque omnia, neque paſſim, neque ab omnibus.*

Digitized by Google

# SELECTORVM EPITAPHIORVM THESAVRI PARS TERTIA.

ACROSTICHICA, Meſoſticha, & Teleoſticha, cum CHRONOLOGICIS, in quibus ex Numeralibus Literarum vulgarium Notis tanquam certis Characteribus Annus Mortis deſignatur, adiunctis nonnunquam Menſe, Die, atque Horâ. Sunt autem plerique, qui literam D. quingentorum indicem in iſtis probent, cùm alij eandem, vt ſpuriam & adulterinam, omnino repudient, abiiciántque.

## I.

### *ADRIANI TVRNEBI.*

*Fr. Thorij Bellionis operâ.*

QVVM ſoL æſtIVI LVſtrat CanCrI
IgneVS ortVS,
TVrnebVS eXhaVſto Corpore fra-
CtuS obIt.

M. CCCC. LL. X. VV. VV. VV. VV. VV. IIIII.

II.

*CAROLI PRINCIPIS F. PHILIPPI II.*
*Per Opmerum.*

FILIVS ante DIeM patrIos InqVIrIt In annos.

M. D. L. VV. IIII. III. *Ex libro I. Metamorphoſeon Ouidij.*

III.

*CATHARINÆ BARATONIÆ*
*D. Claudij Le Begue, apud Bituriges Aduocati Regij, chariſſima coniugis, quæ Pentecoſtes feriâ tertiâ, die May 13. Anni 1636. cum annos vitæ 20. expleuiſſet feliciter migrauit ad Superos.*

LVſtra bIs oCto eXpLens CatharIs BaratonIa MaII.
Vno aC bIſſeXto ſoLe reCepta poLo eſt.
M. CCCC. LL. LL. XX. VV. III. III.

IV.

*CHISTOPHORI THVANI PRÆSIDIS.*
*A Roberto Stephano.*

FAtIs ConCeſſIt qVâ noCte ThVanVs, opaCo
Tros pVer è Cœlo Mane rVebat aqVas.
M. CCCCC. L. VV. VV. VV. II.

V.

*EOBANI HESSI POETÆ.*
*Incerto auctore.*

LVCe MInVs qVintâ OCtobrIs ſVa fata peregIt
Phœbo HeſſVs gratVs CaſtaLIóqVe Choro.
M. CCCC. LL. VV. VV. VV. V. IIIII.

VI. ERAR-

Digitized by Google

## VI.

## ERARDI A MARKA CARD. LEODIENSIS EP.

*In choro Eccleſiæ S. Lamberti.*

ERARDVS à Markâ mortem habens præ oculis viuens poſuit 1538.

QVod neC honos, neC opes, neC gLorIa
Vertere CVrſV
AſtrorVM poſſIt præſVL Erarde VIdes.

M. CCCC. LL. VV. VV. VV. V. III.

## VII.

## S. EVGENIÆ MARTYRIS CORDVB.

*Ex Ambroſio Morales in App. ad Eulogium.*
*Maxima pars literarum attritu conſumpta.*

EVGENIAMARTIR

E ** ** ** *** ***
V ** *** LIS ** VVLNERA **
GENV ** ** ** VS TRVCVLENTVM,
EX ** ** ** QVI FOECVNDA ...
NOBIS HIC ** ** RETENTAT
IN CAELO DEHINC MERVIT PER SAECVLA VIGENS;
ADIVNCTA POLLET CVRIAE SANCTORVM IN ARCE
MERCEDES IPSO RVTILI SVB SOLE CORVSCAT
AMBIENS SACRI GLORIAM DE MERCE CRVORIS
REX TRIBVIT CVI CORONAM PER SECLA FVTVRA
TV ITAQVE NVTIBVS MARTYR NOS MANDA DIVINIS
IDEM SVB ERA NOVIES CENTVM IVGVLATVR
RVRSVS SEXAGIES ET VNO SEPTEM DE CALENDIS
APRILIS.

## VIII.

## S. EVGENII TOLETANI EPISCOPI.

*In Poematis eius à P. Sirmondo editis.*

Excipe Chriſte potẽs diſcretam corpore menteM,
Vt poſſim picei pœnam vitare barathi——I:
Grandis ineſt culpa, ſed tu pietate retunda—S,
Elue probra Pater, & vitæ crimina toll——E.
Non ſim pro meritis Sanctorum cœtibus exu L.
Iudice te ſanctum proſit vidiſſe tribuna——L
Vis Lector, vno qui ſim dignoſcere verſ—V?
Signa priora lege, mox vltima noſſe valebi—S.

## IX.

## S. EVSEBII VERCELLENSIS EP.

*Vide Io. Stephanum Ferrerium de Vercellenſibus Epiſcopis.*

## X.

## FIRMINI DVRII PAROCHI ROTH.

*A Lud. Martello Rothomag.*

TE bIſſeptenâ MartI rapIt atropos orbI,
IVſta beat, DVrI, te tVa VIta poLIs.
M. D. L. VV. VV. IIIII. III.

*En François par Iacques le Gras Roüanois.*

Q*Vatorze IoVrs en MarS, DoVrI, tV trepaſſas,*
*Et Vn peſant regret à ton paIs Leſſas.*
M. D. L. VV. VV. V. I I I.

## XI.

## FLORENTINI ABBATIS.

*Apud Baronium in Appendice Tomi* XII. *ad annum* DLIII. I.

*Illud, quia longius eſt, omittimus: habet autem initio ſeu capite verſuum hanc ſententiam:* FLORENTINVS ABBAS IN PACE QVIESCIT; AMEN.

Digitized by Google

## XII.

## FORESTI MEDICI.

EVICtVs fato CVbat haC ſVb MoLe ForeſtVs,
HIppoCrates BataVIs, sI fVIt, iLLe fVIt.
M. CCCC. LL. L. VV. VV. VV. VV. IIIII. II.

## XIII.

## HVGONIS DVCIS TVSCIÆ MARCH.

*Epitaphium hoc memoriâ dignum vtpote acroſtichis noui generis verſibus mirâ concinnatione deſcriptum iſtâ deſuper inſcriptione ſignatum profert Baronius in Annalibus Eccleſ. ad annum 1002. num. 3.*

F Fluctuat in terri——S qui ſemper viuere quæriT,
L Luminis & ſtabilI non manet ille grad——V.
E En ego diues Vgo dVx fulſi nomine claru——S,
R Rexi iura pi——E tegmine carnis in ho——C.
E Et docui mite——M prauum ſub faſce coëgI.
M Me raptor furtA pauit amare ma——A.
A Afrum me coluit reGnum, & qui rexerat illuD.
R Roma mihi paruIt, vt pater hanc domu——I.
I Iſte tamen tumuluS me clauditmarmore paruuS,
T Tuſca man⁹ ploreT mortis honore ſub hoC
V Vt me pœnæ ardoR non vrat Lector adorA
M Mundo corde DeVm, qui bona cuncta regiT
More benigno.

*Capitales litteræ cum mediis ac finalibus tres Adonicos exhibent hoc ordine.*

Flere maritum
Siue magiſtrum
Tuſcia diſcat.

## XIV.

## IOANNIS HAVCHINI ARCH.

*Mechlinienſis in Cathedrali Eccleſia.*

PRæſVL Ioannes IaCet haC HaVChInVs In Vrnâ,
Cetera ſCIre qVeVnt IpſI etIaM AntIpodes.
M. CCCCC. L. VV. VV. VV. IIIII. IIII.

## XV.

## IOANNIS MINEI ANTVERPIENSIS EP.

*Tumulo hæc inſcripta ſententia.*

Non ConfVnDar In æternVM.

M. D. C. VV. I. *Idem Annus alibi deſignatur hiſce formulis :* SIC abeVnDVM.
DoMInVs VoCat.

Quibus adiungere poſſumus mirabilem hanc dictionem, IVDICIVM, quæ ex ſolis conflata Numeralibus refert annum M. DC. XIII.

## XVI.

## IVLIÆ ET CORNELIÆ

*Epitaphio elegantiſſimo, quod inter Antiqua repræſentauimus ſupra Partis Primæ num.* CXXVII. *præfixa eſſe duo illa vocabula,* IVLIVS SECVNDVS, *obſeruauit iampridem Ambr. Morales.*

## XVII.

## IVSTI LIPSII.

*A Maximil. Vrientio & Nic. Oudardo.*

LIpſIVs heV, perIIt : quid fIet ? ſCILICet ILLVd
Lege noVa Vt dIſCas tV qVoqVe Phœbe MorI.

*Aliud.*

LIpſIVs hIC ſItVs eſt, fLos BeLgICæ & orbIs oCeLLVs.
ManIbVs eXoptet qVIſqVe qVIeta pIIs.

## XVIII. XIX. XX.

## MICHAELIS VIOLÆI ABBATIS
Sancti Euurtij apud Aurelianos.

*Auct. Iacobo Chalberto.*

HICCE dIe MaII bIſſepteno VIoLæVs
SIdera ConſCendIt, CVI dIVtVrna qVIes.
M. CCCCC. L. VV. VV. VV. IIIII. IIIII. I.

*Subtiliùs de eodem per Planetarum loca in Zodiaco.*

SEclum, Annum, Menſémque, Diémque, atque
inſuper Horam,
Queis *Violæus* obit Diui *Euurti* integer Abbas,
Noſcere quiſquis aues: non peruia cuique docebit
Te ratio. Hoc è Zodiaci Signis gradibúſque
Diſce, quibus Septem tunc errauere *Planetæ*.
*Hermes* biſſeno Tauri, *Sol* bis duodeno:
Biſſeno *Cypris* Geminorum, *Falciger* imo:
*Mars* ſexto Capricorni, extremo *Luna* vagatur.
Parte *Iouem* vndenâ oppoſitum fert Scorpius *Hermæ*.

*Aliud.*

MAij aduerſus erat pridie Idus *Iupiter Hermæ*,
*Mercurio* aduerſus, *Mercurijque* choro.
*Mercurium* gens docta colit. Doctiſſimus, heu, heu,
Aduerſo doctis tunc *Ioue Præſul* obit.



Digitized by Google

## XXI.

## *EIVSDEM MICHAELIS VIOLÆI ABB. Acroſtichis Auctore O. De Belly.*

M Marmore ſub nitido *Michaël Violæus* ab ortu
I Inclytus eximia nobilitate latet.
C Conditur hîc corpus gelidum, ſed ſidera cæli
H Huius ter felix ſpiritus alta tenet.
A Alter in æthereo lucet *Violæus* Olympo
E Egregius, natum quem colit alma cohors.
L Luctus quiſq; graues pellat, ſuper æthera circum
V Vinctus Phœbeâ tempora luce nitet.
I Ignifer ecce polus ſolito magis emicat, orbi
O Omne Deus rapuit deficiente ſuo.
L Luce noua Solem vincit fulgentior, hincque
E Eſt lis orta, tamen Sol *Violæus* erit.
V Victus nunc mœret Phœbus, cùm clarior ipſo
S Sol rutilet celſi pictus in axe poli.

## XXII.

## *NICOLAI AB. EVANTIO FILIO.*

*Extat Tomo 1. Collect. Hiſtoricæ Andreæ Quercetani, pag.* DXVIII.

N Nobilis & magno virtutum culmine celſ—E.
I Ingens conſiliis & dextro belliger act—V.
C Care mihi genitor, & vitâ carior ipſ—A.
H Hoc nati pietas offert poſt funera carme—N.
O Offerre incolumi quod mors nefanda vetauiT.
L Lux tibi ſumma Dei, necnon & gratia ChriſtI
A Adſit perpetuò, nec deſit temporis vſ—V:
O Omnipoténſque tuis non reddat debita culpiS.

Digitized by Google

## XXIII.

## *NICOLAI FABRICII PEIRESCII S. A.*

*Ab Honorato Bonche Prouinciali.*

TErtIa LVX qVâ ſe CanCro faX eXtVLIt orbIs,

PeIreſCVm ſeXtis ContVMVLAVIt aqVIs.

*Obijt Aquis Sextiis die Iouis 25. Iunij, an. 1637.*

M. CCCC. LL. L. XX. XX. VV. VV. VV. VV. IIII. II.

## XXIV.

## *NICOLAI PÆRCHET MONACHI,*

*In Cœnobio S. Benigni Diuione.*

P POSCO ſecla potens comprendere LÆTA
Æ Æqua MIHI ſit mens & ſani ROGO ſenſus
R Recta ſequi DONES PRÆBENS bene tuta.
C Corpus & acta regens, IESV, mala cuncta repellas
H Hoſtes hinc TOLLAS CÆLI moderator
E Eſto MIHI adiutor velut es SATOR, atque
T TRISTE fuga totum cor dirige ad ALTA.

## XXV.

## *PETRI LEONIS PATRIS ANTIPAPÆ*

*Anacleti II. dicti.*

*Habes apud Baronium ad annum 1144.*

*Et Antonium Boſium Romæ ſubterr. p. 163.*

P Præterit vt *ventus*, princeps ſeu Rex opu*lentus*,
E Et nos vt *fumus*; puluis & vmbra *ſumus*.
T Tot tantiſque *bonis* pollens *Petrus* ecce *Leonis*,
R Reſpice quàm modi*co* nunc tegitur tumu*lo*.
V Vir fuit imm*enſus* quem proles, gloria, *cenſus*
S Suſtulit in *vitâ*, non ſit vt alter *ita*.
L Legum ſeru*ator* patriæ decus, vrbis am*ator*,
E Extruxit celſis turribus aſtra poli.
O Omnia præ*clara* mors obtenebrauit *amara*,
N Nominis ergo *Dei* gratia parcat *ei*.
I Iunius in *mundo* fulgebat ſole ſe*cundo*
S Separat hunc no*bis* cum po lus atque la*pis*.

## XXVI.

## PETRI PITHOEI.

*Auct. Franciſco Iureto.*

SI dIVas LVgere pLaCet, LVgete CaMœnæ:
PIthœVs Veſter PIthIVs oCCVbVIt.

M. CCCC. LL. L. VV. VV. VV. VV. IIIII. I.

## XXVII.

## RAGINALDI COMITIS ET ALBRADÆ COM.

*Qui iacent in choro S. Remigij Remenſis, Epitaphia diem Aſtronomicè deſignant.*

PLebis amor; Procerúmque decus, pietatis amator,
Hic *Ragenolde* ſolueris in cinerem.
Inter opes, clarúmque genus, conſpectus in armis
Prætuleras ferro, pacis amore, togam,
Sol quintodecimo radiabat Velleris auro,
Cum ſuprema tibi clauſerat hora diem.

*In fine verò Epitaphij Albradæ hæc habes.*

PArticulas *Sol* quinque means luſtrarat *Aquarij*,
Hæc me cùm tenebris obruit vrna ſuis.

## XXVIII.

## REMIGII BELLAII,

*A Lud. Martello, apud Auguſtinianos Pariſ.*

POſtera LVX ſeXtæ eſt MartI, tIbI, BeLLaqVa Vates
QVa faCIVnt ſoCIo LVCtIbVs eXeqVIas.

M. CCC. LL. LL. X. X. X. VV. VV. VV. VV. IIIII. II.

## XXIX.

## STEPHANI DVCIS,

*Neapoli in Eccleſia S. Ianuarij.*

*Vide Cæſarem Caracciolum & Cæſarem Capaccium.*

## XXX. XXXI. XXXII. XXXIII.

TRISTIBVS vt iucunda miſceamus, non erit ingratum Lectoribus tot emortualibus Elogijs coniunctos quatuor Natales Chronologicos iam pridem à R. P. Ioanne Henrico Auberio S. I. conſcriptos videre ſimul & admirari.

## LVDOVICI XIII.
### GALLIÆ ET NAVARRÆ
### REGIS CHRISTIAN.

*Natalis Chronologicus, quo dies Menſis & Annus eius ortus deſignantur.*

Natus feliciſſ. Auſpicijs 27. Sept. 1601.

NAſCerIs ô! qVantIs regno eXoptate tot annos
RеX VotIs patrIas dIgnVs obIre VICeIs.
SepteMberqVe tVos LodoICe sIbI arrogat, ortVs
fVLsIt eI Vt VICIes terqVe qVaterqVe dIes.
*Icaridem Aſtraamque inter, ne Caſtior vllus,*
*Nec Rex, te toto Iuſtior Orbe foret.*
Char. Chronologici. M. CCCC. LL. XX. VV. VV. VV. VV. VV. VV. V. IIIII. IIIII. IIIII. I.

## LVDOVICI BORBONII
### DVCIS D'ANGHIEN.

*Natalis Chronologicus, quo dies Menſis & Annus eius ortus deſignantur.*

Natus feliciſſ. Auſpicijs 8. Die, qui ſacer B. V. natali Menſe Sept. 1621.

ERIgones orerIs sIgnô LoDoICE, dIeqVe,
QVâ ſortIta ortVs Ieſsea VIrgo sVos
Prô! soCIIs orerIs bInæ qVI VIrgInIs aſtrIs
HaC geMInâ PrInCeps aVspICe qVantVs erIs!

*Characteres Chronologici.* M. CCCCC. L. VV. VV. VV. VV. VV. IIIII. IIIII. IIIII. IIIII. I.

*ARMANDI BORBONII*
PRINCIPIS CONTII.

*Natalis Chronologicus. Natus eſt fel. Auſp. vndec. Die M. Octob. 1629. Die Iouis, hora quinta.*

OCtobrI VndeCIes soL ora oſtenderat: hora
QVInta erat: atqVe IoVI rItè ſtatVta dIes.
EnIXa æthereas VenIt genItrICe sVb aVras
ContIVs HenrICo MargarItaqVe ſatVs.

*Charact. Chronol.* M. CCCCC, L. X. VV. VV. VV. VV. VV. V. IIIII. IIIII. IIII.

*ANNÆ BORBONIÆ*
DVCIS LONGAVILLANÆ.

*Nata eſt feliciter 27. Auguſti Menſis Die, an. 1619.*

AVgVſte ô! qVantô deCorarIs honore, VICenæ
SeptenæqVe dIes Vt nItVere tIbI.
BorbonIdVM DEA regaLI de ſangVIne nata
EXorItVr, dIo qVæ præIt ore deas.
ThraX pater, ALCIdes, phœbVs pro VIrgIne Certant.
FrVſtrâ. Ipſo ſponſa eſt dIgnIor Vna IoVe.

*Char. Chron.* M. CCCC. LL. XX. VV. VV. VV. VV. VV. VV. VV. VV. IIIII. IIIII. IIIII. IIII.

Digitized by Google

NEQVE verò omittendam hoc loco arbitror inſignem planè ſententiam, quâ celeberrimam Sereniſſimi Principis Condæi LVDOVICI BORBONII, tunc Ducis Anguiani, apud Rupem Regiam de Galliæ hoſtibus victoriam non infelicitor expreſſam aliàs exhibui.

MARS ANGVIANVS
VIDIT, VICIT, VINXIT
HISPANOS.

M. DC. X. VV. VV. V. IIIII. III.

Οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε
παρὰ πάντων.

*Neque omnia, neque paſſim, neque
ab omnibus.*



# SELECTORVM EPITAPHIORVM THESAVRI PARS QVARTA.

DIALOGICA, Viatore, aliiſve cum Vmbrâ ſeu defuncto, aut ipſomet nonnunquam Poëtâ per breuem Dialogum colloquentibus.

## I.

### *ADRIANI VI. ROM. PONTIFICIS.*

*Auct. Maximil. Vrientio.*

QVÆ facies tam dia Viri? *Sextine Adriani?*
Hoc ita. Quo functus munere? Penè *Dei.*
Quis dedit hunc? Humili *Traiectum* ſtirpe, ſupremus,
Sed cui mox Dominæ traditus *Vrbis* apex.
Qui docuere Virum? *Grudij*, *Belgi* orbis *Athenæ*,
Hic vbi Gymnaſium condidit ille nouum.
O bene! Sed tenui quis opes ſuffecit & aurum?
Diſcipulus *Cæſar* CAROLVS *Auſtriades.*

Digitized by Google

Qui pius & gratus *Pellai* more Monarchæ
Rectorem hunc voluit noſſet vt omnis *Iber*.
[illegible]it: & inde ſacræ redimitum luce Tiaræ
*Pontificem Latij* percoluere *Patres*.
Omnia ſic vnum decorarunt Maxima *Belgam*,
*Traiectum, Grudij, Cæſar, Iber, Latium*.

II.

## *ANNÆ BERGVARDÆ.*

*A Cynthio Gyrardo.*

CVr flent hic *Charites*? cur hic flet & aurea
*Cypris*?
An fato eſt hominum fas lacrymare *Deas*?
Non flent *Diuæ* hominem, ſociæ ſed iuſſa miniſtrant,
*Anna* etenim terris *Gratia*, *Cypris* erat.

III. IV.

## *ANNÆ REGINÆ FRANCORVM.*

*Quintianus Stoa cum pluribus aliis ſcripſit.*

SIſte gradum, qui pergis, in hoc iacet *Anna* ſepulcro,
Siſte gradum, an parui nominis *Anna* tibi eſt?
*Anna* iaces? Iaceo. Quis te tulit *Anna* ſepulcro?
Mens pia, gratus amor, lex ſacra, priſca fides.
Quis tulit accenſas tædas? ſplendórque, genúſque.
Quis thus? *Pax*. Dixit quis pia verba? *Charis*.
Quis genuit? Tellus, aër quoque, pontus, & æther?
Quis tecum in duro marmore? Nullus adhuc.
*Anna* quid exoptas? Vbi *Carolus*? Æde ſub iſtâ eſt.
Alter inextinctus Rex mihi ſemper erit.
Extinctam extinctus teneat me *Carolus*, alter
Pignora cara mei vir *Ludouicus* habet.

*Singularias litteras addidit quæ hanc ſententiam efficiunt:*
Duce *Britonum Galliarúmque* Reginâ extinctâ *Annâ*
ſe numquam talem Natura terris præſtituram con-

feſſa eſt, quam & Dij tam ſubitò præriperent, & mortales tam longùm collacrymarent. Felici cœlorum choro.

*Præmiſit & Cordis Epitaphium hoc breue.*

Cor iacet hic. Cuius? Ducis inuiolabilis *Annæ.*
Cur niſi Cor? Viuens Cor niſi tota fuit.

*Brito, vel quicunque es, ſi cor habes, hoc ſacrum cor venerare.*

## V.

### ANONYMI.

*Nondum mihi comperto auctore.*

QVid iacet hac ſub mole? Cinis. Nil amplius? Oſſa.
Cuius? Quo careo. Quos petiit? Superos.

## VI.

### AVRÆ.

*Mich. Marullo auctore.*

QVænam hæc pompa? *Aura.* Quis circum planctus? *Amorum.*
Quæ tam lugubri veſte adoperta? *Charis.*
Vnde rogus? fracti ſtruxere *Cupidinis* arcus.
Quis ſimul indigno qui iacet igne? *Decor.*
Heu ſortem miſerandam hominum! Quò faſtus inanis?
Delicias æui tam breuis hora tulit.

## VII.

### S. BERNARDI CLARÆVALLIS ABBATIS. *Ignoto auctore.*

MIra loquar, ſed digna fide. *Bernarde*, quid hoc eſt?
Viuis adhuc? Viuo. Non ergo es mortuus? Imò.
Ecquid agis? Requieſco: taces an faris? Vtrumque.
Cur reticeṡ? Quia dormio. Cur loqueris? Quia viuo.

Quid loqueris? Sacra myſtica. Cui? Mea ſcripta legenti.
Num cunctis? Non. Ergo quibus? Qui dulcia quærunt.
Nomen habes? Ita. Quod? *Bernardus*. Non ſine cauſa?
Non. Dic ergo quid hoc eſt? *Bernardus* bona nardus.
Cur nardus? Quia fragro. Quo fragramine? Dulci.
Cui fragras, & vbi? Lectori, Codice ſacro.
Quod cognomen habes? De *Clara Valle*. Manes hic?
Manſi, ſed modò non. Vbi nunc? In vertice montis.
Qualis eras in *Valle* manens? Humilis. Modo quantus?
Maior nunc ſurſum, quantò minor ante deorſum.
Nonne tui quicquam *Vallis* tenet? Oſſa. Quouſque?
Donec cæleſte fiat terreſtre cadauer.
Hoc quando fiet? Omnis caro quando reſurget.

## VIII.

## CÆLIBIS FELICIS.

DIc tumulo pia verba, feres pretium: iacet iſtic,
Qui cælebs ſenſit iurgia nulla domi.
Macte vir ingenio: ſpiret ver, floreat vrna,
Dent pacem cineri Numina. Da pretium.
Do pretium. Fuge vinclatori, fuge iura mariti;
Non tibi erunt lites, iurgiáue vlla domi.
Compater hanc legem ſtatuit; connubia vita,
Connubijs namque eſt addita rixa comes.

## IX.

## DANTIS ALIGERI.

*Auctore Mich. Tarchaniotâ Marullo.*

QVis ſacer hic *Erato* vates dic aurea? *Dantes*
*Aliger*. At vocis quod genus, & numeri?

Digitized by Google

Vox patria illa viro numeros ſine nomine nuper
Miſerat auctoris *Sicelis Æthna* ſui.
Materiam nunc ede? Animarum horrenda piacla,
Quódque iter ad *Superos*, ad *ſtyga* quódque ferat.
Vnde domo? Veterem agnoſcit *Florentia* alumnum.
Ecquæ tot merces dotibus? Exilium.
Heu ſortem indignam, & virtutibus inuida ſecla!
Quamuis cui virtus contigit, & patria eſt.

X.

DENII.

QVis tumulus? *Deny*. Quæ circum hæc agmina?
*Muſæ*.
Quæ mulier? puris *Simplicitas* manibus.
Qui corpus? *Charites*. Animum finxere? *Lepôres*.
Quis dedit in cineres tot bona? *Parca* dedit.
*Muſæ, ſimplicitas, Charites*, lugete, *Lepôres*:
Mortuus eſt veſtro *Denius* exitio.

XI.

EVPHROSYNES TARCHAN. MATRIS.

*Scripſit filius Mich. Marullus.*

QVænam hoc in tumulo tegitur matrona? *Venuſtas.*
Ille *Pudicitiam* dixerat; hæc eadem eſt.
Quod genus? *Inachidi*. Generis fortuna? beata:
Sed cecidit patriâ deficiente ſuâ.
Quis torus? Vnus, & hic felix, ſine lite, *Marulli*.
An mater? ſeno pignore fecit auum.
Quæ vita? in tenebris. Quæ, cauſa indigna doloris?
Occaſus patriæ, ſeruitiúmque, graue.
Ecquæ cum patriâ luxit? Fratréſque, Patrémque,
Sed quas felices diceret eſſe animas.
Felices nimirum animæ: ſed enim hæc quoque felix,
Fœmina tam rari pectoris in patriam.



Digitized by Google

XII.

*FLAVIÆ RVFILLÆ.*

*Gruterus refert quidem, ſed nouum, aut ſaltem ſuſpectum, putat* DCCCCXII. I.

QVid gratum credit *Venus* arcum? Perdidit arcum.
Quis rapuit? *Tuſco Flauia* nata ſolo.
Quî factum? Petit hæc, dedit hîc: nam lumine formæ
Deceptus Matri ſe dare crediderat.

*Verum, nihil hoc ad Epitaphia tumulóſque, vt neceſſe ſit erraſſe grauiter eos, qui inter emortualia carmina recenſuerunt.*

XIII.

*FRANCISCI ÆLII.*

*Auct. Io. Iouiano Pontano.*

QVis iacet hoc tumulo? Nullus iacet: hunc ſibi viuus
*Ælius*, hanc ſtatuit poſt ſua fata domum.
Cur intérque herbas, intérque virentia culta,
Quâ nitet auratâ Citria ſilua comâ?
Hanc illi ſiluam *Muſæ*, hos ſtatuêre receſſus,
Quò poſt *Vmbra* ſuo gaudeat in thalamo.
Quid quòd & *Aſſyrij* ſpirant de marmore odores;
Quidquid & *Aſſyrio* nardus honore fragrat?
Illos *Aſſyrijs Charites* de collibus, hanc &
Detulit *Aſſyriâ gratia* abuſque plagâ.
Hoc illi meritum *Muſa* poſt fata rependunt.
O ſcriptor *Latiâ* nobilitate Lyrâ!

XIV.

*FR. DAVALI MARCHIONIS DE PISCARIA. Auctore Petro Bizarro apud Gruterum.*

QVis iacet hoc gelido ſub marmore? Maximus ille
*Piſcator*, belli gloria, pacis honos.
Numquid & hic piſces cepit? Non. Ergo quid? Vrbes,
Magnanimos Reges, oppida, regna, duces.



Digitized by Google

Dic quibus hæc cepit *Piſcator* retibus? alto
  Conſilio, intrepido corde, alacríqne manu.
Qui tantum rapuère Ducem? Duo Numina, *Mars*,
    *Mors*.
  Vt raperent quiſnam compulit? *Inuidia*.
Nil nocuêre ipſi: viuit nam *fama* ſuperſtes,
  Quæ *Martem* & *Mortem* vincit, & *Inuidiam*.

*Sunt & qui Arioſto tribuant: alij, vt Leodegarius à Quercu in Floribus Epygrammatum pag. 108. Lud. Cælio Rhodigino.*

XV.

*GVILLELMI SAVARII.*

*Auctore Courualſonneto.*

QVis iacet hîc? *Nullus*. Quis ſaxo hoc clauditur?
    *Omnis*.
  Clariùs iſta rogo; dic, age, vera, lapis?
*Guillermus* paruâ ſitus eſt *Sauarius* vrnâ,
  Qui ſibi *Nullus* erat, omnibus *Omnis* erat.

*En François par le meſme.*

*QVel corps giſt en ce lieu? Nul ce Tombeau n'enſerre.*
*Et qui donc eſt enclos ſous cette froide pierre?*
*Paſſant, Tout y repoſe, & dort ſans mouuement.*
*Marbre ie te ſupplie parle plus clairement.*
*En tes propos obſcurs ie ne puis rien comprendre:*
*Explique de quel Tout repoſe icy la cendre.*
*Guillaume Sauari gît ſous ce marbre eſtroit,*
*Qui viuant ne fut ſien, mais Tout à tous eſtoit.*

XVI.

*HOMONOEÆ ATIMETVS.*

*Ex Henr. Smetio, Iano Grutero* DCVII. 4. *alijſque.*

ATIMETVS PAMPHILI TI. CÆSARIS AVG. L.L. ANTEROCIANVS SIBI ET CLAVDIÆ HOMONOEÆ CONLIBERTÆ ET CONTVBERNALI.

Η Πολὺ Σειρήνων λιγυρωτέρη ἡ θεὸς Βάκχῳ,
  Καὶ ϑοίνας αὐτῆς χρυσοτέρη Κύπριδος,

Η λαλιὴ, φλιαρή τε χελιδονὶς, ἔνθ' Ὁμόνοια
  Κεῖμαι Ἀτιμήτῳ λειπομένη δάκρυα.
Τῷ πέλον ἀσπασίη βαιῆς ἄπο. τὴν δὲ τοσαύτην
  Δαίμων ἐσκέδασεν ἀφειδέως φιλίην.

*Permiſſu Patroni.*

*In fronte longum P. V. latum P. IV.*

*In ſiniſtro illius vrna marm. quadrata latere.*

TV qui ſecurâ procedis mente, parumper
  Siſte gradum, quæſo, verbáque pauca lege.
Illa ego, quæ claris fueram prælata puellis,
  Hoc *Homonoea* breui condita ſum tumulo.
Cui formam *Paphie*, *Charites* tribuere decorem:
  Quam *Pallas* cunctis artibus erudijt,
Nondum bis denos ætas mea viderat annos,
  Iniecêre manus inuida fata mihi.
Nec pro me queror, hoc morte eſt mihi triſtior ipsâ
  Mœror *Atimeti* coniugis ille mei.

ATIMETVS.

SIt tibi terra leuis, Mulier digniſſima vitâ,
  Quæque tuis olim perfruerêre bonis.

*In dextro eiuſdem vrna latere.*

ATIMETVS.

SI penſare animas ſinerent crudelia fata,
  Et poſſet redimi morte aliena ſalus;
Quantulacumque meæ debentur tempora vitæ,
  Penſaſſem pro te, cara *Homonœa*, libens.
At nunc, quod poſſum, fugiam lucémque, *Deóſque*;
  Vt te maturâ per *Styga* morte ſequar.

HOMONOEA.

PArce tuam, Coniux, fletu quaſſare iuuentam,
  Fatáque mœrendo ſollicitare mea.
Nil proſunt lacrymæ, nec poſſunt fata moueri:
  Viximus, hic omnes exitus vnus habet.

Parce, ita non vnquam ſimilem experiâre dolorem,
Et faueant votis numina cuncta tuis.
Quódque mihi eripuit mors immatura iuuentæ,
Id tibi victuro prorogèt vlteriùs.

*XVI. 2.*

IOANNIS FLEMINGI.

*Antuerpiæ referente Fr. Svvertio in inſcriptionibus & Monumentis Brabantiæ.*

HOc quis ſub tumulo cubet, Viator,
Huc illuc oculos agens requiris,
Qui rem te doceat. Docebo. Quis tu?
Qui tecum loquor, Vmbra. Quæ? Poëtæ.
Vbi? Poſt tabulam. Quid ergo dicis?
Hoc quod tu loqueris. Quod illud? Ipſum
Quod neſcis. Maneas, Inepte; necdum
Scis, quod neſcieras. Flemingus ille,
Omnes quem poterant amare praui,
Omnes debuerant amare ſani,
Hic iacet: nihil addo, nec neceſſe.
Nouit cætera mundus vniuerſus.

*Eiuſdem libri pagina 227. habes longiuſculum Anacreonticum Dialogum in honorem Ioannis Coſterij auct. Iacobo Latomo.*

*XVII.*

IO. IOVIANI PONTANI.

*Auct. Pierio Valeriano Bellunenſi ad Viatorem.*

SCriptorum venerabilis magiſter
*Pontanus* cubat hîc: Viator, illum
Commentus bona verba fortè adores?
Ne fac, huic mala quin precare multa;
Omnem vt ſurripuit Poëtices vim.
Nam dum tam bene ſcribit, ádque amuſſim
Æquat omnia, perpolítque ad vnguem,

Quauis arte, decoréque abſolutus:
Secli terriculum fuit ſequentis;
Nemo ſcribere vt audeat Nepotum.

*Viator.*

QVin pacem huic, bona quin precare, libans
Thus, coſtum, violas, crocum ſepulcto
Qui dum tam bene ſcribit, ádque amuſſim
Æquat omnia, perpolítque ad vnguem;
Quæ obſoleuerat ars, decórque rectè
Scribendi, auſpicijs renidet huius:
Noſtra ætas veteres vt æmulari.
Et poſſit ſimul, & ſimul præire.

XVIII.

IOANNIS OLIVARII ANDEG. EP.

*In Templo S. Mauricij.*

INquiris Hoſpes qui ſum? Non ſum ampliùs.
Quid agam? Putreſco, & vermium greges alo.
Qui fuerim? Ineptus *Ianus Oliuarius*,
Peccator vnus omnium præmaximus.
Vnde? Vrbe natus nobili in *Lutetiâ*.
Quo functus olim munere in republicâ?
Primùm Archi-abbas, *Andium*, pòſt Pontifex.
Quæ otia? Sacratas paginas euoluere.
Quid hac in vrnâ ſuperat? Oſſa & Cinis.
At quò animus? Hoſpes, contine; ſcire hoc nefas:
Arcana *Diuûm* non decet ſcrutarier.
Neu quid negoti ſit *Ioui* cum *Manibus*.
Satis ſupérque noſſe erit, fidelium
Poſt fata mentes non mori, at quieſcere,
Donec reſurgant in priore corpore
Auguſtiore quàm antea, feliciùs
Victuræ in æuum cum Beatis omnibus.
Iam noſti abundè qui fuerim. At, altiſſimis
Quando in tenebris nequeo nunc te agnoſcere



Digitized by Google

Saltem, Hoſpes, vnum, hoc tete, vt agnoſcas, rogo.
Optéſque veram mortuis pacem omnibus.

XIX.

IVSTI LIPSII.

*Auct. Balduino Cabillano S. I.*

QVis lapis hic? Buſtum. Quæ circum pompa? *Camœna.*
Quæ gemit hic? *Pietas.* Quæ comes? Orba *Fides.*
Quæ pyra, & vnde? rogo it *Sophia* peritura ſuppellex.
Quid tegit vrna? Nihil: ſidera *Iuſtus* adit.

XX.

LVDOVICI DVCIS AVRELIANENSIS.

*In Eccleſiâ PP. Cæleſtinorum Pariſiis.*

QVis tumulum poſuit? Regum Rex maximus ille
Filius, & Regum Rex *Ludouicus* honor.
Quando? Poſt *Ligutem, Inſubrem, Siculúmq;* triũphum,
Poſt captos Reges, *Sfortiadáſque* Duces.
Quis iacet hic? Magni Heroes, *Ludouicus,* & vxor
Alma *Valentina,* Regia progenies.
*Aureli* proceres *Carolus,* cum fratre *Philippo:*
Ille auus illa, auia eſt; hic pater, hic patruus.
Qui genus? E Francis. Studium quod? Regna tueri,
Belláque ſanguineâ ſollicitare manu.
Quæ mulier? Ducis *Inſubrij* pulcherrima proles;
Ius *Mediolani,* ſceptráque dote dedit.
Viuere debuerant propter facta inclyta ſemper.
Debuerant, ſed mors impia cuncta rapit.
Hos ergo rapuit Proceres? Non: Corpora tantùm:
Semper erunt animæ, gloria ſemper erit.

XXI.

DE OBITV M. MAVRICII HYLARETI
D. F. *Dialogus inter Poëtam & Echo.*

AD tua vox reſonans, gaudes quæ vallibus, *Echo,*
Garrula ſaxo ſis, antráue vadit? *adit.*

An dabis ergo lubens reſponſum, an denique voti
Compos ero, dic, quid *Nympha* verêris? *eris.*
Vndique cur morbum populus ſic plorat acerbum
Præconis *Chriſti,* cur ita clamat? *amat:*
Quid proſunt lacrymæ? cum iam optet molle iuuari
Corporis & terræ reddere pronus, *onus.*
*Hylaret* vt fertur, labefactus acumine morbi,
Ad ſuperos hilaris mox volitabit? *abit.*
Nunc obit, illi etenim iam funera iuſta parantur,
Concidit ergo '*Dei* mens generoſa: *roſa.*
Ambroſiâ fruitur nunc, térque quatérque beatus:
Hanc etenim *Chriſto* qui bene credit, *edit.*
Huic igitur, toto coluit quem pectore, *Chriſtus*
Præſto erit, huícque dabit, ſpero, iuuamen. *Amen.*

## *XXII.*
## PACIS SEPVLTÆ.

*Auct. Iacobo Herlomio.*

QVis iacet hic? Titulum lege. Neſcio. Num tibi nota eſt
Littera? Non. Quis tu? Ruſticus. Ergo rudis.
Ede tuum nomen? ſum *Pax.* *Páxne* illa *Tonantis*
Filia? Rem capis. Hîc quæ tibi iuncta? *Fides.*
Hæccine cana *Fides?* Etiam. Quis clauſit in iſto
Vos tumulo? *Regum, Nobiliúmque* furor.
Commeruiſtis enim. Nouit *Deus.* Orbis ademptas
Vos gemit. Et merito. Me mage nemo. Piè.
Quidni? Ruris eras *Deus.* Adde quid. Vrbis alumna,
Si placet, adde. Parens farris & æris eram.
Per te *Crœſus* eram. Fateor. Regnum omne beatum.
Verum. Florebat quidquid vbique fuit.
Quid iam? Marceſcit. Colitúrne *Deus? Deus* orbe
Exulat. Humanum quis regit ergo genus?



Digitized by Google

Mors, dolus, impietas. Vbi *Mars?* per rura vagatur
*Belgarum*. Quid agit? cinctus *Erynne* furit.
Innocuis parcit? Sæuus lupus vt ſolet agnis.
Abſtinet à Templis? Non minus atque caſis.
Clauſtra intacta ſinit? Minimè, ſpoliata perurit.
Quid Virgo? Erepta virginitate gemit.
Quid Monachus? Poſitâ *Martis* colit arma cucullâ.
Quis placat ſuperos? Nemo. Quis orat? Inops.
Ecquid? Opem. Quis opem fert? Nemo. Vidéſne malorum
Finem? Non video. Proh ſcelus! Vnde ſalus?
Vnde, niſi à *Superis*? *Superi* indignantur. At olim
Res bene erit? Spero. Spes miſeros ter alit.
Túne reuiuiſces? etiam. Quo tempore? Non eſt
Certum, ni *Regum* protinus ira cadat.

## XXIII.
## *RVSTINÆ.*

QVæ lapidum moles? Tumulus. Quæ Nænia circùm?
Mœret *Amor, Charites*, & malè fauſtus *Hymen*.
Proh dolor! Eſt equidem iuſti noua cauſa doloris
Nympha laboranti nuper adempta viro.
Quæ? *Ruſtina* decens, *Venus* altera. Parcite, *Parcæ*:
Neſcieram certè Numina poſſe mori.

## XXIV.
## *SILVIÆ.*

SVnt *Charitum* hi tumuli? *Charitum* ſunt, nec tamen hîc eſt
Sola *Charis*; ſed & eſt ipſa ſepulta *Venus*.
Sunt tumuli hi *Veneris*? *Veneris* ſunt: nec tamẽ hîc eſt
Sola *Venus*: ſed & hîc ipſa *Minerua* iacet.
Hícne *Minerua* iacet? Iacet hîc: ſed nõ tamen illa hîc
Sola iacet: ſed & hîc capta *Diana* iacet.

Digitized by Google

Ergo etiam periêre *Deæ*? dubitáſne periſſe
Ipſe *Deas*, potuit *Siluia* ſi ipſa mori?

## *XXV.*

## THOMÆ MORI MARTYRIS.

QVis iacet hic? Truncus. Cuius caput enſe reciſum eſt?
Quæ natat in tetro ſanguine canities?
Hic eſt ille *Thomas Morus*. Sic fata rependunt
Triſtia multa bonis, & bona multa malis.
Quæ circumſiſtunt *Diuæ* lugubre cadauer?
*Diua* tenax *Veri*, ſancta *Fides*, *Nemeſis*.
Quarum prima fuit cauſa, & fuit altera mortis;
Iniuſtæ vindex tertia mortis erit.

## *XXVI.*

## VIOLANTHIDIS.

*Auctore Iouiano Pontano.*

QVænam hîc virgo iacet? Cuius de funere mœrens
Fregit *Amor* pharetram, diſſecuítque genas.
Quis comes in tumulo eſt? *Luſus*, *Veneréſque*, *Iocique*.
Quis tam demiſſo qui madet ore? *Decor*.
Quo nomen? *Violanthis*. Origo nominis vnde?
Surgebant violæ fixit vbi illa pedem.
Immanem *Lacheſim*! quod nunc raſus, heu! breuis eſt flos;
Quem neque ros poſthac, lympha nec vlla riget.

## *XXVII. XXVIII.*

*Placet etiã hiſce Epitaphiis adtexere geminum de vtráq; Iuſtitiâ dialogiſmum perelegantem Ignatij Albani Meratenſis.* *De Verâ Iuſtitiâ.*

QVæ Dea? *Iuſtitia*. Et cur toruo lumine? Flecti
Neſcia ſum lacrymis, nec prece nec pretio.

Digitized by Google

Quod genus? *A ſuperis*. Genitor quis? *Iupiter*. Ex quâ
Matre? *Fide*. Nutrix quæ tua? *Pauperies*.
Quis gremio infantem fouit? *Prudentia*. Quónam
Freta Duce agnoſcis crimina? *Iudicio*.
Cur gladium tua dextra gerit, cur læua bilancem?
Ponderat hæc cauſas; percutit ille reos.
Quid rari aſſiſtunt? Quòd copia rara bonorum eſt.
Quæ comes adſidua eſt? Candida *Simplicitas*.
Aurium aperta tibi cur altera, & altera clauſa eſt?
Hæc ſurdà injuſtis; panditur illa bonis.
Paupere cur ſemper cultu? Iuſtiſſimus eſſe
Qui cupit, exiguas ſemper habebit opes.

### *De Falsâ Iuſtitiâ.*

QVæ tu? *Iuſtitia*. Et cur blando lumine? Flector
Protinus ante omnes non prece, ſed pretio.
Quod genus? *A terris*. Quo patre? *Dolo*. Vnde creata?
Ex *Spe*. Quæ nutrix? *Aurea materies*.
Quis gremio infantem te fouit? *Opinio fama*.
Quomodo cognoſcis crimina? *Muneribus*.
Cur dextrâ gladium geſtas, lancémque ſiniſtrâ?
Hæc peragit cauſſam diuitis, illa inopis.
Quid multi adſiſtunt? Citat hic, tenet hic, ligat alter.
Quæ comes? Argenti candida ſimplicitas.
Altera clauſa tibi cur auris, & altera aperta eſt?
Hæc patet iniuſtis, clauditur illa bonis.
Diuite cur habitu? ſemper manus aggregit aurum:
Si nequit vnde velit; ſurripit, vnde poteſt.

*Neque alienum erit hoc loco addere Dialogum Philoſophi & Iuſtitiæ, quem in Collegio Taurinenſi Societatis* IESV *in Subalpinis parieti inſcriptum eſſe plures memorant.*

QVæ Dea? *Iuſtitia*. At cur toruo lumine ſpectas?
Neſcia ſum Flecti, nec moueor precibus.

Digitized by Google

Vnde genus? *Cælo*. Qui te genuêre parentes?
  Mî *Modus* eſt genitor, clara *Fides* genitrix.
Aurium aperta tibi cur altera, & altera clauſa eſt:
  Vna patet iuſtis, altera ſurda malis.
Cur gladium tua dextra gerit? cur læua bilancem?
  Ponderat hæc cauſas, percutit illa reos.
Cur ſola incedis? Quía copia rara bonorum eſt:
  Hæc referunt paucos ſæcula *Fabricios*.
Paupere cur cultu? ſemper iuſtiſſimus eſſe
  Qui cupit, immenſas nemo parabit opes.

ΟΥτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων.

*Neque omnia, neque paſſim, neque ab omnibus.*



# SELECTORVM
# EPITAPHIORVM THESAVRI PARS QVINTA.

LEONINIS, Rhythmiciſque verſibus, iiſque nonnunquam inuicem permixtis, contexta, breuibus iocoſiſque in ſuas Claſſes poſtmodum referendis.

## I.

*ALBERTI ROYENSIS LAVDVNI EP.*
*In Abbatiâ S. Vincentij eiuſdem vrbis.*

PRæſulis *Alberti* cineres ſunt hîc *cooperti*
Iuribus *experti*, virtutum laude *referti*,
Prudentis, *iuſti*, titulo probitatis *onuſti*,
In ſpe *robuſti*, pietate, fidéque *venuſti*.
Nobilitas *generis* probat hunc, & gloria *morum*
Contemptus *ſceleris*, ac ſubſidium *miſerorum*:
Expoſuit *non ſe* tantùm, ſed opes *manifeſtè*,
Iura ſuæ *ſponſæ*, cauſáſque tuendo *modeſtè*.
Anno *milleno* C. ter, bis ter *duodeno*
Deceſſit *Feſto* Marci. pius huic *Deus eſto*.

Quàm verò antiqua ſint eiuſmodi Rhythmica Carmina docent, quæ habentur cap. LXXVIII. vitæ MS. S. Faronis Ep. Meldenſis. Ex quâ victoriâ, *inquit Auctor ille anonymus*, Carmen publicum iuxta *ruſticitatem* per omnium penè volitabat ora, ita canentium, feminæque choros inde plaudendo componebant.

*De Clotario eſt canere Rege Francorum,*
*Qui iuit pugnare in gentem Saxonum,*
*Quàm grauiter proueniſſet Miſſis Saxonum,*
*Si non fuiſſet inclytus Faro de genere Burgundionum!*

Et in fine huius Carminis.

*Quando veniunt Miſſi Saxonum in terram Francorum,*
*Faro vbi erat Princeps tranſeunt per vrbem Meldorum*
*Iuſtinctu Dei, ne interficiantur à Rege Francorum.*

## *II.*
## ANONYMI.
### *Patauij in D. Laurentij.*

MOrs mortis, morti mortem ſi morte *dediſſet,*
Hic foret in terris, aut integer aſtra *petiſſet*:
Sed quia diſſolui fuerat ſic cuncta *neceſſe,*
Oſſa tenet Saxum, proprio mens gaudet in *eſſe.*

## *III.*
## S. ANTONI PADVANI.
### *Patauij in Templi veſtibulo ſupra arcum.*

MIlle & *ducenis* vno currente *trigenis*
*Antonius frater* venit ad alta *pater.*
Cuius ad *exemplum* ſacratum viſita *Templum,*
Expia nunc *voto* fœmina virque *noto.*
Nunc regnat *plenus*, qui vixit, pauper *egenus*:
*Hiſpanis genitus, Padua* tulit eſſe *colonus.*

Digitized by Google

IV.

## BALDVINI REGIS IEROSOL.

*Eius ſepulcro inſcriptum, vt refert Villamontius, lib. 2. cap. 21. alijque.*

REx *Balduinus*, alter *Iudas Machabeus*,
Spes *patriæ*, vigor *Eccleſiæ*, virtus vtriuſque,
Quem formida*bant*, cui dona, tributa fere*bant*
*Cedar* & *Ægypus*, *Edon*, ac homicida *Damaſcus*
Proh dolor! in *modico* clauditur hoc *tumulo*.

V.

## BASIANI I.C. AZONIS PRÆCEPTORIS.

*Bononiæ in D. Petri.*

HOc tumulata *iacent Baſiani* membra *lapillo*:
Quis ſit metra *docent*, quæ ſubſcribuntur in *illo*.
Huic legum *latis* patuit victoria *caſtris*:
Nunc cedens *fatis* ſocialibus inſidet *aſtris*.
Canonicæ *coluit* ſcripturæ pleniùs *ortum*,
Quo duce *promeruit* cæleſtem cernere *portum*.
Hic erat *Italiæ* ſidus, reuerentia *fratrum*,
Flos roſeus *patriæ*, decus orbis, gloria *patrum*,
Obſequiis *promptus*, humilis, iocundus, *apertus*.
Si tres excipias annos de mille ducentis,
Terminus occurret, quo mortis iura ſubiuit.

*Extat & aliud Rhythmicum in eodem lapide, quod ab aliis repetes.*

VI.

## BEDÆ VENERABILIS.

BE*da* Dei *famulus*, Monachorum nobile *ſidus*,
Finibus è *terræ* profuit *Eccleſiæ*;
Solers iſte *Patrum* ſcrutando per omnia *ſenſum*,
Eloquio *viguit*, plurima *compoſuit*.

Digitized by Google

*Annos hâc* *vitâ* ter duxit rite *triginta*
Preſbyter *officio*, vtilis *ingenio*.
*Iani ſeptenis* viduatus carne *Kalendis*
*Angligena Angelicam* commeruit *patriam*.

*Obijt anno ab Incarn.* DCCXXXV. *ab obitu verò beati Gregorij Papæ* CXXVII. Ita ſcriptum in calce Hiſtoriæ Anglicanæ eiuſdem Bedæ, cum hâc eius ad Chriſtum Oratione: *Te deprecor, bone* IESV, *vt cui propitius donaſti verba tuæ ſapientiæ, vel ſapientiæ dulciter haurire, dones etiam benignus aliquando ad te omnis ſapientiæ fontem peruenire, & apparere ſemper ante faciem tuam, Qui viuis, &c.*

Circumfertur & hoc vulgò monoſtichon Epitaphium Leoninum.

Hac ſunt in *foßâ Bedæ* Venerabilis *oſſa*.

## *VII.*
## S. BRVNONIS CHART. PATRIARCHÆ.

*In calce operum eius, anno 1524. excuſ.*

LAudandus *Bruno* fuit in multis, ſed in *vno*
Quod fuit *æqualis* vitæ, vir in hoc *ſpecialis*.
Semper erat *feſto* vultu, ſermone *modeſto*:
Cum terrore *patris* monſtrauit viſcera *matris*,
Nullus eum *magnum*, ſed mitem ſenſit vt *agnum*.
Prorſus in hac *vitâ* verus fuit *Iſraëlita*.
Hunc Deus à *pœnis* rape, ſedibus infer *amœnis*.

## *VIII.*
## CLEMENTIS IV. ROM. PONTIFICIS.

*Viterbij apud PP. Dominicanos.*

LEctor fige *pedes*, admirans quam breuis *ædes*
Pontificem *quartum Clementem* contegit *arctum*.
En datur in *cineres Petri* ſucceſſor & *heres*;
Cuius ſi memor *es*, non mundi gaudia *quæres*.

Digitized by Google

*IX.*

## DAGOBERTI REGIS.

*Sub eius effigie apud S. Dionyſium.*

FIngitur hac *ſpecie* bonitatis odore *refertus*
Iſtius *Eccleſiæ* fundator Rex *Dagobertus*,
Iuſtitiæ *cultor*, cunctis largus dator *æris*,
Affuit & *ſceleris* ferus & promptiſſimus *vltor*.
Armipotens *bellator* erat, velutique *procella*
Hoſtes *confregit*, populóſque per arma *ſubegit*.

*X. XI.*

## DANTIS ALIGERII POETÆ.

*Quod ſibi viuens ſcripſiſſe dicitur.*

IVra Monarchiæ, Superos, Phlegethonta, *Lacúſque*
Luſtrando cecini, voluerunt fata *quouſque*.
Sed quia pars ceſſit melioribus hoſpita *caſtris*,
Factorémque ſuum petiit felicior *aſtris*,
Hîc claudor *Dantes* patriis extorris ab *oris*,
Quem genuit patri *Florentia*, mater *Amoris*.

*Alterum à Bernardo Bembo Petri patre.*

EXiguâ tumuli, *Dantes*, hîc ſorte iacebas
Squallenti nullo cognite pœnè ſitu.
At nunc marmoreo ſubnixus conderis arcu,
Omnibus & cultu ſplendidiore nites.
Nimirum *Bembus* muſis incenſus *Hetruſcis*
Hoc tibi, quem in primis hæ coluere, dedit.

*XII.*

## EALIDIS COMITISSÆ.

ME ligat ad *lapidem* Comitiſſam Mors *Ealidem*;
Qui legis adde *fidem*, cras tibi fiet *idem*.

*XIII.*

## EDVARDI I. ANGLORVM REGIS.

DVm *vixit* Rex, dum *valuit* ſua magna *poteſtas*,
Fraus *latuit*, pax magna *fuit*, regnauit *honeſtas*.

XIV.

Digitized by Google

## XIV.
## EPISCOPI MARTYRIS.
*Conradum Herbipolenſem alij deſignant.*

HOc procumbo *ſolo*, ſceleri quia parcere *nolo*,
Vulnera facta *dolo* dant habitare *polo*.

## XV.
## EVRARDI AMBIANENSIS EP.
*In Templo B. Virginis.*

QVi populum *pauit*, qui fundamenta *locauit*
Huius *ſtructuræ*, cuius fuit Vrbs data *curæ*
Vir redolens *nardus* famâ, requieſcit *Eurardus*,
Vir pius *afflictis*, viduæ tutela, *relictis*
Cuſtos, quos *poterat*, recreabat munere, *verbis*:
Mitibus agnus *erat*, timidis Leo, lima *ſuperbis*.

## XVI.
## GAVDEFRIDI AMBIANENSIS EPISCOPI.
*In eadem Cathedrali S. Mariæ Eccleſiâ.*

ECce premunt *humile Gaufridi* membra *cubile*
Seu minus aut *ſimile* nobis parat omnibus *ille*.
Quem laurus *gemina* decorauerat in *medicina*
Legeque *diuina* decuerunt cornua *bina*.
Clare vir *Augenſis* quo ſedes *Ambianenſis*
Creuit in *immenſis* in cælis auctus, *Amen*, *ſis*.

## XVII.
## GAVFRIDI CENOMANENSIS EP.
*In Cartuſiâ B. Mariæ de Parcô.*

HIc iacet *humatus Cenomanis* Præſul *amatus*
*Gaufridus gratus* Domino, vitâque *probatus*.
Moribus *ornatus*, humilis, caſtus, *moderatus*,
Cuius iure *ſtatus* bene creditur eſſe *beatus*.

L

XVIII.

GAZONIS LAVDVNENSIS EP.

*In Abbatia S. Vincentij eiuſdem Vrbis.*

DVx *Laudunenſis* & Præſul *Gazo vocatus*,
Laudibus *immenſis* dignus iacet hîc *tumulatus*,
*Pariſienſis ei Campania* Villa dat *ortum*
Cui lucis *portum* tribuat Deus & *requiei*.
Hic *Decretorum* Doctor fuit, *& generoſus*,
Caſtus, *formoſus*, promotor erátque *bonorum*,
Largus, *munificus* humilis fuit, atque *quietus*,
Facundus, *lætus*, ſapiens, inhoneſta *peroſus*.
C. ter eum *mille*, ſeptemque decem *ſociatis*,
Dant præſcire *ſatis*, dum viuere deſijt *ille*.
*Ambroſij feſto* migrauit fine *diei*,
Cum pietate *Dei* ſint cæli gaudia *præſto*.

XIX.

GERARDI BLANCI CARD. SABINENSIS.

*Romæ in Eccleſia S. Ioannis Later.*

QViſquis ad *altare* venies hoc *ſacrificare*,
Qui vel *adorare* mi *Gerardi memorare*,
Ortu *Parmenſis*, & Pontificis *Sabinenſis*.
Hoc attendat *homo*, per funus quid ſibi *promo*,
Eſt fimus vnde *ſumus*, & tranſimus quaſi *fumus*.

*Cætera dabunt Ciacconius, Auberius, alijque Cardinalitiæ Purpuræ illuſtratores.*

XX.

GERBERGÆ REGINÆ FRANC.

*Auctore, vt creditur, Gerberto Monacho Auriliacenſi deinde ſummo Pontifice.*

REgum ſtirpe *ſata* rebus ſpecieque *beata*,
Moribus *ornata*, fidei pietate *probata*,
Iure *ſuperlata Francis Gerberga vocata*,
Concidit in *fata*, ſed carne ſatis *decorata*.

Defluit *ingrata* ſanies, & quidquid *humata*,
Et *deſolata* caro debet non *adamata*.
Non ſuper *optata* facies, poſſeſſio *lata*,
Non mihi *gemmata* veſtis fuit hæc *operata*,
Quin Regina *data* ſim vermibus, vt patre *nata*
Paupere. *Dilata* mors eſſe poteſt *reſerata*,
Non autem *ablata*. Mala, Lector, plange *patrata*
Non ſemper *grata* venit, vt fuit hora *putata*.

## XXI.

## GVILLELMI CARDINALIS DE BRAYO,

*In Templo Dominic. Oruieti.*

SIt *Chriſto gratus* hîc *Guillelmus tumulatus*
*De Brayo natus*, *Marci* titulo *decoratus*:
Sit per te *Marce* cæli *Guillelmus* in *arce*:
Quæſo non *parcè* Deus omnipotens ſibi *parce*.
*Francia* plange *Virum*, mors iſtius tibi *mirum*
Defectum *pariet*, quia vix ſimilis ſibi *fiet*.
Defleat hunc *Matheſis*, Lex & Decreta, *Poëſis*;
Necnon *Syndereſis* heu mihi quam *Themeſis*!
Bis *ſexcentenus*, binus, bis biſque vicenus
Annus erat *Chriſti*, quando mors affuit *iſti*.

## XXII.

## GVILLELMI CARD. A S. EVSTACHIO,

*Romæ in æde S. Laurentij extra muros.*

SIſte gradum, *clama* qui perlegis hoc Epigr*āma*,
*Guillelmum plora*, quem ſubtraxit breuis *hora*
Nobis per *funus*; de *Cardinibus* fuit *vnus*.
Prudens, *veridicus*, conſtans & fidus *amicus*.
Verè *Catholicus*, iuſtus, pius atque *pudicus*,
Candidior *cycno*; patruus Quartus fuit *Inno-*
*Centius*, *illius* mores imitans nec *alius*.
*Roma*, *Neapoli*, quos impia mors *phariſeat*,



Digitized by Google

Regia ſancta *Poli* iungit, eóſque *beat.*
*Lauania* de progenie Comitum fuit *iſte*
Rex veni, des in requiem ſedem ſibi *Chriſte.*
Anni ſunt *nati* Domini ſuper aſtra regentis
Quinquaginta *dati* & ſex cum mille *ducentis.*

## XXIII.

### *GVILLELMI CENOMANENSIS EP.*

*In Cœnobio de Campaniâ, apud Cl. Robertum, alióſque.*

MOres *magnorum* ſuperans & dicta *virorum*
Tutor *cunctorum*, cleri, plebis, *monachorum*,
Lux *prædictorum*, debellatórque *malorum.*
Iuſtus, *deuotus*, caſtus, ſapiens, *moderatus*
Præſul *Guillelmus Roland* iacet hîc *tumulatus.*
Huius erat *teſtis*, parcus cibus, aſpera *veſtis*,
Copia *multarum* quas fundebat *lacrymarum*
Dum flens *Miſſarum tractaret ſancta ſacrarum.*
Iſti *Cœlorum* det gaudia Rex *ſuperorum*
Chriſtus *ſeruorum* meritis precibuſque *ſuorum.*

## XXIV.

### *GVILLELMI DE MONTESORELLI*

*Auct. Baldrico Abbate Burgulienſi.*

AGgregat abſque *morâ* non extricabilis *hora*
Seruos *nobilibus*, & pueros *ſenibus.*
Quod ſi *nobilitas* poſſet producere *vitas*
Nobilitante *domo* non moreretur *homo.*
Heu! *Uvillelme ſatis* fuerat tibi *nobilitatis*,
Attamen à *ſuperis* nobilis *abſtraheris.*
In modicâ *foſſâ* ſunt magni ſtemmatis *oſſa*,
Artus *ingenuos* hæc habet oſſa *tuos.*
Si quem *læſiſti*, ſi quid malè *promeruiſti*
Chriſtus adeſto *tamen* pace fruaris, *Amen.*

Digitized by Google

XXV.

HELOISSÆ ABBATISSÆ.

*Incerto Auctore.*

HOc tumulo *Abbatiſſa* iacet prudens *Heloiſſa*
*Paraclitum* ſtatuit, cum *Paraclito* requieſcit.
Gaudia *Sanctorum* ſua ſunt ſuper alta *polorum*.
Nos meritis precibúſque *ſuis* exaltet ab *imis*.

*1163. 17. Maij.*

XXVI.

HENRICI ABB. CISTERC. CARDINALIS.

*In Cœnobio Claraualliſ.*

SVbiacet huic *lapidi*, quondam notiſſimus *Orbi*,
*Abbas Henricus Romano Cardine dignus*.
Lubrica qui *vani* contemnens gaudia *mundi*
Terris membra *dedit*, cælis animámque *remiſit*.

XXVII.

HVGONIS ABBATIS DIVIONENSIS.

*In Cœnobio S. Benigni.*

HVgo ſuis *Arcus*, *Cato* ſenſu, dogmate *Marcus*,
Nec numeris *parcus*, iacet hîc, quem protulit *Arcus*:
Mille C. ter *Domini* dic annos luce *Cyrini*
Traditur vt *memini*, cineri corpus, caro *fini*.
*Baſilicam* ſimul & capſæ fabricam *fabricauit*:
*Angelicam* det ei vitam qui cuncta *creauit*.

XXVIII.

HVGONIS ARCH. LVGDVNENSIS.

*Auct. Baldrico Dolenſi Archiep.*

POſt *Lugdunenſis* Præſul, priùs *Hugo Dienſis*,
Magnus *Romanæ* filius *Eccleſiæ*.
Quem ſibi Legatum *Romanus Papa rogauit*,
Ad Synodum veniens proh dolor! *occubuit*.
Virtutum *cellam*, diuini nectaris *aulam*,
Hac tumulauit *humo Seguſienſis homo*



Digitized by Google

Lætatus Iuſtus hoſpes bonus hoſpite tanto,
  Quem Deus *eximium* miſit ei *ſocium*.
*Lugdunum* luge, ſolemnia Conciliorum
  Occubitu Patris occubuere tui.

*XXIX.*

HVGONIS DE S. THEODERICO,
Card. Ordinis Fratrum Prædicatorum.

*Lugduni in eorum Templo modo iacet: Priùs verò in Cath. Eccleſia Vrbis Veteris.*

ECcliptin *patitur* ſapientia, Sol *ſepelitur*
Felici *fine*, ſanctæ quoque Cardo *Sabinæ*.
Iſte *fuit*, per quem *patuit* doctrina *Sophiæ*,
Præco *Dei*, doctor *fidei*, cithariſta *Mariæ*.
Hugo ſibi *nomen* & Cardo Preſbyter *omen*,
*Duo alia ſolutâ oratione vide apud Auberium alióſque.*

*XXX.*

INNOCENTII IV. ROM. PONTIFICIS.

*In Eccleſiâ S. Laurentij Neapoli.*

HIc ſuperis *dignus* requieſcit Papa *benignus*
Lætus de *Fliſco*, ſepultus tempore *priſco*
Vir Sacer & *rectus*, ſancto velamine *tectus*,
Strauit *inimicum* Chriſti colubrum *Fridericum*
*Ianua* de *nato* gaudet ſic *glorificato*. &c. *apud eos, qui de vitis Pontificum & Cardinalium ſcripſerunt.*

*XXXI. XXXII.*

IOANNIS CHOLETI CARD. S. CECILIÆ.

*In Abbatiâ S. Luciani Bellouacenſis.*

ISta legens *ſiſte*, & penſa quantus fuit *iſte*,
Cuius tam *pulcrum* cernis fulgere *ſepulcrum*.
Eſt roſa ſub *petrâ*, quam ſignant ſubdita *metra*
Et tanti *floris* vis ſe diffundit *odoris*.
Ecce ſub hoc *tumulo* venerabilis oſſa *Ioannis*
*Cæciliæ titulo* decorati pluribus *annis*.

Digitized by Google

Poſtea *Legatus* fuit inclytus atque *probatus.*
Vir magni *Cordis*, cuius mens neſcia *ſordis*,
Gloria *Francorum*, decus orbis, formaque *morum*,
Fautor *Iuſtorum*, conſtans vltor *vitiorum.*
Canonis & *Legum* profeſſor erat *generalis.*
*Francorum Regum* conſul bonus & *ſpecialis.*
Prouocet ad *fletum* pietas recolendo *Choletum*
Tanquam *deletum* fontem pietate *repletum.*
Mors quid *feciſti?* vitæ reſerans iter *iſti*
Multa gregi *Chriſti* chariſmata *ſubripuiſti.*
Dapſilis & *mundus*, verax fuit atque *fidelis*
Floreat in *cœlis*, quia nunc ſibi nemo *ſecundus*
Annos *depromas* octo de mille *trecentis*
Auguſti *Nonas* quarto lux eſt *morientis.*

## *Alterum.*

HAc in *Capſellâ* latet orbis fulgida *Stella*,
Cuius *fulgore* regio hæc fuit aucta in *honore.*
Francia *Legatum* ſuſcepit, eum ſibi *gratum*,
Formam *virtutum*, *Francorum* nobile *ſcutum*:
Hic vir *compoſitus*, vir verax, virque *peritus*,
Iuſtus, *magnificus*, Regum ſpecialis *amicus.*
Ergo necem *plores* præclari Patris, & *ores*
Vt poſt hos *Flores* fructus capiat *meliores.*

## *XXXIII.*
## IOANNIS DE DORMANIS CARDINALIS.
*In Cœnobio Carthuſ. Pariſienſium.*

DOrmit hic I. de *Dormano*:
Chriſto felix eſt *oblatus*;
Corpus linquens *mundo vano*,
Sub marmore *tumulatus.*
Tu deuoti Patris *huius*
Rex gloriæ *IESV Chriſte*



Digitized by Google

Animam ſuſcipe: *cuius*
Corpus tegit lapis *iſte*.

*Sic legendum: nam apud alios peſſimè corruptum habetur.*

## *XXXIV.*

## IOANNIS XV. ROMANI PONTIFICIS.

*Romæ in Templo S. Petri.*

CLauditur hoc tumulo venerabilis ille *Ioannes*,
Qui Legis ſacræ diffundere nouerat *amnes*,
Egregius Doctor verbo quæcumque *docebat*,
Moribus & vitâ tribuens exempla *gerebat*.
Hunc à Canonici deſtricto iure *rigoris*
Non timor, aut lucrum, non gratia flexit *amoris*.
Det *Deus* æternus cœlorum lumine *paſci*
Cui dat *Roma* mori, dederat bene gaudia *naſci*.
Cum vir iſte obijt, ſi vis agnoſcere *verum*:
Septima lux *Maij* fuit illi meta *dierum*.

## *XXXV.*

## IOANNIS DE SACROBOSCO.

*Pariſiis in S. Maturini.*

DE *Sacroboſco* qui Computiſta *Ioannes*
Tempora diſcernit, iacet hîc à tempore raptus.
Tempore qui *ſequeris*, memor eſto quod *morieris*.
Si miſer es, *plora*: miſerans pro me precor *ora*.

## *XXXVI.*

## NATALIS ABBATIS.

*Auctore Baldrico Ab. Burgulienſi.*

ABbas *Natalis* has Ædes *amplificarat*,
Et nouiter factas *Vrbanus* Papa *ſacrarat*,
Cum *Nicolae* tuum *Deus* accerſiuit *alumnum*,
Cui dedit æternum ſolemni funere *ſomnum*.
Hic modò *Natalis* pro carne iacet *cineratus*
Cui noceat nullus pro carnis ſorde *reatus*.

*Aliud.*

ABbas *Natalis*, flos Abbatum *ſpecialis*.
Signat quid ſit *homo* factus humus ſub *humo*.
Vir capitis *cani*, meriti vir ſanctus *opimi*,
Huic viuens *latè* præfuit *Eccleſia*.
Defunctus verò ſacris hanc oſſibus ornat,
Quæ tamquam nutrix confouet iſte lapis.
Hic *Nicolaë* tibi ſeruus deuotus adhæſit,
Idcirco *ſerui* nunc memor eſto *tui*.
*Chriſto* commenda, quem mundo *Chriſtus* ademit.
Húncque *patrocinij* iure tuere *tui*.

## XXXVII.

### *NICOLAI PRATENSIS CARD.*

*In Eccleſiâ Dominicanorum Auenione.*

ELoquium, bona vita *virens*, diſcretio *fulta*,
*Conſilium*, doctrina *vigens*, prudentia *multa*,
Iſta *ſilent*; hic illa *docent*, ſunt cuncta *ſepulta*.
Virginis à partu in numeratis mille *trecentis*
Annis *biſdenis* vno quartíſque *Kalendis*,
Quem genuit *Pratum*, *Spoletum Pontificatum*,
*Oſtia* quem dedit *Romano* Cardine *gratum*.

## XXXVIII.

### *NICOLAI TRECENSIS EPISCOPI.*

*In Eccleſiâ B. Virginis.*

ANno *milleno* bis centenoque *noueno*
Cum ſexageno ſub *Aprilis* tempore *pleno*
Præ *Marci feſto*, tu qui legis hæc memor *eſto*.
Quod linquens *mundum*, miſerum nimis, *& moribundum*
Præſul *Trecenſis Nicolaus*, ſede *Brienſis*
Fons *Decretorum*, patriæ lux, forma *bonorum*
Annis *terdenis* numero iunctis ſibi *ſenis*
Nobilis *Attiſta*, patriâ præfulſit in *iſtâ*;

Digitized by Google

Vos qui *tranſitis*, totiéſque *venitis*, & *itis*
In prece vos *ſitis*, quod *Chriſtus* ſit ſibi *mitis*.

## XXXIX.

### *ODONIS DE SOLIACO PARIS. EP.*

*In choro B. Virginis.*

QVem Cathedræ decorauit honor, quem ſanguis *auitus*,
Quem morum grauitas, hîc iacet *Odo ſitus*.
Præſulis huius erat, quod habent hæc tempora *rarò*,
Mens ſincera, manus munda, pudica *caro*.
Lenibus hic *lenis*, toga nudis, victus *egenis*
Vita fuit *Iuuenis* clara, pudica *ſenis*.
Bis *Sexcenteno Chriſti* quartóque bis *anno*,
Tredecimo *Iuli* tranſijt *Odo* die.

## XL.

### *M. PETRI.*

*Inter Poëmata Philippi Bonæ ſpei.*

LVcifer occubuit ſtellæ radiate *minores*,
Cuius vos radius hebetabat vt *inferiores*.
Illius occaſu tandem veniſtis ad *ortum*,
Naufragióque tulit veſtræ ratis anchora *portum*.
Maturus, docilis, pius, egit, prætulit, emit,
Curſum, ius, cælum, tempore, lege, fide.

## XLI.

### *PETRI ABB. XXIV. S. VICTORIS.*

*In Clauſtro S. Victoris in ſuburbio Paris.*

HAc iacet in *tumbâ* ſimplex, humiliſque *columba*,
Vtque fluens *vnda* ſua mors fuit hîc *gemebunda*.
*Salicibus natus* Abbas *Petrus* eſt *vocitatus*,
Moribus *ornatus*, pius, omnibus & bene *gratus*.
*Petrus* erat *petra*, lacrymoſáque dia *pharetra*.
Tu ſuper hunc *plora*, frater, Dominum ſimul *ora*.
Omnibus abſque *morâ* det vt atria *feliciora*.

Digitized by Google

Mille *trecenteno*, tribus auctis, *octuageno*
Papa *Petrum*, *Marce*, cæli tibi iungis in *arce*.

XLII.

*PETRI ARCHITECTI.*
*In Cœnobio S. Germani de Pratis.*

FLos plenus *morum* viuens Doctor *Latomorum*.
*Muſterolo natus* iacet hic *Petrus tumulatus*:
Quem Rex *celorum* perducat in alta *polorum*.
Chriſti *milleno* bis centeno *duodeno*
Cum *quinquageno* quarto deceſſit in *anno*.

XLIII.

*PETRI AVTISSIODORENSIS EP.*
*Lutetiæ in Choro B. Mariæ.*

HIc iacet in *cellâ Petrus* cognomine *Bella*
*Pertica*, *perplacidus* verbis factis, quoque *fidus*,
Mitis, *veridicus*, prudens, humiliſque, *pudicus*,
Legalis, *planus*, velut alter *Iuſtinianus*,
Summus *Doctorum*, certiſſima regula *morum*,
*Pariſinorum Decanus Canonicorum*.
*Antiſiodoricâ* dignè ſumptâ ſibi *ſede*
Tempora poſt *modica* carus ſeceſſit ab *æde*
Annis ſub *mille* ter C. ſeptem ſimul *ille*
Sulpitij *feſto* migrauit ab orbe *moleſto*
Det ſibi *ſolamen* Spiritus almus, *Amen*.

XLIV.

*PETRI CVIVSDAM.*
*In monaſterio S. Martini de Campis Pariſ.*

QVi legis hoc *metrũ* cognoſcas quod petra *Petrum*,
Iſta tegit *iuuenem* tempore, mente *ſenem*.
Hic mundi *fæcem* contempſit amore *ſcolarum*,
Suſtinuitque *necem* factus ſectator *earum*.

Digitized by Google

XLV.

*PETRI DAMIANI CARDINALIS.*

*Ipſomet auctore.*

QVod nunc es, *fuimus*: es quod ſumus ipſe *futurus*.
His ſit nulla *fides* quæ peritura *vides*.
Friuola *ſinceris* præcurrunt, ſomnia *veris*,
Succedunt *breuibus* ſæcula *temporibus*.
Viue memor *mortis*, quò ſemper viuere *poſſis*,
Quidquid adeſt *tranſit*: quod manet, ecce *venit*:
Quàm bene *prouidit*, qui te, male Munde, *reliquit*,
Mente priùs *carni* quàm tibi carne *mori*.
Cœlica *terrenis* præfer, manſura *caducis*,
Mens repetat *proprium* libera *principium*.
Spiritus alta *petat*, quo prodit fonte *recurrat*:
Sub ſe *deſpiciat* quidquid in ima *grauat*.
Sis memor, oro, *mei*, cineres pius aſpice *Petri*,
Cum prece cum gemitu dic; ſibi parce *Deus*.

XLVI.

*VEN. PETRI MAVRICII AB. CLVNIACI.*

*Iuxta altare S. Iacobi in Eccleſiâ Cluniacenſi.*

PAret in hac *vrnâ*, quòd non ſit vita *diurna*,
Qualeſcumque *ſumus* morte coæquat *humus*.
Dum *Petrus moritur* pius *Abbas*, ius *ſepelitur*,
Pax cadit, ordo *iacet*, flere, morique *placet*?
Ille ſalus *patriæ*, mundi decus, arca *ſophiæ*,
Neſcius *inuidiæ*, vena fui *veniæ*.
In natale *Dei* ſolemnis manè *diei*
Mortuus, *ol tinuit* plurima quæ *meruit*.

XLVII.

*PETRI NOVIOMENSIS EPISCOPI.*

*In Templo B. Virginis.*

NOuiomi Præſul *Petrus* iacet hîc tumulatus.
Quondam *Francorum Philippo* Rege *creatus*,

Digitized by Google

Caſtus, *formoſus*, iuſtus, mitis, *generoſus*.
Trans mare *deuotè* fuit hic cum Rege *nepote*,
Luce tuâ remeans, *Dionyſi*, tranſijt *anno*
Bis ſexcenteno quinquageno minùs *vno*.
Qui legis *exterius*, intrinſecus aſpice, *plora*
Seriùs aut *citiùs* veniet tibi funeris *hora*.

## XLVIII.

### *PHILIPPI DE MAISIERES.*
*In Eccleſiâ PP. Cæleſtinorum Pariſ.*

QVi bella *ſecutus* plagas mundi *perluſtrando*,
Et vanis *allectus* altas ædes *frequentando*.
Mollibus *indutus*, delicijs *inhærendo*,
Nunc puluis *effectus* ſub tumbâ tubam *expecto*.

## XLIX.

### *RADVLFI EP. ATREBATENSIS.*
*Ex Guillelmo Gazeto refert Auberius.*

QVem ſculptura *premit* Præſul Regale *redemit*.
Non facit *Antiſtes* diſcretos mors tua *triſtes*,
Nam cæli *ciuis* meritorum pondere *viuis*.

*Poſtremus iſte verſus reuocat mihi in memoriam non illepidam ſanè orationem ad Beatiſſimæ Virginis ſponſum caſtiſſimum S. Ioſephum, quam ante duodecim annos Biturigibus ſcripſi, diſcipuliſque meis tradidi. Hoc calami ἄθυρμα æqui, bonique conſule.*

### *AD SANCTVM IOSEPHVM.*

QVi cæli *ciuis*, IOSEPH, decus addite *Diuis*,
Cum Domino *viuis*, miſeris ſuccurrito *viuis*.
Namque potes, *ſi vis*, charitum dare flumina *riuis*,
Et nos *natiuis* ſuper aſtra imponere *cliuis*,
Tempora *feſtiuis* redimitos ſemper *oliuis*.

Digitized by Google

L.

*RANÇONIS EP. CHAROMONTENSIS.*

*Incerto Auctore.*

COntinet hic *tumulus Ranconis* Præſulis *artus*;
Præfuit *Aruernis* annis fere bis *duodenis*.
Tempore & *Henrici* Regis ſibi ſemper *amici*
Tranſijt *Octobris* ter quinis nempè *Calendis*.

LI. LI.

*REGINALDI CLERICI,*

*A Baldrico cum alijs duobus.*

SCripta ſolent *veterum* mores efferre *Catonum*,
Mirandos *noſtris* temporibúſque *ſuis*.
At tua magna *fides* centum *Rainalde Catones*
Longè præceſſit, iuſtitiæque tenor.
In factis *alacer*, in verbis promptus, & *acer*;
Tu decus in *clero*, tu decus in *populo*.
Ecce iaces *modico Rainalde* ſolutus in *antro*:
Omnipotens veniam det tibi, cuius eges.

LII.

*S. REGNOBERTI EP. BAIOCENSIS.*

*Tomo III. Hiſtor. Quercetani pag. 418.*

HIc *Regnobertus* ſanctus iacet *intumulatus*
*Baiocenſis* onus qui rexit *Pontificatus*.
*Hugo* bonus Præſul præſens fuit ad *releuamen*.
Qui dormitat ibi, reperit de febre *leuamen*.

LIII.

*RICHARDI DE MARISCO DVNELMENSIS EP. Vide Sim. Maiolum in diebus Canicularibus, & alios paßim: fruſtra enim ſunt, qui Belgæ Epiſcopo, alij ſue tribuere moliuntur.*

CVlmina qui *cupitis*, laudes, pompaſque *ſititis*,
Eſt ſedata *ſitis*, ſi me penſare *velitis*.
Qui populos *regitis*, memores ſuper omnia *ſitis*;

Quòd mors *immitis* non parcit honore *potitis*.
Vobis *Præpoſitis* ſimilis fueram, bene *ſcitis*,
Quod ſum, Vos *eritis*, ad me currendo *venitis*.

## LIV.

## S. SEPVLCRI HIEROS. INSCRIPTIO.

HAc ſub *clauſura* recubat Chriſti caro *pura*,
Sub cuius *curâ* ſemper ſtat noſtra *figura*.
Eſt *Deus* hîc *tantus*, natus de *Virgine quantus*.
Militiæ caput *hic*, mundi medicina iacet *hic*.

## LV.

## S. STANISLAI CRACOVIENSIS EP.

*In Cathedrali Cracowienſi.*

TVmba *Staniſlai* cineres tegit iſta *Beati*
Regis *Boſlai* quia non fauet *impietati*.
Martyrio *meritas* cæli migrauit ad *ædes*.
Felix, cui *Deitas* merces, cui ſidera *ſedes*.

## LVI.

## STEPHANI CANCELL. ET CARDIN.

*In Cœnobio S. Ioannis Launduni.*

DE *Suiſy* natus *Stephanus* hîc eſt *tumulatus*,
Qui ſe geſſit *ita* viuendo, quòd *Archileuita*
*Brugenſis pridem*, mox Cancellarius *idem*
Aulæ *Regalis* fuit, inde *Cardique nalis*.
M. ſemel & C. *ter*, V. bis, ſemel L. nece *teter*
Factus, *deceſſit* Decembri, cui *requieſcit*.

## LVII.

## VGOLINI LEGVM GLOSSATORIS.

*Propè Bononiam in mon. S. Victoris.*

TRanſiit, vt viuat, mundanæ Legis *aluminus*,
Mors ſit ei requies, vltima vita *Deus*.
Vrbis honor, mundi ſpeculum, iacet hîc *Vgolinus*
Spiritus aſtra tenet, corpora ſignat *humus*.
Mors voluit Mundum ſub certa lege *teneri*:
Nam cinis eſt hodie, qui fuit ignis *heri*.

Digitized by Google

*VITALIS FALERII Ducis Venetiarum* XXXI. *qui obijt anno* MLXXXIV. *Epitaphium Leonino Rhythmicóque Carmine conſcriptum vide in ſelectis Delicijs Fr. Suuertij pag.* 143. *nec omittendum Dominici Michaëlis alterum, quod habetur pag.* 157.

LVIII.

VRBANI IV. ROM. PONTIFICIS.

*Peruſij in Eccleſiâ Primariâ.*

ARchileuita *fui,* paſtorque gregis *Patriarcha*
*Iacobus poſui* mihi nomen ab vrbe *Monarcha.*
Tunc cinis *exiui,* tumuli pòſt condor in *arca*:
Te ſine fine *frui* tribuas mihi ſumme *Hierarcha.*

LIX.

VRBANI VI. ROM. PONTIFICIS.

*Romæ in Templo S. Petri.*

HAc animo magnus, ſapiens, iuſtúſque *Monarcha,*
*Parthenopæus* adeſt *Vrbanus* ſextus in *arca.*
Feruebat fidei latebras conferre *Magiſtris,*
O decus, his fretus ſemper poſt prandia *Siſtris*
Schiſmatibus magnis animo maiore *regebat.*
Omne *Simoniacum* tanto ſub Patre *tremebat.*
Quid iuuat hunc terris mortali tollere *laude*
Pro meritis? cœli ſplendet ſibi gloria *valde.*

LX. LXI. LXII.

*Qui plura his Leonina Rhythmicáque Epitaphia voluerit adeat præ cæteris Franciſcum Suuertium pagina* 131. *ac ſequentibus Monumentorum ſepulcralium & inſcriptionum Publicarum, priuatarúmque Ducatus Brabantiæ. Ibi quippe Plurimorum Abbatum D. Michaëlis tumulos nanciſcetur hoc carminum genere conſcriptos Henrici de Mechliniâ, Godefridi de VVaerloos, VVillelmi Cabelliau, VVillelmi Lympiaes, VVillelmi Brulocht,*

*Petri*

Digitized by Google

*Petri Breem, &c. nos duo triáue hîc ſubiungemus. Tu ſi has cupedias deperis, habes vnde genio facias ſatis.*

## GERARDI DE LIRA ABBATIS.

*In Abbatiâ D. Michaëlis Ordinis Præmonſtratenſis Antuerpiæ referente Sunertio.*

ME quem petra *tegit Gerardum Lira creauit,*
Et qui cuncta *regit,* hîc me Rex *exanimauit.*
Viuens dictus *eram* præſentis paſtor *ouilis.*
Non ſum qui *fueram*, ſed fæx, putredóque *vilis.*
Quod ſum, Lector *eris*, tempus tranſit, geme, *plora*;
Nolens me *ſequeris.* Dominum pro me precor, *ora.*
*Me tumulant an. Do. mil. ducent. quinquag. octo.*

## MARTINI LOYS XXII. ABBATIS.

SVb *petra* iacet hâc *tetrâ Martinus humatus*
*Loys dictus* ſuper *afflictus* inopum *miſeratus* &c.

## VVALTERI DEBERCHEM MILITIS.

GErmine ſincerus ex *Bertoldi generatus*
Eſt hîc *VValterus de Berchem ſubtumulatus,*
Militiæ *Rector*, manibus fortiſſimus *Hector,*
Defenſor *iuris*, duriſſimus, vt leo, *duris,*
Pacificus, *mitis*, vt mos ſolet eſſe *peritis,*
Audax, *formoſus*, ſapiens fuit *& generoſus,*
Pollebat *verbo* dulci, non corde *ſuperbo,*
Quem Rex *Chriſte bone* cæli coniunge *coronæ.*
Villarienſia qui voluerit conſulat eiuſdem operis pag. 324. & ſeqq.

*Suaue verò fuerit, nec curioſis iniucundum*

## HILDEBERTI E' CENOMANENSI EP. ARCHIEP. TVRONENSIS,

*Editum pronuper Londini in Anglia de Confeſsione ſanctæ Trinitatis Hymnum hîc adtexere.*

ALpha & Ω, magne *Deus*
Eli, Eli, Deus *meus.*
Cuius virtus, totum *poſſe*;
Cuius ſenſus totum *noſſe*:
Cuius eſſe, ſummum *bonum*;
Cuius opus quidquid *bonum*:
Subter cuncta, ſuper *cuncta*;
Extra cuncta, intra *cuncta*:
Intra cuncta, nec *incluſus*;
Extra cuncta, nec *excluſus*:
Super cuncta, nec *elatus*;
Subter cuncta, nec *ſubſtratus*.
Super totus, *præſidendo*;
Subter totus, *ſuſtinendo*:
Extra totus, *complectendo*;
Intra totus es *implendo*:
Intra, nuſquam *coarctaris*;
Extra nuſquam *dilataris*:
Subter, nullo *fatigaris*;
Super, nullo *ſuſtentaris*:
Mundum mouens, non *moueris*;
Locum tenens, non *teneris*:
Tempus mutans non *mutaris*;
Vaga firmans, non *vagaris*:
Vis externa, vel *neceſſe*,
Non alternat tuum *eſſe*.

Digitized by Google

Heri noſtrum, cras, & *pridem*;
Semper tibi nunc & *idem*:
Tuum Deus *hodiernum*,
Indiuiſum *ſempiternum*.
In hoc totum *preuidiſti*,
Totum ſimul *perfeciſti*:
Ad exemplar ſummæ *mentis*,
Formam præſtans *elementis*.
Nate Patri *coæqualis*,
Patri *conſubſtantialis*,
Patris ſplendor & *figura*,
Factor factus *creatura*,
Carnem noſtram *induiſti*,
Cauſam noſtram *ſuſcepiſti*
Sempiternus *temporalis*,
Moriturus *immortalis*:
Verus homo, verus *Deus*,
Impermixtus *Homo-Deus*.
Non conuerſus hic in *carnem*;
Nec minutus propter *carnem*:
Hic aſſumptus eſt in *Deum*,
Nec conſumptus propter *Deum*;
Patri compar *Deitate*,
Minor carnis *veritate*:
Deus pater tantùm *Dei*
Virgo mater ſed & *Dei*.
In tam nouâ *ligaturâ*
Sic vtraque ſtat *natura*:
Vt conſeruet quidquid *erat*,
Facta quiddam quod non *erat*.
Noſter iſte *mediator*,
Iſte noſter *legiſlator*;
Circumciſus, *baptiƶatus*,
Crucifixus, *tumulatus*,

Obdormiuit & *deſcendit*,
Reſurrexit & *aſcendit*:
Sic ad cælos *eleuatus*,
Iudicabit *iudicatus*.
Paracletus *increatus*,
Neque factus, neque *natus*;
Patri compar *Filióque*,
Sic procedit ab *vtroque*;
Ne ſit minor *poteſtate*
Vel diſcretus *qualitate*:
Quanti illi, tantus *iſte*;
Quales illi, talis *iſte*:
Ex quo illi, ex tunc *iſte*,
Semper ille, ſemper *iſte*.
Pater alter, ſed *gignendo*;
Natus alter, ſed *naſcendo*;
Flamen, ab his *procedendo*:
Tres ſunt vnum *ſubſiſtendo*.
Quiſque trium plenus *Deus*:
Non tres tamen dij, ſed *Deus*;
In hoc Deo vno *vero*,
Tres & vnum *aſſeuero*;
Dans vſiæ *vnitatem*
Et perſonis *Trinitatem*.
In perſonis nulla *prior*,
Nulla maior, nulla *minor*:
Vnaquæque ſemper *ipſa*,
Sic eſt conſtans atque *fixa*;
Vt nec in ſe *varietur*,
Nec in vllam *tranſmutetur*.
Hæc eſt Fides *orthodoxa*;
Non hîc error, ſiue *noxa*:
Sicut dico, ſic & *credo*;
Neç in prauam partem *cedo*.

Digitized by Google

Inde venit, bone *Deus*,
Ne deſperem, quamuis *reus:*
Reus mortis non *deſpero*;
Sed in morte vitam *quæro.*
Quo te placem nil *prætendo*,
Niſi fidem quàm *defendo.*
Fidem vides, hâc *imploro*;
Leua faſcem, quo *laboro:*
Per hoc ſacrum *cataplaſma*,
Conualeſcat ægrum *plaſma.*

ORATIO AD DOMINVM.

EXtra portam iam *delatum*,
Iam fœtentem *tumulatum*,
Vitta ligat, lapis *vrget*;
Sed ſi iubes, hic *reſurget.*
Iube, lapis *reuoluetur*;
Iube, vitta *diſrumpetur:*
Exiturus neſcit *moras*,
Poſtquam clamas; Exi *foras.*
In hoc ſalo mea *ratis*,
Infeſtatur à *piratis:*
Hinc aſſultus, inde *fluctus*;
Hinc & inde mors & *luctus.*
Sed tu bone nauta *veni:*
Preme ventos, mare *leni*;
Fac abſcedant hi *piratæ*,
Duc ad portum ſaluâ *rate.*
Infœcunda mea *ficus*,
Cuius ramus ramus *ſiccus*,
Incidetur, *incendetur*;
Si promulgas quod *iubetur.*
Sed hoc anno *dimittatur*,
Stercoretur, *fodiatur.*



Digitized by Google

Quod ſi necdum *reſpondebit*,
Flens hoc loquor, tunc *ardebit*.
Verus hoſtis in me *furit*;
Aquis merſat, flammis *vrit*:
Inde languens & *afflictus*,
Tibi ſoli ſum *relictus*.
Vt hic hoſtis *euaneſcat*,
Vt infirmus *conualeſcat*;
Tu virtutem *ieiunandi*
Des infirmo, des *orandi*:
Per hæc duo, Chriſto *teſte*
Liberabor ab hâc *peſte*.
Ab hâc peſte ſolui *mentem*,
Fac deuotum *pœnitentem*:
Da timorem, quo *proiecto*,
De ſalute nil *coniecto*.
Da ſpem, Fidem, *Charitatem*,
Da diſcretam *pietatem*:
Da contemptum *terrenorum*,
Appetitum *ſupernorum*.
Totum Deus in te *ſpero*;
Deus ex te totum *quæro*:
Tu laus mea, meum *bonum*;
Mea cuncta, tuum *donum*.
Tu ſolamen in *labore*,
Medicamen in *languore*:
Tu in luctu mea *lyra*,
Tu lenimen es in *irâ*.
Tu in arcto *liberator*,
Tu in lapſu *releuator*:
Metum præſtas in *prouectu*,
Spem conſeruas in *defectu*.
Si quis lædit tu *rependis*;
Si minatur, tu *defendis*:

Digitized by Google

Quod eſt anceps tu *diſſoluis*;
Quod tegendum tu *inuoluis*,
Tu intrare me non *ſinas*
Infernales *officinas*:
Vbi mœror, vbi *metus*,
Vbi fœtor, vbi *fletus*;
Vbi probra *deteguntur*,
Vbi rei *confunduntur*;
Vbi tortor ſemper *cadens*,
Vbi vermis ſemper *edens*;
Vbi totum hoc *perenne*,
Quia perpes mors *gehennæ*.
Me receptet Sion *illa*,
Sion Dauid vrbs *tranquilla*:
Cuius faber auctor *lucis*,
Cuius portæ lignum *Crucis*;
Cuius claues lingua *Petri*,
Cuius ciues ſemper *læti*,
Cuius muri lapis *viuus*,
Cuius cuſtos Rex *feſtiuus*.
In hac vrbe lux *ſolennis*,
Ver æternum, pax *perennis*:
In hâc odor implens *cælos*,
In hâc ſemper feſtum *melos*.
Non eſt ibi *corruptela*,
Non defectus, non *querela*:
Non minuti, non *deformes*;
Omnes Chriſto ſunt *conformes*.
Vrbs cæleſtis, vrbs *beata*,
Supra petram *collocata*:
Vrbs in portu ſatis *tuto*,
De longinguo te *ſaluto*;
Te ſaluto, te *ſuſpiro*,
Te affecto, te *requiro*.

Quantum tui *gratulentur*,
Quàm feſtiuè *conuiuentur*;
Quis affectus eos *ſtringat*,
Aut quæ gemma muros *pingat*,
Quis Chalcedon, quis *iacinthus*;
Norunt illi qui ſunt *intus*.
In plateis huius *vrbis*
Sociatus pijs *turbis*,
Cum Moyſe & *Eliâ*,
Pium cantem *Alleluia*.

Οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων.

*Neque omnia, neque paſſim; neque ab omnibus.*



Digitized by Google

# SELECTORVM EPITAPHIORVM THESAVRI PARS SEXTA.

DISTICHA, Triſticha, Monoſticha, ſimiliáque argutâ breuitate conſtricta, præter ea, quæ peculiarem ſibi locum reliquis in Partibus iam vindicarunt.

## I. II.

### *ACTII SINCERI SANNAZARII.*

*In Mergillina, Templo S. Mariæ de Partu ad latus Pauſilypi prom.*

A*Ctius* hîc ſitus eſt: cineres gaudete ſepulti:
Nam vaga poſt obitus Vmbra dolore caret.

*Item.*

DA ſacro cineri flores: hîc ille *Maroni*
*Sincerus Muſâ* proximus, vt tumulo.

*Vixit annos* LXXII. *obijt* MDXXX.

Digitized by Google

III. IV.

## ADAMI PRIMI HOMINVM PEREMPTORIS

*Epitaphium, eiúſque natorum omnium.*
*Ex Geneſis cap. V. verſu V.*

Et mortuus eſt.

## ADAMI SECVNDI HOMINVM REDEMPTORIS.

*Iiſdem verbis; ſed mutato puncto.*

Et mortuus eſt!

V.

## EIVSDEM CHRISTI MORIENTIS.

*Bergami apud Franciſcanos.*

MOrti morte tuâ mortem moriendo dediſti,
Eſt tua mors mortis, *Chriſte*, medela meæ.

VI.

## ADRIANI VI. ROM. PONT.

ADrianus Sextus hic ſitus eſt, qui nihil ſibi infelicius in vitâ duxit, quàm quòd imperaret.

VII.

## ADVOCATI ANONYMI.

*Neapoli extare dicitur.*

HIc deſtinauit Spiritum Deo, Prolem Naturæ,
Labores Sorti,
Probitatem Famæ, Oſſáque Sepulcro, ſibi viuens & poſteris.

VIII.

## ADVOCATI INIVSTE DAMNATI.

HOc tumulo tegitur, quem lex ſine lege necauit;
Non poterat iuris gloria iure mori.

Digitized by Google

## IX.

## ÆGIDII BORDINI PROC. REGII.

D. O. M.

EHeu, Viator, miraculum. L. annos dormiiſſe dicitur *Endymion*: *Bordinus* IIII. plus *Endymione*: Tot enim vixit, tot dormiuit: imo qui tamdiu nec vixit verè, nec verè dormiuit; nunc æternùm, & verè viuit, & verè dormit.

## X.

## ALBERTI DVRERI PICTORIS.

QVo ſitus *Albertus* tumulo *Durerus*, eodem
Picturæ ratio tota ſepulta iacet.

## XI.

## S. ALEXII.

*Auct. Lud. Bigo Ferratienſi.*

PEctoris exemplum patientis *Alexius* hîc eſt,
Clauſus, inops, patrias mortuus inter opes.

## XII.

## ALFONSI DVCIS.

HIC *Alfonſe* iaces, ſed non iacet inclyta virtus;
Hîc tua: nam celebrat te mare, terra, polus.

## XIII.

## ALFONSI TOSTATI ABVLENSIS EP.

*Ut quidem vulgò circumfertur.*

HIc ſtupor eſt Mundi, qui ſcibile diſcutit omne.

## XIV.

## AMARANTHÆ.

*Ab Actio Sannazario.*

HIc *Amarantha* iacet, quæ ſi fas vera fateri,
Aut *Veneri* ſimilis, vel *Venus* ipſa fuit.

XV.

## AMBROSII MONACHI.

*A Petro Myrteo.*

VIximus Ambroſiâ, ſed enim conceſſimus Orco,
Nunc iterum cælo redditur Ambroſia.

XVI XVII.

## ANGELI POLITIANI.

*Florentiæ in S. Marci.*

POlitianus in hoc tumulo iacet *Angelus*, vnum
Qui caput, & linguas, res noua, tres habuit.

*Alterum.*

ANgelus hîc clauſit cineres variâ arte *Politus*,
Vt vix inueniat *Auſonis* ora parem.

*Obijt 1509. Sept. 24.*

XVIII. XIX.

## ANGELI VADI.

*Romæ.*

IPſe quod es, Lector, fuimus nos: tu quoque fies
Quod ſumus: hoc melior ſors mea, quàm tua
ſors.

*Aliud.*

VIuite, qui legitis; cœleſtia quærite. Noſtra hæc
In cineres tandem gloria tota redit.

XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV.
XXVI. XXVII.

## ANONYMORVM.

HÆc mihi lapidea Memoria poſita eſt: imò tibi, qui hæc legis. Quiſquis es, vigila, dum vigilas, viuiſque: & in rem tuam maturè propera. Horas ſcit nemo, Vale.

*Aliud.*

HÆc ſatis in tumulo: fragilem te noueris eſſe,
Mors certa eſt, tempus perbreue, vita Nihil.

Digitized by Google

*Aliud quod extare dicitur Vicetiæ.*

SEriùs aut citiùs nihil eſt: bene viuere Vita
Æterna eſt: cælum, qui bene vixit, habet.

*Aliud.*

VIxi quod volui, volui quod fata volebant,
Nec mihi vita breuis, nec mihi longa fuit.

*Aliud.*

IN terrâ exul eram, cælum mihi patria facta eſt.
Qui cupis hâc patriâ viuere, diſce mori.

Terram terra tegat, Dæmon peccata reſumat,
Res habeat mundus, ſpiritus alta petat.

*Romæ in S. Pauli Templo vidit Gueuara.*

HOſpes quid ſim vides: quid fuerim noſti: futurus ipſe quid ſis cogita.

*Romæ in Cœnobio Mineruæ vidit idem.*

O Mors! ô Mors! ô Mors! ærumnarum portus & meta ſalutis.

*Ibidem in S. Ioannis in Laterano teſte Suuertio.*

Vixi, quod volui, ſemper bene, pauper, honeſtè,
Nullum fraudaui quod iuuat oſſa mea.

## *XXVIII.*
## M. ANT. COCCII SABELLICI.

*Venetiis.*

QVem non res hominum, non omnis ceperat ætas
Scribentem, capit hæc *Coccion* vrna breuis.

## *XXIX.*
## M. ANTONII TVRRIANI.

*Auct. Nicolao Archio: Illud quoque inter Veronenſia retulit Franc. Suuertius.*

ANte annos ſciuiſſe nocet: nam maxima Virtus
Perſuaſit morti vt crederet eſſe ſenem.

Digitized by Google

XXX.

*ARMANDI CVIVSDAM NOBILIS.*

*Vulgò iactatur.*

HIc iacet *Armandus*, cunctis, dum vixit, *Amandus.*

XXXI.

*ASCANII CALCAGNINI.*

*Auct. Hier. Faleto.*

NOna dies terris oſtendit, & addidit aſtris;
Felix qui cælo tam citò dignus eram.

XXXIII.

*F. AVGVSTINI RICHINI.*

*Feriaria.*

FLens veni in terras, & flens diſcedo; fuítque;
Dum vixi, fletus, Vita, dolor, gemitus.

XXXIV.

*BALDI SECVNDI PERVSINI I.C.*

NEmo quod hunc latuit ſciuit, ſi iura *Monarcham*
Ferre queunt, tanto hic nomine dignus erat.

XXXV.

*S. BENEDICTI.*

*Auct. Lud. Bigo Pictorio Ferrarienſi.*

N*Vrſia* quem genuit, iacet hoc *Benedictus* in antro,
Fama hominis, titulus ſit, volo, Sarcophagi.

XXXVI.

*BLASII MONLVCII MARESCALLI.*

I*Liadis* rurſus naſcatur conditor altæ,
Hoc tumulo rurſus conditur *Æacides.*

XXXVII.

S. BRVNONIS CARTVS. PATR.

*Incerto Auctore.*

DOctor, Dux, Monachus: Docui, Deuici, Habitaui:
Verba, Scelus, Saltus: Voce, Timore, Fugâ.

*Traduit par F. F. Iary Chartreux.*

*DOcteur i'ay enſeigné la parole diuine,*
*I'ay puis apres domté par crainte le peché:*
*I'ay ſeulet habité, & me ſuis depeché*
*Du monde, & des ennuis, par fuite clandeſtine.*

XXXVIII.

CAMPEGII CARD.

C*Ampegij* terra hæc viui tegit oſſa, Viator,
Nam ſtupor eſt cælo lapſa putare mori.

XXXIX.

CAROLI BEMBI.

*A Petro fratre.*

QValis honos cæli, puro cum ſurgit Olympo
*Lucifer*, & feſſis clarum caput exerit aſtris:
Tale decus te, *Bembe*, tuis mala fata tulerunt.

XL.

CAROLI BORBONII.

*Auctore Germano Anonymo.*

AVcto Imperio, ſuperatâ Germaniâ, deuicto Gallo, Pontifice obſeſſo, Româ captâ, *Caroli Borbonij* hoc marmor cineres retinet.

XLI. XLII.

CATONIS VTICENSIS.

*A Paulo Thomâ.*

MEcum *Roma* peris, tecum pereo ipſe: puderet
Te ſupereſſe mihi, me ſupereſſe tibi.

A SANNAZARIO.

HIc, vbi libertas, magni & iacet vmbra *Catonis*,
Quam meliùs poterant *Cæſaris* oſſa tegi.

Digitized by Google

## XLIII.

## CHRISTOPHORI PAPÆ.

*Recitat Baronius ad annum 908.*

HIc pia *Chriſtophori* requieſcunt membra ſepulti.

## XLIV.

## CL. AVMALÆI EQ. HIEROSOLYM.

*Calæ in monialium Cœnobio.*

*Piis Manibus Illuſtr. Principis Claudij Lotharingi Aumalæ, Equitis Ieroſolymitani lacrymas Maria ſoror pient. piè conſecrauit anno Dom.* MDLXXXXI.

ANne meum, an fratris iacet hic Cor? An cor vtrumque?
At cor vtrumque iacet: Cor idem eſt fratri atque ſorori.

## XLV.

## DIDACI DE VALDES HISPANI.

*Romæ in S. Iacobi.*

CErta dies nulli eſt, mors certa, incerta ſequentum
Cura, locet tumulum, qui ſapit, ante ſibi.

## XLVI.

## DIONYSII ARGENTERII AB. CLARÆVALLIS,

*Defuncti in Cœnobio Aureæ Vallis.*

ORtum *Trecæ*: Gradum *Sorbona*, & *Clara* *Tiaram Vallis*; at Exequias *Aurea*, & Aſtra *Deus*.

## XLVII. XLVIII.

## DESIDERII ERASMI.

FAtalis ſeries nobis inuidit *Eraſmum*,
Sed *Deſiderium* tollere non potuit.

*Aliud.*

*Aliud.*

TErra *Batana* ſuum cùm miraretur *Eraſmum*,
Hoc maius potuit dicere, nil genui.

*Sunt & alia plura in manibus, quæ lubens omitto duobus contentus.*

## *XLIX.*

## ERRICI RVD. EQVITIS.

*Neapoli ad S. Laurentij.*

HOſpes, quidſim, vides: Quid fuerim, noſti:
Futurus ipſe quid ſis cogita.
Inferri ſancto Manes quia turpe putaui,
Idcirco ante fores conditus heic iaceo.

*Erricus Rud. Eq. Neap. viuus ſibi poſuit, ne de ſepulcro ſollicitus heres eſſet, neue viuorum negligentia obeſſet mortuo.*

## *L.*

## EVERARDI MVSSELTINI.

*Baſileæ.*

EN quid poſſit amor! Fratrem dum viſito Fratris
Vſtus amore, febris me vrit, & intereo.

## *LI.*

## EVGENETIS.

D. M. S. *Ti. Claudi Eugenetis.* Vixit an. XI. d. IX.
*Ti. Claudius Anicetus* pater fec.

Ἀπλήρωτ' Ἀΐδη τί με νήπιον ἥρπασας ἄφνω;
Τί σπεύδεις; οὐ σοὶ πάντες ὀφειλόμεθα;

## *LII.*

## EZELINI BASILEENSIS PRÆPOSITI.

*In maiori Eccleſiâ, vt volunt.*

HIc iacet arte *Plato*, *Cato* Vitâ, *Tullius* ore;
Vermes corpus alit, Spiritus aſtra colit.

*In Baſileenſium Monumentorum Antigraphis à Simone Grunæo editis, pag. 18. dicitur eſſe Anonymi cuiuſdam peruetuſtum.*



Digitized by Google

LIII.

S. FRANCISCI.

*Auctore P. L. S. I.*

NOn Magnus iacet hoc, ſed ſtat *Franciſcus* in antro:
Poſt obitum viuus, mortuus ante obitum.

LIV.

*S. FRANCISCI XAVERII S. I.*

*Incerto auctore.*

NAſcitur *Occiduis*, at *Eois* occidit oris:
Hoc tantùm differt, cætera *Solis* habet.

LV.

*FRANCISCI AVANSONII GRATIAN. EP.* *In Eccleſia B. Virginis.*

D. O. M.

PVluis natus, bulla vixi, iterum puluis animam reddidi Deo. Miraris, Viator, te talem cogita. Vale & ora. *Franciſcus Auanſonius* Pontifex *Gratianopolitanus* humanitatis ſuæ memor viuus poſuit 1575.

LVI.

FRANCISCI BALDVINI, IC.

*Auctore Papyrio Maſſono.*

*Cujaci?*

B*Alduinus* hic iacet. Hoc tecum reputa & vale.
Mortuis vobis Iuriſprudentiam corripiet
Grauis ſopor.

LVII

*FRANC. DE LESDIGVIERES FR. COM. ST.*

*Incerto auctore.*

QVid fles? non obiit *Bonnus*, licet oſſa ſub iſto
Marmore ſint: armis gloria parta viget.

Digitized by Google

LVIII.

*FRANC. PETRARCHÆ.*

*In viciniâ Patauij in Arquato pago marmoreo ſepulcro inciſum.*

FRigida *Franciſci* lapis hic tenet oſſa *Petrarchæ*;
Suſcipe *Virgo* parens animam, ſate *Virgine parce*,
Feſſáque iam terris cæli requieſcat in *arce*.
*Ob*. XIX. *Iulij* M. CCC. LXXIV.

*LIX.*

*FRANCISCI SFORTIÆ.*

*Auctore Marullo.*

SI genus audieris, ſpernes; mirabere geſta;
Illud fortunæ eſt, hoc fuit ingenij.

*LX. LXI.*

*FRANCISCI PHILELPHI.*

ABſtulit inſignis corpus fera *Parca Philelphi*;
Ingeniis graſſans mors nocuiſſe nequit.

*Auct. Hier. Balbo.*

ITala *Cecropia Pallas* coniuncta *Minerua*,
Et ſtetit, & cecidit morte, *Philelphe*, tuâ.

*LXII.*

*FRIDERICI. II. IMPERATORIS.*

*Panormi in Siciliâ.*

SI probitas, *ſenſus*, virtutum gratia, *cenſus*,
Nobilitas *orti*, poſſent obſiſtere *morti*
Non foret ex*tinctus* Fridericus qui iacet *intus*.

*LXIII.*

*GEORGII MERVLÆ.*

*Mediolani.*

VIxi aliis inter ſpinas mundíque tumultus:
Nunc ſoſpes cælo *Merula* viuo mihi.



Digitized by Google

*LXIV.*

IOAN. GLANDORPII IC.

*Heruordiæ: de eo & alia refert Suuertius.*

GLandorpi, cuius ſtudiúmque fidémque Iuuentus
Senſit amans, Tellus hoc capit oſſa ſolo.

*LXV.*

GVIDONIS CARDINALIS PRÆNESTINI.

*In Choro Ciſtercienſis Abbatiæ.*

NObis *donatus* de culmine *Pontificatus*,
Remis *tranſlatus* iacet hîc Vir *Guido beatus*.

*LXVI.*

GVILLELMI BELLAII LANGÆI.

HIc *Langæus* ineſt: vltra nil quære, Viator,
Nil maius dici, nil potuit breuius.

*LXVII.*

GVILLELMI BVDÆI.

*A Iano Vitale.*

QVi ſanctum ſimul & ſimul diſertum
Exquiris ſapientiæ magiſtrum:
Vltra quid petis? hîc iacet *Budæus*.

*LXVIII.*

GVILLELMI POSTELLI.

*Adrianus Tartrier Medicus poſuit.*

POſtellus poſtquam peragrauit, plurima paſſus,
Pro pietate, polos *Pariſiis* petiit.

*Obijt ſexto Septembris 1581. annos natus 96. De eo plura ex Varus Domnus Martinus Marrier libro ſexto Hiſtoriæ Monaſterij Regalis Sancti Martini de Campis Pariſienſis Ordinis Cluniacenſis.*

*LXIX.*

GVISII EQVITIS HIEROSOL.

MArs Equitem *Guiſium* combuſſit: nam rapit vltro
Fortes, & ferro, quos nequit, igne rapit.

Digitized by Google

LXX.

HECTORIS.

TRoum protector, Danaûm metus, hîc iacet Hector.

LXXI.

HIPPOLYTI FERRARIENSIS.

*Auct. Cælio Calcagnino.*

QVod nihil inſcriptũ tumulo, ne ſit tibi mirum:
*Hippolyti* titulos non capit hic tumulus.

LXXII.

HONORATÆ VRSINÆ.

*Senis in S. Dominici.*

HOnorata Vrſina, puellarum decus, matronarum ſplendor, coniugum honor, pudicitiæ iubar, ſanctimoniæ Templum, virtutum & formæ cumulus hoc breui conditur ſarcophago.

LXXIII.

IACOBI FABRI STAPVLENSIS.

*Incerto Auctore.*

HAc quicumque vrna *Fabrum* putat eſſe ſepultum,
Errat; cæleſtem non tegit vrna virum.

LXXIV.

IACOBI MARCH. MARIGNANI.

*Auctore Bernardo Baldino.*

IAcobus Medices, vel, ſi fas nomina *Diuûm*
Impoſuiſſe viro, *Mars* iacet hoc tumulo.

LXXV.

IARENTONIS ABBATIS S. BENIGNI.

*Diuione in capitulo S. Benigni.*

DOrmit *Iarento* venerandus in hoc *monumento*,
Qui tibi tam *dignè* ſeruiuit ſancte *Benigne*.

LXXVI.

## IASONIS MAYNI I.C.

*In S. Iacobi extra muros Ticini, apud Inſubres.*

MAteriâ vincor, tu iam vis ire, Viator,
Expediam: iacet hîc ille Maynus, abi.

*LXXVII. LXXVIII.*

## INCERTI.

*In Monum. Chriſtianis Gruteri.*

SVſcipe terra tuum corpus de corpore ſumptum,
Reddere quo valeas viuificante Deo.

*Alterius innominati Limoni Pictonum in æde Diuo Eparchio ſacrâ.*

VOta ferant animæ requiem: nec curet amicus,
Molliter an durè Pulueris Vmbra cubet.

*LXXIX. LXXX. LXXXI.*

## INFANTIVM.

NOna dies terris oſtendit, & addidit aſtris.
Felix qui cælo tam citò dignus eram.

*Aliud.*

VNa dies mundo te hæc intulit, hæc eadem vna
Abſtulit: vna fuit vltima, prima eadem.

*Aliud.*

VEni, fleui, obij matri fruſtra editus infans:
Vita breuis mihi mors, mors mihi vita fuit.

*LXXXII.*

## IOANNIS CAMPETII.

*A Raph. Placentino.*

VIn' ſcire quàm facere & docere Dis placent?
*Campetius* hîc cubans, polo ſublatus eſt.

*LXXXIII. LXXXIV.*

## IOANNIS PICI MIRANDVLÆ.

*Florentiæ in æde Sancti Marci.*

IOannes iacet hîc *Mirandula*: cætera norunt,
Et *Tagus*, & *Ganges*: forſan & *Antipodes*.

Digitized by Google

*Alterum Auctore Hercule Stroza.*

HIc ſitus eſt *Picus*: cuius ſi cuncta periſſent
Virtutum; ſeptem vix ſat erant tumuli.

LXXXV.

IOANNIS SECVNDI POETÆ.

*Incerto Auctore.*

NOn fecit meritò, nomen qui fortè *Secundo*
Impoſuit, *Primus* iure vocandus erat.

LXXXVI.

IVLII AQVAVIVI.

*Auct. Mich. Marullo.*

QVàm bene pro patriâ *Iuli* cadis inclyte, ſi non
Tecum etiam infelix concideret patria!

LXXXVII.

IVRISP. ANONYMI.

*Piſis in* D. *Benedicti.*

DVm parat hic ſtudiis *Aſtream* inducere mundo,
*Aſtraa* infertur raptus amore polo.

LXXXVIII. LXXXIX. XC. XCI. XCII.

IVSTI LIPSII.

IVs charum eſt terris, ſuperis *Tus*, nempe ita *Iuſtus*
Charus erat terris, charus erat Superis.

*Auctore B. B.*

SVnt buſto in *Pario*, ſunt qui tumulantur eburno,
Sunt qui marmoribus, *Lipſius* in lacrymis.

*A Maximiliano Vrientio.*

L*Ipſius* ille iacet, ſimul & *Conſtantia* in illo,
*Suadáque*, & *Hiſtoria*, & priſca *Sophia* iacet.

*Alterum eiuſdem.*

HÆc *Lipſi*, ſed non *Lipſi* vnius, at ſimul ipſa
Et *Senecæ*, & *Taciti*, viua & imago *Titi*.



Digitized by Google

*Aliud ad eundem.*

IVit *Lipſius*, ibimúſque cuncti;
Mori Chriſticolis piis, probiſque,
Non eſt, crede, perire, ſed præire.

## XCIII.

## LAVRENTII SCVLPTORIS.

*Romæ.*

ROma mihi tumulum tribuit, *Florentia* vitam:
Nemo alio vellet naſci, & obire loco.

## XCIV.

## LAVRENTII TOSCANI EP. LODEV.

*A Ioanne Matthæo Toſcano.*

SI virtus, pietaſque mori, ac prudentia poſſent,
Debuerant, *Laurens*, te moriente mori.

## XCV.

## LAVRENTII VALLÆ CAN. LATER.

*Romæ in S.* Io*annis in Laterano.*

L*Aurens Valla* iacet *Romanæ* gloria linguæ,
Primus enim docuit, quâ decet arte loqui.

## XCVI.

## LAZARI BAIFFII.

*Auct.* I*ano Antonio Baiffio.*

SOpore ſacro *Lazarus Baiffius*
Dormit: mori ne dixeris bonos viros.
Vixit, quieſcit: Viuus eſt, non mortuus.

## XCVII.

## LEONIS IX. ROMANI PONTIFICIS,

*Qui fuerat Tullenſis Epiſcopus.*

*Romæ in Templo S. Petri.*

VIctrix Roma *dole* Nono viduata *Leone*,
Ex multis *talem* vix habitura *parem*.

Digitized by Google

XCVIII.

*LEONIS X. ROMANI PONTIFICIS.*

*Romæ in templo D. Petri.*

DElicìæ Humani generis, Leo maxime, tecum
Vt ſimul illuxere, interiere ſimul.

XCIX.

*T. LOVATI.*

*Patauij ad D. Laurentij.*

ID quod es ante fui: quid ſim poſt fata, requiris?
Quod ſum, quidquid id eſt, tu quoque, Lector, eris.

C.

*LVCIÆ PHOEBES.*

*A Marullo.*

IVcebas ſuperis mea *Lucia* lucida *Phœbe.*
At nunc *Perſephone* Tertia regna tenes.

CI.

*LVCINÆ VIRGVNCVLÆ.*

*Ab Hier. Amaltheo.*

NVnc gemina in cœlo fulget *Lucina*: puellis
Vna fauet nuptis, altera virginibus.

CII.

*IO. LVDOVICI VIVIS.*

*Incerto Auctore.*

QVis iacet hîc? *Viues.* Eheu! fata aſpera! tantum
De tanto his etiam ſumere *Viue* licet!

CIII.

*MARII MOLSÆ.*

*Auct. Tryphone Bencio.*

QVi lepido veteres æquauit carmine *Molſa*
Hîc iacet; ætatis maximus huius honos.

CIIII. CV.

*MARSILII FICINI.*

*Angelo Politiano auctore.*

MOres, Ingenium, Muſæ, Sophiæque ſepulta eſt
Laus hîc cum magni corpore *Marſilij.*

*Aliud.*

MOres, Ingenium, Muſas, Sophiámque ſupremam,
Vis vno dicam nomine? *Marſilius.*

*Plura vide apud Fr. Suuertium in Florentinis.*

CVI.

*MATTHIÆ REGIS.*

*Piſis in Hetruriâ eſſe perhibent.*

M*Atthiæ* Regis poſita heic ſunt oſſa: probant quem
Fata fuiſſe hominem, facta fuiſſe Deum.

CVII.

*MAXIMILIANI II. IMP.*

*Viennæ in Auſtriâ.*

M*Aximilianus Cæſar* ſemper *Auguſtus*, demiſſus cœlo, redditus cœlo, non obijt, ſed abijt.

CVIII.

*MEDICI.*

NOn potui *Medicus Medico* mihi ferre ſalutem:
Sis ergo *Medico* tu *Medicina Deus.*

CIX. CIX.

*MICHAELIS ANGELI PICTORIS.*

*Incerto Auctore.*

QVi ſim nomen habes, ſátque eſt: nam cætera cui non
Sunt nota, aut mentem non habet, aut oculos.

Digitized by Google

*De eodem.*

QVantum in naturâ ars, naturáque poſſit in arte
Hic, qui naturæ par fuit arte, docet.

CXI.

MICHAELIS VERINI.

*Ad Patrem.*

NE fle, viuo, fruor tandem, Pater optime, veris
Delicijs, cœlo, poſteritate, Deo.

CXII. CXIII. CXIV.

MICHALIS VIOLÆI ABBATIS.

*A R. Fornerio I. C.*

HIc iacet Antiſtes nulli pietate ſecundus,
Patricijs generoſus auis, generoſior actis,
Vrbis honos, Cleríque decus, populíque columna.

*Per C. Villedauneum.*

QVi vitam nobis viuebat, nunc ſibi viuit.
Non illi, at nobis inuida mors nocuit.

*A Petro Ferrando Vindocinenſi.*

P*ariſius* quondam genuit me: *Aurelia* pauit:
Terra capit corpus: Spiritus aſtra tenet.

*Paris ma enfanté: Orleans me nourrit:*
*En terre giſt mon corps: au Ciel eſt mon eſprit.*

CXV.

NICOLAI DE CLAMENGIS.

*In Sacello Collegij Nauarræi Lutetiæ ſub Lampade, vt refert Iacobus Breullius in Antiquitatibus.*

B*Elga* fui, *Catalaunus* eram, *Clamingius* ortu;
Hæc domus oſſa tenet, ſpiritus aſtra petit.

CXVI.

NICOLAI PANORMITANI.

*In Siciliâ.*

MOrte tuâ *Canones,* Leges & Iura *Quiritum*
Occubuere: iacent hoc tumulata loco.

CXVII.

NICOLAI SVDORII MVSICI.

*Romæ.*

CVrte, *Muſice*, *Muſicus* peremit
Sagittâ *Nicolae* peſtilenti?
Inuidit numeris meis *Apollo*.

CXVIII.

OLYMPIÆ COLVMNÆ.

*Auct. Hier. Faleto.*

DIgna polo, quam non capiebat marmor, Olympo
Emicat, & ſedes, vnde receſſit, habet.

CXIX.

ORONTII FINÆI MATHEM.

*A. Thomâ Fargæo Vellaunio.*

INgenium, ſtudium, Nomen: Beat, Expolit, Ornat;
Mens, Ratio, Rumor: Dotibus, Arte, Sonis.

CXX.

OTHONIS IMPERATORIS.

*Magdeburgi in Saxoniâ.*

TRes luctus *cauſa* ſunt hoc in marmore *clauſa*:
Rex, decus *Eccleſia*, ſummus honos *patria*.

CXXI.

PAVLI IOVII EP. NVCERINI HIST.

*Florentia in S. Laurentij.*

HEic latet heu *Iouius Romana* gloria linguæ,
Par cui non *Criſpus*, non *Patauinus* erat.
*Obijt 3. Id. Dec. 1552. Vixit annos* LXVIII. m. VII. d. XXIII.

CXXII.

PERINELLI CANTORIS.

QVo tumulo, *Perinelle*, iaces, tecum iacet omnis
Et ſonus, & cantus; auráque, vóxque ſilet.

## CXXIII.

## PETRI ET PAVLI SVBMERSORVM.

PEtrus cum *Paulo* vitam finiuit in vndis.
Hic nans, hic nanti dum pius addit opem.

## CXXIV.

## PETRI ABB. XIV. S. VICTORIS.

EST Abbas *Petrus* tumulo præſente recluſus
Qui vitæ *tempus* ſanctos expendit in *vſus*.

## CXXV. CXXVI. CXXVII. CXXVIII. CXXIX.

## PETRI BEMBI CARD.

*Ex Io. Matth. Toſcano.*

HIſtoricus, Vates, Rhetor: Celebrat, Canit, implet:
Geſta, Ignes, Aures: Ore, Lyrâ, Eloquio.

*IN Petri Bembi obitum plurima ſcripſit Epitaphia Auguſtinus Beatianus, vnum hîc ſeligo diſtichon, cætera vide inter Delicias Ranutij Gheri.*

Hic ſitus eſt *Bembus*, de quo fas dicere ſolo eſt,
Laudato dici quidquid ab ore poteſt.

*De eodem Bembo cum Eclogis tribus incerti auctoris plura ex varijs congeſta reperies Epitaphia in ijſdem Gheri Delicijs à pag. 389.*

*Aliud.*

MOrte tua fluxit lacrymis & *Tybris*, & *Arnus*,
*Bembe:* ſed *Aonijs* aruit vnda vadis.

*Aliud.*

HIc ſitus eſt *Bembus:* ſatis hoc: nam cætera clarent
Quo ſe cumque decus protulit eloquij.

*Aliud.*

HIc *Bembi* tumulus: nam cætera dicere tantum
Tot bene ſcripta Viri, tot benefacta valent.

Digitized by Google

CXXX.

PETRI LOMBARDI PARISIENSIS EP.

*In Eccleſia S. Marcelli.*

HIc iacet. Magiſter *Petrus Lombardus Pariſienſis Epiſcopus*, qui compoſuit librum ſententiarum, Gloſſas Pſalmorum, & Epiſtolarum. Cuius obitus dies eſt 13. Kalendas Auguſti.

CXXXI.

PETRI MOSELLANI.

PArua *Moſellani* claudit breue membra ſepulcrum;
Sed magnum vaſto nomen in orbe volat.

CXXXII. CXXXIII. CXXXIV.

PETRI RONSARDI POETARVM PR.

*A Ponto Tyardeo Biſſiano Ep. Cab.*

PEtrus *Ronſardus* iacet hic: ſi cætera neſcis:
Neſcis quid *Phœbus, Muſa, Minerua, Charis.*

*Ronſard git en ce lieu: tout le reſte ie paſſe,*
*Car ſi tu ne le ſçais, Paſſant, tu ne ſçais pas*
*Que c'eſt que de Phœbus, de Pallas, de la Grace,*
*Et que la Muſe eſt morte en vn meſme treſpas.*

*A P. Burgij.*

CVr claros onerem titulorum pondere manes?
*Ronſardus hic iacet:* ſat eſt.

*A Stephano Paſchaſio.*

HIc *Ronſarde* iaces, & tecum *Phœbus* eadem,
Et *Muſa*, & *Charites* contumulantur humo.

*Cy giſt le Grand* Ronſard, *& auec luy auſſy*
*Les Graces, les neuf Sœurs, Phœbus giſent icy.*

CXXXV.

PETRI STROZZÆ.

TOrmento *Petre Strozza* iaces, an fulmine? Pulcrum eſt
Non hominum manibus, ſed cecidiſſe *Deum*.

Digitized by Google

CXXXVI. CXXVII.

PHILIPPI BEROALDI.

*Bononiæ ad S. Martinum.*

PHilippo Beroaldo ſeniori, ciui Bononienſi, viro omnium, quos ætas ſua tulit, eruditiſſimo atque eloquentiſſimo, eidémque humaniores literas *Parmæ*, *Lutetiæ*, atque in patriâ, ſummâ cum ingenij laude, atque audientium admiratione profeſſo, *Phil.* & *Vinc.* filij heredes ex ipſius teſtam. PP.

*Inunc, & vigila, noctesque abſume legendo.*
*O hominum curæ, cœptáque vana nimis!*

Vixit annos LI. m. VIII. Obijt an. MDIIII.

Incerto *Auctore*.

TRiſtibus ornaſſet numeris tua funera *Muſa*,
Ni tecum ipſa etiam *Muſa* ſepulta *foret*.

CXXXVIII.

PINI NVMENII CARDINALIS.

*Rauennæ in D. Franciſci.*

LInguam habui *Charitum*, cor *Palladis*, ora *Diones*:
Non perij: Mors eſt ſplendida vita bonis.

CXXXIX.

*RAPHAELIS PICTORIS.*

*Romæ.*

ILle hic eſt *Raphaël*, timuit quo ſoſpite vinci,
Rerum magna parens, & moriente mori.

*Vixit annos, XXXVII. integrè integros. Quo die natus eſt eo eſſe deſiit 8. Idus Aprilis 1520.*

CXL. CXLI.

*RENATI BIRAGÆ CARD ET CANC.*

*A Io. Bapt. Bruna Salucienſi.*

LIs abſit: iuſtè diuiſimus omnia: ſeruent
Oſſa, Animam, Famam: Terra, Deus, Populus.

*Aliud eodem auctore.*

OLim iura dabat terris, nunc *Iuppiter* alto
Concilio adſcitum vult dare iura polo.

## CXLII.

### *RICHELII CARD.*

*Ex eo quod Braccio Peruſino ſcripſit Marullus.*

R*Ichelius* iacet hic: Quæris genus, actáque? Vtrumque
Ni teneas dicto nomine, nil teneas.

## CXLIII.

### *ROBERTI REGIS NEAPOL.*

*Neapoli.*

CErnite *Robertum* Regem virtute *refertum*.

## CXLIV.

### *S. SABINIANI PAPAE.*

*Refert ex Petro Manlio Boſius in Romá ſubterr.*

HIc hominum vitia blando ſermone remouit:
Nec culpis Iudex, ſed medicina fuit.

## CXLV.

### *SELIMI I. TVRCARVM IMP.*

HIc Maximus adſum *Selim*, qui orbem domui: Non bella reliqui, ſed pergo inquirere; non vlla me fortuna potuit euertere: licet oſſa iaceant, animus bella quærit.

CXLVI.

CXLVI.

*SIGFRIDI ARCH. MOGVNTINI.*

*Erfordij in Templo B. Virginis.*

MIgrans vir *fidus* quinto Septembris in *Idus*
Præſul *Sigfridus* fulget cœlo quaſi *ſidus*.

CXLVII.

*TERENTIAE.*

*Gruterus p. 996. 12.*

QViſquis es, homo, & vos ſodales meos cunctos rogo per Deos ſuperos inferóſque, ne velitis oſſa mea violare.

CXLVIII.

*THEODORI GAZAE GRAECI.*

*Ex Marulli libro 1. Epigr.*

HIc *Gazes* iacet, & *Gaza* Sophia addita mater:
Alterutrum quoniam mors rapere haud potuit.

CXLIX.

*D. THOMAE AQVINATIS.*

HIc *Thomæ* cineres poſiti, cui fata dedere
Ingenium terris viuere, cœlo animam.

CL. CLI.

*TRIVM SIMVL SEPVLTORVM.*

*Neapoli in SS. Ioanne & Paulo.*

TRes tulit vna dies, fuerat tribus vna voluptas,
Tres habet heu! tumulus. Lector abi, & lacryma.

*Alterum alibi.*

NOs aluus tres vna tulit, tres vna ſepultos
Vrna tegit, cœlo tres *Trias* vna beat.

CLII. CLIII.

*VIDII MEDICI.*

*Auct. Franciſco Panigarolâ.*

QVâ primæ eripuit multos, hâc arte ſecundæ
Se rapuit morti *Vidius*, hícque iacet.



Digitized by Google

*Aliud.*

NOn tibi ſat fuerat viuenti vincere mortem:
Hanc niſi defunctum vincere poſſe probes?

CLIV. CLV.

*P. VIRGILII MARONIS.*

*Incerto auctore.*

HIc ſum ego *Virgilius.* Quid opus modò plura referre?
Hoc vnum longi Carminis inſtar erit.

*Auctorem iſtius diſtichi perhibent Lud. Viuem.*

Hic ego qui iaceo, ternô *Maro* carmine clarus,
Paſtores luſi, colui Rus, Belláque Scripſi.

CLVI.

*VIRI ET VXORIS.*

*Neapoli.*

FElices quibus vna fuit mens ſemper; & vna
Quos tulit hora ſimul, quos lapis vnus habet.

CLVII.

*ZOES.*

*Antiq. inſcript.* MLXI. 8.

DVlcis apud Manes *Zoe* benedicta moraris,
Tu ſecura iaces, nobis reliquiſti querelas,
Præceſti hoſpitium dulce parare tuis.

ΟΥτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων.

*Neque omnia, neque paſſim, neque ab omnibus.*

Digitized by Google

# SELECTORVM
# EPITAPHIORVM THESAVRI PARS SEPTIMA.

RECENTIORA, ſeria, pia, ingenioſa, venuſta, ſed paullò præcedentibus longiora, à Ducentis præterpropter annis edita, & ex varijs hinc inde Auctoribus magno ſtudio collecta, quorum pleraque elegantiam veterum, purámque Latinitatem apprimè redolent.

I. II.

*ABRAAMI ORTELII.*
*Auct. Balduino Cabillano S. I.*

HIc ſitus *Ortelius*. Buſti me fallit imago?
Qui iacet hîc vmbræ vix leuis vmbra ſuæ.
Vin' noſſe *Orteliũ*? mũdi decurre *Theatrum*;
Quantum opus eſt *Orbis*, tantus & ille vir eſt.

*Alterum auctore Franc. Suuertio.*

FVnus vt *Ortelij* vidit, caſúmque *Theatri*
*Scalda* gemens ſalſas defluit in lacrymas.



Digitized by Google

In lacrymas abeunt oculi. Cur lumina ſeruet
*Scalda*? perit, *Scaldam* qui dat vbique legi.
Nil eſt quod videat nunc ampliùs: occidit illi
Sol ſuus, & lucem quæ dedit Vmbra iacet.

III. IV.

*ACTII SINCERI SANNAZARII.*

*Baſilio Zanchio auctore.*

HAs naſſas, hæc lina tibi, *Sincere*, ſepulto
Piſcator tenui dedicat arte *Mycon.*
Hos calamos, myrtúmque tibi, viridémque coronam
*Arcadia* paſtor ponit ab arte *Lycon.*
Has lacrymas, vulſámque à vertice *Mergillina*
Cæſariem, & violas ſpargit, & *Ammineum.*
*Parthenope* patria ipſa tibi de marmore buſtum
Condit, & extentis funera temporibus.
Quid moror? æterni te ſuſcipit vmbra *Maronis*,
Et tibi vicinum donat habere locum.

*Alterum ab Antonio Flaminio.*

QVantum *Virgilio* debebit ſilua *Maroni*,
Et paſtor, donec *Muſa Maronis* erit;
Tantum penè tibi debent piſcator & acta,
*Acti* diuino proxime *Virgilio*.

V.

*ADOLESCENTIS NOBILIS*
Philoſophiæ operam dantis.
*Ex libello, qui inſcribitur,*

*Vera Hominis Chriſtiani Philoſophia;*
*Meditatio Æternitatis.*

FOrmæ nitore, genere, & opibus florui:
Flores ſed iſtos meſſuit mortis manus.
Vbi iuuentus? Abijt, & ſpes abſcidit:
Dei ad tribunal penè adhuc viuus ſteti,
Nec profuere ſtirps, opes, oris vigor,

Digitized by Google

Vſque ad ſepulcrum hæc omnia, vlterius nihil.
O Arundinee Mortalis, hæc quiſquis legis,
ÆTERNITATEM proſpice, & longùm Vale.

*Vigilate quia neſcitis diem,*
*neque horam.* Matth. 25.

## *VI.*
## ADOLFI OCCONIS MEDICI.
*Auguſtæ Vindelicorum.*

QVi fuit æternæ Chriſtus mihi cauſſa ſalutis,
Exuuijs rurſus veſtiet oſſa meis.
Eius dum reditu mihi vita, ſalúſque paratur;
Interea tumulo molliter oſſa cubent.

## *VII.*
## ADRIANÆ MEMMIÆ.
*Paſſeratio auctore.*

HIc *Adriana* condita oſſa *Memmia.*
Caro reliquit quæ nihil prolis viro?
Sed temporum iſta culpa, non eſt coniugum:
Hoc ſterilis eſſe ſæculo virtus ſolet.

## *VIII.*
## ADRIANÆ SAXONÆ.
*Auct. Ioniano Pontano coniuge.*

ILla tori bene fida comes, cuſtóſque pudici,
Cuique & acus placuit, cui placuere coli?
Quæque focum, caſtóſque lares ſeruauit, & aræ
Et thura, & lacrymas, & pia ſerta dedit.
In prolem ſtudioſa parens, & amabilis vni,
Quæ ſtuduit caro caſta placere viro:
Hic poſita eſt *Ariadna*, roſæ, violæque niteſcant,
Quà poſita eſt *Syrio* ſpiret odore locus.
Vrna crocum dominæ fundat, deſtillet amomum
Ad tumulum, & cineri ſpica *Ciliſſa* fluat.
*Ioannes Iouianus Pontanus vxori optimæ ac bene me-*

*rentiſſimæ poſuit: quæ vixit annos* XLVI. *menſes* VI. *obijt Kal. Martij anno* MCCCCXC.

*IX. X.*

ADRIANI TVRNEBI.

*Incerto Auctore.*

TVrnebus iacet hîc. Quis ſit, ſi quærere pergis,
Iam dignus es qui neſcias.

*Aliud.*

INgens exiguâ *Turnebus* conditur vrnâ,
Ægrè quem totum *Gallia* tota capit.

*Aliud.*

TVrnebi in patriam pietas, ſacróſque Penates,
Quum benè vixiſſet cognita morte fuit.
Ergo eius famam quiſquis violauerit; illi
Nec patria eſt curæ, nec pietatis amor.

*XI. XII. XIII.*

ÆGIDII BORDINI PROCVR. REGII.

*Auctore Stephano Iodello.*

QVi patriæ vigil vſque fuit, dormiuit & vſque,
Nunc obitu verè dormijt ecce ſuo.
Vix differt à morte ſopor: nam viſus vbique
Hic dormire, ferè viſus vbique mori eſt:
Quin ſubitò ſomnóque cadens fatóque, ſoporem
Eſſe putet potiùs, quàm putet eſſe necem.
Quæſitúmque ſuis (nec enim tunc æger habetur)
Dormiat an vigilet, viuat an ille cadat.
At longùm nobis vigilat per ſcripta, per acta,
Supremus nequijt quę ſepelire ſopor:
Semper & extinctus credetur viuere, viuus
Qui falsò nobis creditus vſque mori.

*Scripſit & idem Iodellus Gallicum Epitaphium.*

*Alterum auct. C. Eſpencæo Th.*

COrporis huic moles annis erat obſita, ſomni
Plena, ſed ingenium nocte diéque vigil.

Mens torpere graui carnem tulit ægra veterno,
Peruigilem mentem ſomniculoſa caro.
Diſcordes adeò ſuperûm componere iuſſu
Mors ſtudioſa, virum dum ſopor vrget, adeſt:
Corpus vt in longam dum claudit lumina noctem
Longa ſinat mentem peruigilare dies.

*Aliud auct. Barnabâ Briſſonio.*

CArcere *Burdinus* dudum concluſus iniquo
Optarat vitâ liberiore frui.
Aſt animum ſuperas certantem euadere ad auras
Dura affligebat ſarcina carnis humo.
Vix tandem eſt inuenta fugæ via, vincláque molis
Clàm demum licuit rumpere corporeæ.
Nam conſanguineus lethi ſopor occupat artus,
Cuſtodem fallens ſpiritus aſtra petit.

*XIV.*

ÆGIDII MAGISTRI PRÆSIDIS PAR.

*Ab Huberto Moro Ambian. Theod. Extat in æde Franciſcanorum Pariſienſium.*

PRæſes eram, Præſes morior, poſt funera Præſes
Permaneo, recti fama perire nequit.
Ante loco pelli, vitæque pericla ſubire,
Quàm ſacra mutari patria ſuſtinui.
Nil *Legem* offendi, nil *Regem*, nil quoque *Matrem*,
Vſque pius conſtans, integer en morior.
Viue meo exemplo quiſquis ſuccedis honori;
Mortuus & viuus tam benè tutus eris.

*XV.*

ÆLIIÆ SEPTIMIANÆ.

*Fictum pro antiquo à Petro Bembo Card.*

Æ*Lia* natorum maneſque ſecuta mariti,
Vſa ſuâ iacet hîc *Septimiana* manu.
Vir *Turrinus* erat, cum quo tria luſtra peregit,
Iurgiáque in ſancto nulla fuere toro.

Bináque de primo ſuſcepit pignora partu,
Dein natam matris ſpémque metúmque ſuæ.
Crudeles *Dini*, proles adoleuerat, at mors
Iniecit tetricas peruiolenta manus.
Poſt quæ mœrentem, ne quid ſupereſſet amanti,
Abſtulit orbatæ proxima *Luna* virum:
Quem ſimulac flammâ vidit lambente cremari
Ergo ibis, tecum nec tua, dixit, erit.
Eripies mihi tu numquam hoc *Fortuna*: licebit
Hoc ſaltem, inuitâ te, potuiſſe mihi.
Dixerat, & ſtricto fixit ſua pectora ferro:
Sic moriens caro nunc quoque iuncta viro eſt.

*XVI.*

## AGRIPPÆ IVVENIS.

*Bononiæ in S. Petri.*

SI doctrina, vigor mentis, facundia, virtus,
Ius in fata habeant, ſaluus *Agrippa* fores.
Heu! quàm rara ad eos ſolet aduentare ſenectus
Qui nimiis animi dotibus exſuperant.

*XVII.*

## ALBERTI MAGNI.

*Auctore Iano Vitale Panormitano.*

NAtura has violas, *Ratio* hæc tibi lilia paſſim
Ad tumulum ſpargunt *Teutone* magne tuum,
Purpureis quarum tribulos auellis ab hortis,
Et pulcris violis lilia mixta ſeris;
Auiáque abſtruſæ pandis penetralia cauſæ;
Verè igitur *Magni* nomine dignus eras.

*XVIII. XIX.*

## ALBIERÆ. *Angelus Politianus ſcripſit.*

MOrte vnâ geminam ſum nacta *Albiera* vitam
Fama etenim terras, ſpiritus aſtra colit.
Fama olim numquam ſed ſpiritus occidet. hæc mi
Vita quidem ſemper viuet, at illa diu.

*Aliud.*

VIuebam, fato ſum rapta *Albiera*, coniux
  *Siſmundus* vitam reddidit en iterum:
Nam faciem, & claram cælato marmore formam,
  Ingenium, & mores carmine reſtituit.

*Scripſit & idem tria in eamdem rem diſticha. An verò eadem ſit cum Ioannâ Albierâ Laurentij Tornaboni vxore, quam idem celebrauit Poëta, mihi prorſus incompertum. Eius Epitaphium ſubijciemus ſuo loco.*

## *XX.*
## ALBII COLONI.
*Auctore Iulio Cæſare Scaligero.*

QVem ſegetes, quem vita *Deos* imitata priores,
  Quem genuit largâ fertilis annus ope:
*Albius* huc patrij poſt aurea fœdera ſulci,
  Debita poſcenti ſemina ſoluit humo.
Bis felix ager: & ſtudioſum paſſus aratrum;
  Atque iterum Domini cùm tegit oſſa ſüi.

## *XXI.*
## ALBINÆ.
*Auctor Michaël Marullus.*

HIc *Albina* iacet. Sed non tamen hîc iacet vna
  *Albina*; hoc *Veneris* non tulit ipſe puer.
Sed tela atque arcus, pharetræque, *Cupidinis* arma,
  Quique fuit mollis ſemper in ore decor.
Spargite humum foliis, verno nec parcite flori:
  Hæc quoque, quæ cinis eſt, flos modò vernus erat.

## *XXII. XXIII. XXIV.*
## ALFONSI DAVALI.
March. Piſcariæ.
*Auctore Ioviano Pontano.*

ARma manu tibi capta, & victo ex hoſte trophea
  Hæc tibi marmora erunt, hæc tibi erunt tituli.

Digitized by Google

Hoc tibi *Mars* ſtatuit, ſtatuit *Bellona* ſepulcrum
O *Dauale*, hæc cineri debita buſta tuo.
His *Alfonſe* iaces ornatus, & obrutus armis.
Arma tibi tumuli: tela tibi tituli.

*Aliud.*

NOn viuam ſine te, mi *Brute*, exterrita dixit
*Porcia*, & ardentes ſorbuit ore focos:
*Dauale*, te extincto viuam, *Victoria* dixit,
Perpetuò mœſtos ſic ditura dies.
Vtraque *Romana* eſt, ſed in hoc *Victoria* maior,
Nulla dolere poteſt mortua, viua dolet.

*Aliud auct. Gabriele Faerno Cremonenſi.*

DEſtituti flete ciues magnum *Vaſti* Principem,
Deplorate raptum vobis præſidem iuſtiſſimum,
Luctuoſâ triſte funus proſequentes næniâ.
Ille veſtræ ſemper auxit ciuitatis commoda;
Ille ius & æquitatem conſeruauit publicam,
Inque ſæuis ſæpe bellis ſoſpitem vrbem præſtitit.
Quare mœſti flete ciues, magnum *Vaſti* Principem,
Deplorate raptum vobis præſidem iuſtiſſimum,
Luctuoſâ triſte funus proſequentes næniâ.

*XXV.*

ALEXANDRI ACHILLINI.

*A Iano Vitale Bononiæ in S. Martini.*

HOſpes, *Achillinum* tumulo qui quæris in iſto,
Falleris: ille ſuo iunctus *Ariſtoteli*
*Elyſium* colit; & quas rerum hic diſcere cauſas
Vix potuit, plenis nunc videt ille oculis.
Tu modò per campos dum nobilis Vmbra beatos
Errat, dic longum perpetuúmque Vale.

Digitized by Google

## XXVI.

## ALEXANDRI FABRI ETMVS.

*Mantuæ in D. Franciſci, ait Chytræus, nam Suuertius ad Carmelitas locat.*

HOſpes, *Alexander* triplici clariſſimus ære
Hic cubat, his ſacer eſt *Manibus* iſte locus.
Siue ſonum malles, ſiue inſtrumenta ſonora;
Nec melior pſaltes, nec faber vllus erat.
*Regia* nemo pari tornabat vaſa decore,
Siue æs, ſeu gemmas, ſiue terebat ebur.
Maiori ſuperos nemo pietate colebat;
Qui legis ergo piæ dic pia verba animæ.

## XXVII. XXVIII.

## ALEX. FARNESII PARM. DVCIS

*Franciſco Bencio S. I. auctore.*

FArneſius *Alexander* hoc tumulo ſitus
*Parmæque* Dux *Placentiæque* tertius,
Sacróque Sanctæ Eccleſiæ vexillifer,
Pietate quo non melior, aut quiſquam fuit
Summâ Imperator arte bellandi prior.
Poſt liberatam *Celticam*, poſt *Belgicam*
Bello receptam, & redditam antiquis ſacris.
*Odoardus* & *Ranutius* mœſtiſſimi
Poſuere ſumma officia ſoluentes Patri.
Heu quale *Roma* amittis, & quantum decus!

*Aliud auctore Iulio Capilupo.*

QValis in æthereo collucet *Phœbus* Olympo,
Dum vehitur roſeis conſpiciendus equis.
Talis *Alexandri* ſplendent facta inclyta terris,
Dum Famæ incedit conſpiciendus equo.

Digitized by Google

*XXIX.*

ALEXANDRI COM. NOVELLARIÆ

*Neapoli ab Amicis.*

P*Ierides* tumulo violas, *Venus* alma Hyacinthos,
Balſama dant *Charites*, cinnama ſpargit *Amor*,
*Phœbus* odoratas laurus, *Mars* ipſe Amaranthos,
Nos lacrymas raræ munus amicitiæ.

*XXX.*

ALEXANDRI IVNII ANTVERP.

*Romæ in S. Mariâ de Anima.*

R*Oma* peregrino magnos mandarat honores,
Quos immaturo funere mors rapuit.
Diſce meo exemplo virtuti præmia numquam
Deeſſe, ſed & quouis tempore diſce mori.

*XXXI.*

ALEXANDRI VIRI PII.

*Ab Ignatio Albano.*

DEuictam terram, partas & ſanguine palmas
Iactat *Alexandri Græcia* magna Ducis.
Iactet *Alexander* melior ſine ſanguine cælum,
Summâque diuersâ parta trophæa manu.
Quàm melior virtus animi, virtute caduci
Corporis! iſta ſolum vincit, at illa polum.

*XXXII.*

ALOYSII CARDINALIS ARAGONII.

*Romæ in S. Mariâ ſuper Mineruam.*

ERgo cuncta licent, *Lacheſis*, tibi, nec datur vlli
Euitare tuas improba poſſe manus.
*Regibus* ille atauis *Aloyſius* editus, ille
Cui roſeus ſacro vertice fulſit apex.
Ille vni virtus omnis cui contigit, vnus,
Qui contra hæc potuit viuere ſecla, iacet.
Heu quot nos mortale genus ſperabimus annos,
Si vita eſt ipſis tantula numinibus.

XXXIII.

## ALOISII TALIANI.

*Auct. Io. Franc. Apoſtolio.*

COnduntur cineres aliis atque oſſa ſepulcris;
Hîc tegitur *Virtus*, hîc *Medicina* iacet.
Hoc iacet in tumulo *Paon Aloyſius* alter
Hîc decus, hîc patriæ ſpes, columénque iacet.
Viderit hæc ſiccis oculis qui marmora, lætus
Exitium patriæ viderit ille ſuæ.

XXXIV.

## ALOYSII TVRRII.

*Ab Hier. Amaltheo.*

QVi *Turrî* miſeranda paras dare membra ſepulcro,
Ne *Parium* lapidem, nec marmor quære *Laconum*:
Illum, illum obſerua, ſicco qui lumine tranſit,
Nam lapis eſt, vrnámque illo de marmore conde.

XXXV.

## AMARYLLIDIS FLVVIO MERSÆ.

*Ioannis Bapt. Amalthei.*

DEliciæ ruris, prono cùm fortè lacerto
Hauriret gelidas flaua *Amaryllis* aquas,
Illam *Naïades* rapidum traxere ſub amnem,
Plenáque virgineam prodidit vrna manum.
Nulla fuga inuidiæ eſt: liuor quoque numina tangit,
Et *Venerem* ſiluis eripuere ſuam.
Néue *Deas* blandâ poſſet lenire querelâ,
Clauſerunt celeres ora natantis aquæ.

XXXVI.

## AMBROSII.

*Antuerpiæ ad D. Claræ.*

AMbroſium ſi noſſe velis fortaſſe Viator,
Hunc abiiſſe quidem non obiiſſe putes.

Vixit enim vt præſens vitam quæ viuitur abſens
Viueret, & potuit viuere quod voluit.
Adſcitúſque polo ter ſancta ad gaudia viuit,
Nunc verè *Ambroſius* viuit in *ambroſiâ*.

## *XXXVII.*
## AMICORVM DVORVM.
*Romæ.*

COncordes animos, piáſque mentes,
Vt dicas licet vnicam fuiſſe,
Commiſti cineres ſequentur, & ſe
Credi corporis vnius iuuabit.

## *XXXVIII.*
## ANDREÆ ALEXII.
*Neapoli.*

QVæ miſer impoſui lugubria ſaxa ſepulcro
Mi Pater, innumeris accipe pro meritis.
Quod ſi marmoream licuiſſet ſumere formam,
Te natus tegeret non alio lapide.
Inciſæque notæ legerentur: Gratus Alexis
Reddidit oſſa patri, fitque patri tumulus.

*Nemini vmquam iniurius prodeſſe ſemper ſtuduit. Vixit annos* LXXV. *perpetuâ cum valetudine.*

## *XXXIX.*
## ANDREÆ DE CASTRO.
*Romæ.*

SIs forti atque animo potenti, eundum eſt:
Nec quâ ſcire licet viâ: venit mors
Clam per mille modos; en ipſe florens
Equi calce feri peremptus hîc ſum.
Quare viuito iam benè ac paratus.

Digitized by Google

XL.

## ANDREÆ MINVTII.

*A Ioanne Plazzone Serauallenſi.*

SI quæris cùm iam placido pede *Meſulus* ibam
Cur tumido rapidus ſic ferar amne diu?
Hæc mea quam ſpectas ſolito magis aucta frequenti,
E populi lacrymis vnda ſuperba venit.
En de morte pij ſunt hæc monumenta *Minuti*,
Si properas, aliud quære, Viator, iter.

*De eodem.*

QVid rapis ô mors ſæua? nihil niſi pectoris vmbram
Tu rapis, iſte tuas ſpernit *acerba* manus.
Morte iacet virtus præclari ſumma *Minuti*,
Ante homines ſemper viuet & ante Deos.

XLI. XLII.

## ANDREÆ NAVGERII.

*Baſilius Zanchius cecinit.*

NAugeri tibi *Nereides* ſtatuere ſepulcrum,
Æquoris *Adriaci* quà leuis vnda ſilet.
Quà ſolitæ in numerum, numeros dum pectine ducis,
Concinere, & virides ducere ſæpè choros.
Et *Doris* tumulo conchas & lucida vexit
Coralia, & placidis marmora lambit aquis.
Ipſe etiam circum affuſis pater *Adria* lymphis
Ingemit, & mœſtum littora murmur habent.
Parua loquor: te te amiſſo dolet *Itala* virtus,
Mæret & infractis *Faunus* arundinibus.

*Iis adde Phaleucios M. Ant. Flaminij.*

QVot Bruma creat albicans pruinas,
Quot Tellus *Zephyro* ſoluta flores,
Quot ſpicæ *Libycis* calent in agris,
Quot vindemia porrigit racemos,

Quot vaſtis mare fluctuat procellis,
Cùm naſcens pluuias reportat Hœdus,
Quot *Ceraunia* frondibus teguntur,
Quot cælum facibus micat ſerenum,
Quótque ſunt atomi *Lucretianæ*,
Tot menſes, bone *Naugeri*, tot annos
Viuent aureoli tui libelli.

## *XLIII.*

## ANDREÆ THEVETI.

*Paulus Thomas Engoliſm. ſcripſit.*

QVi iacet hic totum terræ luſtrauerat orbem,
 Errore longo metiens
*Europam*, *Libyen*, *Aſiam*, inuentúmque *Columbo*
 Tractum Occidentali plagâ.
Ne quid at ille ſuo ingenio, duróque labori
 Imperuium relinqueret,
Interiit, grauium membrorum vt mole leuatus
 Cælum videret cominus.

## *XLIV. XLV.*

## ANGELI POLITIANI.

*Petro Bembo auctore.*

DVceret, extincto cum mors *Laurente* triumphum,
 Lætáque pullatis inueheretur equis:
Reſpicit inſano ferientem pollice chordas
 Viſcera ſingultu concutiente Virum.
Mirata eſt, tenuitque iugum: furit ipſe, pióque
 *Laurentem* cunctos flagitat ore Deos,
Miſcebat precibus lacrymas, lacrymíſque dolorem,
 Verba miniſtrabat liberiora dolor.
Riſit, & antiquæ non immemor illa querelæ,
 *Orphei Tartarea* cùm patuere viæ,

Hic

Hic etiam infernas tentat reſcindere leges,
Fertque ſuas, dixit, in mea iura manus.
Protinus & flentem percuſſit dura Poëtam;
Rupit & in medio pectora docta ſono.
Heu ſic tu captus, ſic te mala fata tulerunt,
Arbiter *Auſoniæ Politiane* lyræ.

*Aliud.*

QVis *Lycias* ſortes, quis *Phthij* carmina Vatis,
Tranſmiſſos *Delo* quis neget huc Tripodas?
Quippe hîc aſſiduè Phœbus, Muſæque parentant,
Et caros lacrymis ſæpe lauant cineres.
Quin, ſi fata velint, tegerentur Numina ſub quâ
*Angelus* obdormit *Politianus* humo.

*XLVI. XLVII. XLVIII.*
ANNÆ DVCIS IOIEVSÆ.
*Auct. Nicolao Rapino.*

HIc *Ioieuſa* iacet, leto præreptus iniquo,
Dum pia pro Gallis ciuibus arma gerit.
Ceſſerat *Henricus* precibus famæque ſodalis,
Hoſtes ne premeret, conſereretque manus.
Vincere conſuetum locus & fortuna fefellit;
Tantus erat patriæ relligionis amor.
Sic auidè expoſitis propero certamine turmis,
Vltima virtutis præmia morte tulit.
Diſcite, pullatam quicumque videbitis aulam,
Fato, non voto Principis, arma geri.

*Eiuſdem alterum Auctore Paſſeratio.*

AStra quid inſimulas crudelis conſcia fati,
Dum gemis amiſſum *Gallia* mœſta Ducem?
Deſine vana queri, neque enim in certamine mirum,
Qui ſteterit toties hunc cecidiſſe ſemel.

*Alterum eodem Auctore, qui & octo alia ſcripſit quæ breuitatis ſtudio amiſimus.*

NEc *Mauſolæi* ſurgant mihi marmora buſti,
Neu mea *Niliacus* contegat oſſa labor.
Regis enim magni totâ ſum mente ſepultus:
Quid noſtro tumulo clarius orbis habet?

*XLIX.*

## ANNÆ ANGLVRÆI GIVRII.

*Ioanne Paſſeratio Auctore.*

G*Iurius* hic ſitus eſt, raptum florente iuuentâ,
Quem pila *Lethæis* plumbea merſit aquis.
Ille quidem *Pylio* fuerat digniſſimus æuo,
Inclytus, & nulli Marte ſecundus, Eques.
Sed fugit ante diem, neſcitque ſeneſcere virtus:
Mors contra ignauis non niſi ſera venit.

*L. LI.*

## ANNÆ MOMMORANTII COMESTABILIS

*Vnum ex multis quæ habentur in Templo PP. Cæleſtinorum Pariſienſium.*

ADſta Viator, non leue eſt pretium moræ.
Hoc grande paruo Cor duplex iacet loco,
Regis, Ducíſque: Regis *Henrici*, Ducis
*Momoranty Annæ*, per gradus qui ſingulos
Ad militaris ordinis faſtigium
Peruenit, & res maximas ſub maximis
Domi foríſque Regibus geſſit tribus,
*Franciſco*, & *Henrico*, vltimóque *Carolo*.
Sed præcipua quò ſingularis & fides,
Inter Ducémque, Regem & *Henricum* foret
Teſtata, corda iuſſit amborum ſimul
Rex ipſe poni. Pignus haud dubitabile
Quod iuncta eorum vita perpetuò fuit,
Hic iuncta quorum mors habet vitalia.

Digitized by Google

*Alterum Auctore Ioanne Aurato.*

OCto qui decies peregit annos,
Octo prælia qui cruenta geſſit,
Octo vulneribus fuit peremptus.
Septem dicitis eſſe vos, nec octo.
Septem vulnera fecit hoſtis extra,
Octauum ſibi fecit intus ipſe
Cæſum ſe patriâ dolens inultâ.

## LII.

## *ANONYMÆ MATRIS.*

*Neapoli.*

ÆTas, forma, genus, nos hic cum corpore liquit
In terris, & opes, corporis exuuias.
Aſt animam, comites quæ ſemper in orbe fuêre
Lucida virtutum duxit ad aſtra chorus.
Tres nati coniux ex me tibi care ſuperſunt:
Immatura duos mors tulit: ipſa ſequor.

## LIII.

## *ANONYMI.*

ASpicis humanæ breuis vt ſit linea vitæ,
Vt dubias verſet mors inopina vices.
Fata manent quemuis humili ſeu ſtirpe parentum,
Siue ſit à magnis nobilis ortus auis.
Grandia nec proſunt, vel pondera diuitis auri,
Lecta vel in rubro gemmea gaza mari.
Omne relinquendum eſt cùm venerit horula mortis,
Suaue priùs quidquid vel tibi dulce fuit.
Talia peccati labes ab origine primâ,
Noxius hæc meruit præmia lapſus Adæ.
At bene qui vixit moritur bene, dignus Olympo,
Sanguinis & quamquam corpus inane, iacet;
Vis tamen haud Animæ cum corporis interit vmbrâ;
Vita ſed huic Chriſtus, mors erit ipſa lucrum.



Digitized by Google

Viue memor Lethi, quiſquis celeſtia curas,
Sic Lethi victor gaudia læta feres.

LIV.

*ANONYMI.*

*Franc. Bencio S. I. Auctore.*

INter mortales vixi moriturus, at inter
Cæleſtes æuo iam meliore fruor.
Cuncta iſtic celeri labi pede concita vidi,
Hic fixo intueor firma manere gradu.

LV.

*ANONYMI PASCHASIO AVCT.*

O Quam ridiculum eſt qui ſim, fuerimue, rogare,
Cum qui ſis tibi ſit diſcere cura leuis.
Ne quæras qui ſim: ni ceſſes, dico nihil ſum:
At tu ſollicitus diſce vel inde, quid es?

LVI.

*ANONYMI.*

DIc homo, cùm moreris, moriens mortalia linquo.
Non morior, mors hæc eſt noua vita mihi.
Mors vita à *Christo* eſt rediuiuo, quo duce viuo,
Mors lucrum eſt, *Christus* Vita ſalúſque mihi.

LVII.

*ANONYMI.*

CVi *Virtus*, cui *Muſa* dedit, cui *Sidera* nomen
Et *Medicina* ſimul, non cubat hoc tumulo.
Expetiit cælum, manet & comes ipſe *Deorum*,
Tanta etenim Virtus non tulit interitum.

LVIII.

*ANONYMI IVVENIS ERVDITI.*

QVid morum probitas, primóque in flore iuuentæ
Quid facile ingenium ſcriptáque multa iuuát?
Hunc etiam ante diem feralis *Parca* petiuit,
Ac immaturis extulit exuuiis.

Digitized by Google

Mors æquo pede cuncta premit, mens ſola perennat,
Atque habet in terris poſthuma fama locum.

LIX.

ANONYMI,

*Saliſburgi in D. Ruperti.*

POſt tot perpeſſos currente ætate labores,
Ingreſſus portum, merſus & hîc iaceo.
Ergo fallaces ſpes, & fortuna valete:
Nil mihi vobiſcum; ludite nunc alios.

LX.

M. ANTONII ANTIMACHI,

*Auctore Lilio Gyraldo.*

ADſta Viator paululum,
Breuis moræ pretium feres,
Hac *Marcus* eſt *Antonius*
*Antimachus* vrnâ conditus,
Qui patriæ ac teſtudinis
Conſors *Maronis* extitit,
Et *Tulliana* lecythi.
Nunc *Graia* par facundia
Seu carmen ille pangeret,
Seu pede ſoluta ſcriberet.
Sed ne putes hunc tantulâ
Vrnâ tegi, cuius volat
Virûm per ora gloria,
Quacumque florent litteræ
Bonæ, vigétque humanitas.
I nunc Viator, collige,
Virtute nil præſtantius.

LXI.

ANTONII BRICONETI PRÆS.

*Auct. Ambœſio ſupp. Libell. Magiſtro.*

CLaris dignus auis, domo ſub amplâ,
Et dignus patre, fratribus, propinquis,



Digitized by Google

*Briconetius* hàc quieſcit æde;
*Portali* dominus, pius, probúſque
Portis aſtriferæ receptus aulæ,
Aulæ qui modò præfuit libellis,
Et quem calculus omnium probauit
Illum calculus ad polos reuexit.

### *LXII.*

## M. ANTONII CASANOVÆ.

*Romæ in Laurentiano Templo.*

COmenſis *Caſanoua*, dum priores
Et Duces canit, & canit Poëtas,
Præcurtis Epigrammatis, perennem,
Ac longam ſibi gloriam parauit.
*Obijt* M. D. XXVII. *Blaſius Palladius ſodalis P.*

### *LXIII.*

## ANTONII DE LEONE.

*In Cœnobio S. Germani de Pratis.*

COnditur hoc tumulo fatali ſorte peremptus
  Clara cui ſemper fama ſuperſtes erit.
Viua etenim virtus viuum dedit eſſe *Leonis*
  Nomen: ſic viuo nomine viue Deo.

### *LXIV.*

## ANTONII DELRIO SOC. IESV.

*Louanij in Templo S. I. referente Suuertio.*

SVbſiſte: tangis terminum: hìc Mors imperat.
Hoc *Delrionis* indicat tumulus tibi.
Marmor videre poſtulas? cælos vide.
Hoc marmor illi eſt: orbis eſt buſtum: libri
Fauilla: fama publica eſt inſcriptio;

Digitized by Google

Lege hoſpes; & quod exprimas, tibi ſelige,
Breui eſt eundum: nam hoſpes es. Quæras viam.

*Obijt anno* M. DC. VIII. *Octobris die* XIX: *annum agens ætatis quinquageſimum ſeptimum.*

## *LXV.*

## ANTONII DVCIS MONTISALTI.

*Neapoli.*

DOrmis, an vigilas, *Antoni*? ſector vtrumque:
Oſſa quidem primum, virtus & fama ſecundum.
Sanguine quo cretus? genitor quis? quidue moraris?
Stirpis *Aragoniæ*, *Fernandus*, iudicis horam.

## *LXVI.*

## ANTONII NEBRISSENSIS.

*A Petro Myrteo.*

ME putat æternùm ſaxo poſuiſſe ſub imo,
Acerba mors & fallitur.
Non ingrata etenim mea gens volitare per ora
Dat & per oras omnium.
Hæc mihi pro reduci ſtudio *Latiiſque Camænis*
Certè trophæum non minus,
Quam tibi pro *Mauris* debet, *Fernande*, fugatis,
Et pro receptà Bæticâ.

*Aliud à Iano Vitale.*

HAs tibi dat violas immortaléſque amaranthos,
Ingeniorum altrix, & *Martis* alumna *Panormus*,
Non quia torpenti *Muſas* excire veterno,
Aut Regum immenſas potuiſti aſſumere curas;
Verum quòd *Craſſos* inter, ditéſque *Lucullos*,
Integer, *Antoni*, voluiſti viuere *Codrus*.



Digitized by Google

LXVII. LXVIII.

ANTONII PANORMITÆ.

*Quod ipſe moriens ſibi ſcripſit.*

QVærite *Pierides* alium, qui ploret amores,
Quærite qui Regum fortia facta canat.
Me Pater ille ingens hominum ſator atque redemptor
Euocat, & ſedes donat adire pias.

LXIX.

ANTONII PVCCII CARD.

*A Fauſto Sabæo Brixiano.*

HIc *Pucci* oſſa iacent *Antoni* condita: circùm
*Tibris* & *Aonides* flent, *Chariteſque* ſimul,
Virtutem, ingenium excellens, moreſque benignos
Diſcito ab inſuetis luctibus ac lacrymis.

LXX.

ARDOLAPHI PINI DVCIS.

*Auct. Hier. Baldo.*

QVòd ſua cuique dies maneat, quod fama ſuperſit,
*Ardolaphi* monſtrat fama decuſque Ducis.
Quem non mille manus poterant, nec mille phalanges,
Abſtulit hunc cunctis mors adeunda viris.
Caſſide *Mars* poſitâ, poſitâ luge Ægide *Pallas*.
Quis credat? *Pinum* tam breuis vrna tegit.

AVGVSTINI NIPHI PHIL.

*Scripſit M. Antonius Flaminius.*

QVi docuit *Niphus* rerum cognoſcere cauſas,
Non rerum oblitus hoc iacet in tumulo.
Sed cælo meliore ſui cum parte receptus,
Nunc gaudet meliùs diſcere quàm didicit.

Digitized by Google

## LXXI.

## ARISTOTELIS.

*Iulio Cæſare Scaligero auctore.*

NE perge, ne, Viator, hîc ſiſtas gradum.
Vltráne promouere poſſe te putas?
Hic meta mundi. Hæc finis orbis vltima,
*Ariſtoteles*, haud totus, haud ſemis, neque
Tantilla tanti portio miraculi.
Magníne dicam interpretem clarum poli?
An æmulum? alteráſque naturæ vices?
An ſuper & hæc, & omnia alibi poſſumus
Quæ dicere, & quæ dicere hîc non poſſumus!
Apprende mente: ſi tamen mentem Dei
Qui comparem par prendit, hunc ſolers capis.
Vnus ſuper omnes, ſingulis qui omnes fuit.
Penes *Deos* homo, penes homines *Deus*.

## LXXII.

## ARMANDI RICHELII CARD.

*Incerto auctore.*

QVis ſit *Richelius* ſi percontaris, & ipſum
Exiguo hoc claudi marmore poſſe putas.
Ruſticus es, toti cum ſit notiſſimus orbi,
Tota ipſi tumulus terra nec eſſe queat.

## LXXIII.

## AVGVSTINI THVANI PRÆSIDIS.

*Auct. Papyrio Maſſono.*

MEnſe quidem *Augusto* te vitâ excedere feſſum
Fata iubent, tumuloque legi, *Augustine*, tuorũ,
Diui *Auguſtini* ſacratâ luce ſepultum.

## LXXIV.

## AVRELII AVGVRELLII.

*Taruiſij.*

AVrelij Augurelli imago eſt quam vides,
Vni vacantis literarum ſerio

Studio & iocoſo, diſpari curâ tamen:
Hoc, vt vegetior ſic fieret ad ſeria:
Illo, vt iocoſis vteretur firmior.

LXXIV.

*AVRELII INFANTVLI.*

*Auct. Io. Pontano.*

HAs tibi pro mammis lacrymas, próque vbere fletum
Nate cape: has lacrymas vbera noſtra puta.
Quique tibi ad cunas cantus, quæ nœnia quondam,
Hi tibi nunc quæſtus, hic tibi ſit gemitus.
Has bibe nunc lacrymas, hæc hæc nunc vbera ſume:
Nœniolæ, & luſus noſtra querela tibi eſt.
Quóſque dedi flores, & quas de flore corollas,
Hi tibi ſint crines, hæc tibi fuſa coma.
Aureli tibi ſit tellus leuis, ac breuis vrna,
Afflet & vſque crocos, ſpiret & vſque roſas.

LXXVI

*BALTHASARIS BARDELLI.*

*A Cynthio Gyraldo.*

BAlthaſar hîc iaceo, primo quem flore iuuentæ
Decerpſit rapidâ mors inimica manu.
Si ſpectes annos, iuuenem me fata tulerunt,
Si ingenium, dices me perijſſe ſenem.

LXXVII.

*BALTHASARIS MENCII.*

*Quod lethaliter decumbens ſibi ipſe fecit.*

PArcat liuor iners tenebris & morte ſepulto,
Cuius nunquam vlli vita moleſta fuit.
Stemmate *Menciades*, patriâ ſum *Saxo*, *Camœnis*
Ars mea, & æterno ſeruijt vſque *Deo*.
Scis iam qui fuerim: quis tu ſcis, neſcio, lector,
In tenebris: ipſum te rogo noſſe velis.

Digitized by Google

## LXXVIII.

## *BAPTISTÆ GVARINI EQVITIS.*

*Auct. Hier. Aleandro iuniore.*

*Imitatio Phaſeli Catulli.*

G*Varinus* ille, quem videtis *Cælites*,
Fuiſſe fertur omnium Vatum optimus,
Neque vllius canentis muſicos modos
Nequiſſe præterire, ſiue fiſtula
Opus foret ſonare, ſiue pectine.
Et hoc negatur impotentis *Adria*
Negare littus, aut fluenta *Tibridis*,
*Arnúmue* nobilem, omniúmue principem
*Padum* citato flexuoſum gurgite,
Vbi maritans vocibus ſonos lyræ
*Guarinus* alto traxit arbores iugo,
Fluentibuſque præbuit moras aquis,
Semper ſecundo afflante *Phœbi* numine.
Aduſte *Eoë*, & vltima arua *Iberia*,
Vobis fuiſſe & eſſe cognitiſſima
Hæc, fama cantat: carminum dulcedinem
Leniſſe veſtra montium cacumina,
Veſtri fugaſſe dicit iras æquoris.
Et inde tot per orbis abditas plagas
Cantum volaſſe, ciuicos ſeu ruſticos
Ludos ſonaret, ſiue vtroſque necteret.
Hinc vota, vatum ceu potenti numini,
Fuiſſe paſſim nuncupata prædicant
Nouiſſimum hunc aduſque fatalem diem.
Sed hinc fore ampliora. Nunc polo micat,
Et culta vobis dedicat volumina,
Comate *Apollo*, & adminiſtræ *Apollinis*.

## LXXIX.

### *BARNABÆ BRISSONII*

*Senatus Pariſienſis Præſidis doctiſſimi.*

*auctore Iano Paſſeratio.*

LVmen *Pariſij* vnicum *Senatus*
Extinctum ſcelere hîc iacet latronum.
Damnatæ tenebris valete leges.

*Idem in crucem, vnde cum duobus Conſiliarijs pependit.*

Iudicibus fixa eſt Crux, fixa latronibus olim:
Fixáque virtuti, quæ ſceleri ante fuit.

## LXXX.

### *BARTOLI I C.*

*Petro Myrteo auctore.*

HIc eſt *Bartolus*, ille iuris ingens
Lux, & commodus explicator, hic eſt;
Quem mors ante diem abſtulit maligna.
Heu mors inuida & æuo iniqua noſtro,
Quæ leges iterum iacere cogis.

## LXXXI.

### *BASILII ZANCHII.*

*A Guillelmo Modicio Monteferratenſi.*

Z*Anchius* hoc ſaxo tegitur, qui laude *Maronem*
Æquauit: nuſquam voce vel arte minor.
Hoc etiam maior; quanto ſit dicere *Diuos*,
Maius opus, *Phrygios* quàm cecinisſe viros.

## LXXXII. LXXXIII.

### *BASSANI POETÆ.*

*A Pamphilo Saxo.*

M*Antua* Pyramidem *Pario* quid marmore condis?
*Baſſanum* capiat maximus vt tumulus.
Pyramidem perdis, perdis quoque marmora: totus
*Baſſani* tumulo vix ſatis orbis erit.

Digitized by Google

*Aliud.*

LEgitimum tumulo *Baſſani* ſcribere carmen
Qui cupis; hoc tantum ſcribe: Poëta iacet.

*Aliud.*

INclyta lætata eſt gemini bis *Mantua* vatis,
Carmine *Baſſani*, Carmine *Virgilij*.
Inclyta triſtata eſt gemini bis *Mantua* vatis
Funere *Baſſani*, funere *Virgilij*.

*LXXXIV.*

BELISARII DVCIS.

*Auct. P. Bidermano Ep. 5. lib. 2. Heroum.*

EMeritus victi domitor *Beliſarius* orbis,
Hoc totum à Magno *Cæſare* marmor habet.
Cætera quiſquis habet, dum ſeſe credit habere,
Cogitet, exemplo perdere poſſe meo.

*LXXXV.*

*BERENGARII ARCHID. TVRON.*

*Ab Hildeberto Archiep. Turonenſi.*

QVem modò miratus, ſemper mirabitur orbis,
Ille *Berengarius* non obiturus obit.
Quidquid Philoſophi, quidquid cecinere Poëtæ,
Ingenio ceſſit, eloquióque ſuo.
Cui veſtis textura rudis, cui non fuit vnquam
Ante ſitim potus, nec cibus ante famem.
Quem natura parens mundi cùm contulit, inquit,
Degenerant alij, naſcitur ille mihi.

*LXXXVI.*

BERNARDINI ROSCII.

*Franciſco Bencio S. I. auctore.*

HIc ille *Bernardinus* extinctus iacet
Cognomine & re *Roſcius*, quandò fuit
Vtraque linguâ & carminis cultu potens
Pollénſque præter cæteros. Fuit, fuit,
Eheu, fuit, non eſt. Niſi eſſe dixeris

Quem mortuum viua omnis ætas efferet.
Requiem precare Lector, & felix abi.

*LXXXVII.*

BERTRANDI RVBEI NOBILIS.

*Parmæ in Templo B. Virginis.*

FLore æui in primo, primo in certamine *Martis*,
*Bertrandus* rapido ſaucius igne cadit.
Scilicet eſt longæ contraria gloria vitæ,
Nec niſi difficili quæritur illa viâ.

*LXXXVIII. LXXXIX.*

BORSII PRINCIPIS.

*Auctore Tito Veſpaſiano Strozâ.*

AVrea fulſerunt te Principe ſæcula Borſi;
Teſtantur patriæ te pia facta patrem.
Virtuti imperium ſi par tibi fata dediſſent,
Tot meritis vnus vix ſatis orbis erat.

*Ferrariæ ad S. Dominici.*

CÆſar, *Alexander*, tumulo *Traianus*, in iſto
Clauduntur, nec tres clauſos tenet Vrna, ſed vnum:
Scilicet *Eſtenſem* ſublatum in ſidera *Borſum*,
Cuius erant mores tantorum in pectore *Regum*.

*XC.*

CÆLII CALCAGNINI.

*A Lilio Gyraldo.*

ADſta Viator, non moræ eſt diſpendium.
Mortalitatis hoc memor nuperrimè
Sibi ſepulcrum *Cælius* conſtruxerat.
Quo doctiorem neminem ſol lampade,
Quacumque ſpargit lumen orbi, viderat.
Eheu! repentè raptus hîc eſt conditus,
Cui ſunt parem viſura nulla ſæcula.
Hic gloriæ dum vixit, inuidit ſuæ,

Digitized by Google

Celans opes tantas auarus ingeni,
Tot ſplendida eruditionis lumina
Quæ maximo *Alcidâ* iubente Principe,
Vulgata, denſas differunt caligines,
Quæ paſſim oberrant ſenſibus legentium.
Iam abi, Viator, & memento ſedulò,
Præclara tantùm facta fata vincere.

*XCI.*

CALLIROES QVÆ VIVA SEPVLTA EST.

*Auct. Hercule Strozâ.*

BIs vixit ſemel orta, bis hoc compoſta ſepulcro
eſt,
Poſt ſua *Calliroë* funera facta parens.
Fœta erat, exanimis tumulatur: at excita partu
Poſcit opem, eruitur: mox parit, atque perit.

*XCII.*

CALLISTI IVVENIS.

*Auctore Scæuolâ Sammarthano.*

TE *Muſis* natum à tenerâ, *Calliſte*, iuuentâ
Ducebant auidum per loca ſacra *Dea*.
Iam virides *Hæmi* ſaltus, iam tota patebat
Quæ fluit è bifido leniter vnda iugo.
Sed *Muſis Parca* eripuit, *Stygiáque* palude
Mutare *Aonios* iuſſit iniqua lacus.
Flent mœſtæ ad tumulum, & lugubria carmina can-
tant,
Nec tua tam *Aonides*, quàm ſua damna gemunt.

*XCIII.*

CAMILLI TREVISANI.

*Auct. Petro Bizarro.*

THreicius Vates cantu placauerat olim
Inferni Regem, vt redderet *Eurydicem*.
Dulcibus alloquijs poteras quoque flectere *Parcas*,
Ni febri arſiſſet lingua, *Camille*, tibi.

Conſultò id factum, ne quid loquerere: ſed ecce
Nunc omnis de te ſermo per ora virûm.

XCIV. XCV. XCVI.

CAROLI V. IMPERATORIS.

*In ſancto Laurentio Scorallenſi.*

LIquiſti exuuias gelido ſub marmore, ſed non
Quantus eras *Cæſar*, marmor & vrna capit.
Pro tumulo ponas orbem, pro tegmine Cælum,
Pro facibus ſtellas, pro imperio Empyreon.
Non aurum, non hoc marmor, non gemma, ſed omnis,
*Carole*, terra tibi corporis vrna decens.
Conteget immenſum quantum patet vndique Cælum:
Sol tibi, funerea pro face lumen, erit:
Próque tua memori famâ, pro nomine ſtabit
Æternum tempus, quod tua facta notet.
Natura effundet lacrymas, elementa gemiſcent,
Perficient tumulum vix ſatis iſta tuum.

*Alterum ab Hippolyto Capilupo Mant.*

EVropa domuit tollentes cornua *Reges*
*Carolus*, atque *Aſiæ* terror, & horror erat.
Et pedibus *Lybiam* calcauit victor, & illi
Innumeras victus præbuit *Indus* opes.
Deinde ſibi frænum iniecit, Patríque regendum
Imperium, & nato cætera regna dedit.
A que, ait, à nobis & honores temnere, & vnum hoc
Diſcite, Mortales, *Puluis & vmbra ſumus.*

*Aliud.*

CArolus hic ſitus eſt; magnos qui ſæpe coëgit
*Europæ* Reges ſubdere colla iugo.
Qui *Libyam* domuit, *Thracáſque* fugauit, & armis
Adiunxit regnis *Indica* regna ſuis,

Qui

Qui mox ſe inuictum vicit; ſe fortior ipſo,
Cùm ſolium ſpreuit, quidquid & orbis habet.
Pulcrius imperij ſe ſe ſpoliaſſe coronâ,
Quàm *Reges* forti tot domuiſſe manu.

XCVII.

*CAROLI DVCIS BORBONII,*
*Qui in obſidione Romana perijt anno 1527.*

VIctorem victúmque eadem complectitur vrna,
Et tamen hæc vnum non niſi corpus habet.
Hoccine miraris? mirari deſine, vicit,
Qui iacet hîc, alios; ipſe ſibi perijt.

XCVIII.

*CAROLI COSSÆI BRIXIACI COMITIS.*
*A Georgio Buchanano.*

CArolus hîc ſitus eſt modicâ *Coſſæus* in vrnâ,
Pyramidum dignus cui tegat oſſa labor.
Patria *Brixiacum*, genus alto à ſanguine *Coſſi*,
Nec proauûm inferior nobilitate torus.
Ingenium felix, facies gratiſſima, vicit
Nemo manu iuuenem conſilióque ſenem.
Quæcumque armiferis inimica eſt natio *Francis*,
Auxit eum titulis *Marte* coacta nouis.
Cum *Batauo Germanus, Iber, Ligur, Inſuber, Anglus*,
Laudauere fidem, ceu tremuêre manum.
Quod mortale fuit, rapuit mors: fama vireſcet,
Dum domus *Hectoridûm* Regia ſceptra geret.

XCIX.

*CARORI POETÆ ET PHILOS.*
*Florentiæ ad S. Crucis.*

SIſte, vides magnum quæ ſeruant marmora vatem,
Ingenio cuius non ſatis orbis erat.
Quæ natura, polus, quæ mos ferat, omnia nouit;
*Carolus* ætatis gloria magna ſuæ.



Digitized by Google

*Auſonia*, & *Graia* crines nunc ſoluite *Muſæ*,
Occidit heu! veſtri fama decúſque chori.

C.

CAROLI RVPIFVCALDII
*Comitis Randanij, qui in obſidione Rotomagenſi interfectus eſt.*

*Auctore N. Moreleto.*

R*Andanum* perijſſe putas pietate colenda
Spectatum, pro quâ fortiter occubuit?
Falleris: æternùm viuit. Seu Sydera ſpectes,
Seu terras; nuſquam gloria vera perit.
*Gallia*, ſi grata eſt, illi immortale trophæum
Ponet, & excelſâ RVPE ſuper ſtatuet.
Extremâque baſi (relegant quod poſtera ſecla)
Hoc, ſolido inciſum marmore carmen erit.
Maxima *Randani* geſtarum gloria rerum
Percurret viuax ſolis vtramque domum.
Qui vitam æternâ pro religione profundunt,
Illos æternùm gloria læta manet.

CI.

CASSANI MEDICI.
*Patauij.*

HIc dedit antiquæ quod erat mortale Parenti
*Caſſanus* medicæ maximus artis honos.
Is *Pedemontana* tantum decus attulit oræ,
Quantum olim *Cois* ciuibus *Hippocrates*.
Ecce ſeneſcenti inferior ſed magnus *Apollo*
Dum timet, heu! cælo maluit eſſe parem.
Conditur hic corpus, terreno carcere liber
Spiritus aſtra colit, fama per ora volat.
Ob. die Oct. XX. anno MDXLI.

Digitized by Google

## CII.

### S. CATHARINÆ:

*Auct. Ignatio Albano Meratenſi.*

INclyta tergeminum vicit *Catharina* Tyrannum,
Hinc *Mars*, hinc *Pallas* ſæuijt, inde *Venus*.
*Mars* ferro ruit armato: ſermone *Minerua*
Arguto: illebris quæ Dea nata freto eſt.
Carnifices *Manors*, ſapientes *Pallas* alumnos,
Aſt *Venus* impurum traxit in arma Ducem.
Dux, *Venus*, Illecebræ: Docti, Enthymemata, *Pallas*;
*Mars* Ferrum; atque Homines nil valuêre truces.
Nam ferrum virtute, Sophos ſermone diſerto,
Et blandos vicit virginitate dolos.
Sic triplici triplicem referens ex hoſte triumphum,
In cælo *Martyr*, *Virgo*, *Magiſtra* micat.

## CIII.

### CATHARINÆ VXORIS HENRICI VIII. *Angliæ & Hiberniæ Regis.*

ILla ego, quæ *Regi* potueram placuiſſe marito,
Et formâ, & caſtis moribus, & genere.
Poſtquam me thalamis excluſit adultera pactis,
Emorior, ſolo funere grata viro.

## CIV.

### CATHARINÆ IN PVERPERIO DEFVNCTÆ. *Neapoli in S. Gregorio maiore.*

INdulgens natura fuit, ſors cruda puellæ,
Quæ iacet hîc primo rapta puerperio.
Et decor, & lepidi mores, & dulcia linguæ
Flumina, & ætatis flos, pietatis amor,
Decretum duri nequierunt vincere fati,
Ante diem bona tot ſuſtulit vna dies.
Talis ad *Elyſios* abijt *Catharina* receſſus

*Lucifer* vt viſus nube adopertus abit.
Perpetuas liquit lacrymas vtrique parenti,
Perpetuò extinctam ſexus vterque dolet.

CV.

## CAVDOLÆ.

*Auctore Actio Sincero Sannazario.*

HEu! quæ te rigidi rapuit vis effera fati,
Quis matri miſeræ tot peperit lacrymas,
Flos veterum Caudola virûm? tibi mœſta ſepulcrum
Illa dedit, triſtes Actius hos titulos:
Hos titulos, qui te nigras deſcendere ad vmbras,
Obduci ſtygiâ non patiantur aquâ.
Tempora miretur quiuis ſua: talis Achilles,
Talis cum caderet Martius Hector erat.
I precor, i, nullos non durature per annos
Neſtoreos qui iam viuere dignus eras.

CVI.

## CHRISTI DOMINI CRVCI AFFIXI.

*Non ſcripſit Matthæus Toſcanus in Epigrammatis, vt vulgò perhibent, ſed Thomæ Porcatio tribuit.*

PRo ſeruis moritur *Dominus*, pro ſontibus *Inſons*,
Pro ægroto *Medicus*, pro grege *Paſtor* obit:
Pro Populo *Rex* mactatur, pro milite *Ductor*,
Próque opere ipſe *Opifex*, próq; homine ipſe *Deus*.
Quid *Seruus*, quid *Sons*, *Ægrotus*, *Grex*, *Populúſque*,
Quid *Miles*, quid *Opus*, quídue *Homo* ſoluet? *Amet*.

CVII. CVIII.

## CHRISTOPHORI COLVMBI GENVENSIS. *Incerto Auctore.*

PArua licet cineres *Liguris* tegat vrna *Columbi*,
Acta tamen cælo vix potuere tegi.
Huius facta ſonant quà ſol oritúrque, cadítque,
Quáque micant alto lucida ſigna polo.

Primus enim ignotum celeri trabe vectus ad orbem eſt,
Primus & ignoto ſidere rexit iter.

*Ab Hippolyto Capilupo.*

O *Ligur Italiæ* decus, & lux certa *Columbe*,
Heu breuis extinctum te quoque teſta capit!
Te modò non potuit terras qui amplectitur omnes
Oceanus magno contimuiſſe ſinu.
Illius es fines vltrà rate vectus ad *Indos*,
Quò prius haud pennis *Fama* tetendit iter.

## CIX.

## CHRISTOPHORI LONGOLII.

*Nicolao Borbonio ſeniori tribuitur.*

NVper apud *Manes* crudeli funere raptum
*Longolium Cicero* vidit, & obſtupuit,
Quis nouus hic error? noſtri altera venit imago?
Vtra, ait, Vmbra mea eſt? aut vter eſt *Cicero*?

## CX. CXI.

## CHRISTOPHORI PLANTINI.

*Iano Donsâ F. auctore.*

DOctorum ſi iacturam, *Plantine*, virorum
Reſpicimus: fateor vixeris ipſe parum.
Si meritum, ſtudiúmque, exantlatóſque labores
Pro *Muſis* toties, vixeris ipſe ſatis.
Siue tot ærumnæ, ac cæcæ ludibria Diuæ
Occurrunt, nimiùm vixeris ipſe diu.
At ſi ſpectamus Famæ monumenta perennis,
Hæc vitam ſpondent iam tibi perpetuam.

*Placet alterum adſcribere ex Mich. Aitſingero,*

MArmoribus parcant nati: properánſque Viator
Ne petat, oſſa quibus delituere locis.
Plura tribus linguis mihi ſtant monimenta per orbē:
Nulla caret tumulo *Bibliotheca* meo.



Digitized by Google

Hæc mihi certa manent, quæ poſtera fama loquetur;
Sic viuat, memores quiſquis amat titulos.

## CXII. CXIII.
### CHRISTOPHORI THVANI PRÆS.
*Ab Henrico Stephano.*

VT vixi, rogitas? Felicius inter honores
Viuere non potui, non potuiue mori.

*Aliud.*

LOngam inter magnos vitam hic traduxit honores,
Dum caput eſt ſummi, quæ gloria ſumma, Senatus.
Ac tandem ambiguum vitâ fugiente reliquit,
An mage honoratus ſummum ſit propter honorem,
An mage honorarit ſummum, dum ſedit, honorem.

*A Iano Guillemio in fine Elegiæ ad Iac. Aug.*

ÆMerius titulum magno & monimenta *Thuano*,
Orba tuo mecum *Gallia* Patre dole.

*A Petro Lamonio F. in fine Epicedij.*

HIc præſes patriæque pater iacet, ille *Thuanus*
Nomine qui terras, animo magnum implet *Olympum*.

*A Roberto Stephano.*

G*Allia* ne doleas: *Harlæus* quippe *Thuano*
Succeſſit, ſocero par probitate gener.

*Aliud auctore Ioanne Aurato.*

QVæris in hoc tumulo cuius ſint oſſa? *Thuani*
Qui *Gallo* dictus nomine *Totus* erat.
Dum vixit, ſancti vixit lux *Tota* Senatus:
Quo viuo vixit, quo pereunte perit.

Digitized by Google

## CXIV.

## CLAVDIÆ GAGLIANÆ.

*Neapoli in S. Auguſtino.*

QVot lacrymas moriens liquiſti, *Claudia*, matri,
Tot tibi dent ſuperi gaudia perpetuò.
Ter conata ſequi, ter ſpiritus hæſerat ori,
Quod volui, haud potui, te moriente mori.
Solamen ſi quid miſeræ eſt inſomnia præſtant,
Quum triſtem in ſomnis ludit imago animam.

## CXV.

## CLAVDII AQVAVIVÆ S. I. GENERALIS.

*Scripſit Tarquinius Gallutius.*

PAr erat æternæ te ducere tempora vitæ,
Nomen & æternum *Viua* quod indit *Aqua*.
Humanâ probitas maior, diuinâque Virtus,
Menti cana fides, hæc tibi Vita fuit.
Vox cæleſtis erat, ſpecies digniſſima vultus,
Et qui Cælicolis dicitur eſſe color.
Occidis, & tecum vis occidit illa bonorum,
Quæ te mortalem non ſinit eſſe virum.
Iam nullos poſthac fluuios rear eſſe perennes,
Cum tu etiam poſſis, ô *Aquauiua*, mori.

## CXVI. CXVII.

## CLAVDII ALBASPINÆI PATRIS.

*Ioannes Paſſeratius ſcripſit.*

LEgiſti nomen, ſi quæris plura, Viator;
Poſt magna in varijs exhauſta negotia terris,
Quatuor è ſummis vnus, qui *Regia* iuſſa
Excipiunt, *Scriba*, colui totidem ordine Reges;
*Franciſcum*, & natum *Erricum*, geminóſque nepotes.
Conſilij nemo tantum callebat herilis:
Conſilio cuſtos nemo tam fidus herili,
Arcanum nulli patuit, mea ianua cunctis.

Nunquam mandatis, quoties properanda fuerunt,
Attulit vlla moram requies: natúſque generque
Nunc munus funguntur idem: fungantur eodem
Cum ſtudio atque fide, veſtigia noſtra ſecuti.
Alter natorum meritis exæquet honores.
Iſta quidem *Elyſias* deſcendens fama ſub vmbras
Mox vetura mihi eſt: Dolor hic tamen incubat vrnæ,
Imperium *Domini*, ac *Dominum* quòd morte reliqui
Difficili implicitum bello: ſum cætera felix.
Et vixi patriæ, & meliùs poſt funera viuo.
Maior ab exequijs redit ad ſua præmia Virtus.

*Idem Filium hoc carmine celebrauit.*

CLauditur hoc tumulo *Spinâ* cui nomen ab *Albâ*,
Succeſſor patriæ fidei, ſucceſſor honoris,
Regis deliciæ, procerúmque & plebis Amores:
Diues opum bene partarum, ſed ditior vſu;
Munificus, faciliſque aditu, ſtudijſque politus
Ingenuis, Rectique tenax, & ſimplice linguâ.
Egregium decus oris erat, maturiùs annis
Conſilium, & cani iuuenili in corpore mores.
Denique florebat ſummæ ſpes proxima laudi,
Cum breuis humanis ſemper virtutibus ætas
Ter nonos iuuenem vetuit numerare Decembres.
Tot bona quàm paruo rapuerunt tempore fata?

## CXVIII.

*CLAVDII PVTEANI SENATORIS PARIS.*

*Auctore Nicolao Rapino.*

ELoquium, Probitas, Legum prudentia, Virtus
Hocce iacent tumulo, quo, *Puteane*, iaces.
Pro multis magniſque viris hæc nænia dicta eſt;
Iuſtiùs at nulli quàm, *Puteane*, tibi.

*Reſpexiſſe videtur ad Epitaphium, quod in eam fermè ſententiam ſcripſit Ioannes Paſſeratius, habeturque pagina 238.*

Digitized by Google

## CXIX.

## COMITIS CVIVSDAM ANONYMI.

NVgæ, deliciæ, ioci, lepôres,
Riſus, & Veneres, facetiæque,
Seu quidquid variâ dicacitate
Rugoſam ſolet explicare frontem,
Ac triſtes animo fugare curas,
Necnon fallere tempus otioſum,
Hoc ſunt condita quo *Comes* ſepulcro.

## CXX.

## CONRADI GESNERI MEDICI.

*Tiguri in Heluetiâ.*

INgenio viuens naturam vicerat omnem,
Naturâ victus conditur hoc tumulo.
*Plinius* hîc ſitus eſt *Germanus*, perge Viator,
*Geſneri* toto nomen in orbe volat.

## CXXI.

## CORNELII IANSENII GANDAVENSIS EP.

*Auctor fuit Maximilianus Vrientius.*

*Quæ hic dicuntur Iprenſi conuenire nequeunt: cui non eadem conuenire encomia nemo doctus neſcit.*

EST tumulus ſacer hic, procul hinc, procul impie abeſto,
Et ſacra depoſiti ne quate membra viri.
Si neſcis, iacet hoc tumulo compoſtus, auitæ
Nuper qui fidei murus ahenus erat.
Hic veræ pietatis apex, & regula recti,
*Hîc ſacri textus Harmonia vna iacet.*
An ſatis hæc? Patriám ne mones vt & inſuper addam?
Et decora? & titulis nomina fulta ſuis?
Hic ſitus eſt *Præſul Ianſenius*: haud pete plura;
Cætera nam poterunt bruta vel ipſa loqui.

Digitized by Google

CXXII.

## COTTÆ VERONENSIS POETÆ,

*Auctore Sannazario.*

SPerabas tibi docta nouum *Verona Catullum*:
Experta es duros bis viduata deos.
Nulla animum poſthæc vox erigat: optima quando
Prima rapit celeri *Parca* inimica manu.
Quæ tamen vt vidit morientis frigida *Cotta*
Ora, ſuum faſſa eſt crimen, & erubuit.

CXXIII.

## CREQVII GALL. POLEMARCHI.

*Auctore mihi nondum comperto.*

C*Requius Heſperiæ* terror, quo ſoſpite victrix
*Gallia* ſemper eras, hîc ſine corde iacet.
Scilicet hoc cælo dignum glans ignea ſurſum
Abſtulit, indignâ ne premeretur humo.

*Alterum.*

QVi fuit eloquij *flumen*, qui *fulmen* in armis
Ad Martis *flumen fulmine* clarus obit.

CXXIV.

## CREVSÆ PVELLÆ.

*Auct. Ioanne Bapt. Amaltheo.*

QVæ potuit rapidas cantu mulcere procellas,
*Nympharum* ſociis iuncta *Creüſa* choris,
Heu nunc muta iacet, *Veneti* maris aurea *Siren*,
Et modo *Lethæis* anxia nauit aquis.
Illius ingemuit ſacram *Nereis* ad vrnam,
Et ſtetit abſciſſis ad pia buſta comis.
Quin & adhuc illuſtrem animam perſæpe repoſcunt
Ad tumulum querulis cantibus *Alcyones*.

Digitized by Google

CXXV.

CYNTHIÆ SEMPERVIVÆ.

*Romæ in S. Mariæ in Viâ latâ.*

ASſyrios tumulus non hic ſibi poſcit odores,
Florida non multo preſſa caniſtra croco;
Ipſa etenim raros ſpirant hæc oſſa liquores,
Vrnáque perpetuo vere beata nitet.
Fleuit *Amor*, mœſtæ *Charites*, & *Cynthia* fleuit,
Pulchra *Venus* molles ſubſecuítque comas.

CXXVI.

DELIÆ DAMIANÆ.

*Auct. Cynthio Gyraldo Ferrar.*

QVæ *Venerem* formâ referebas, arte *Mineruam*,
Ingenio *Phœbum*, hîc *Damiana* iaces.
Quid ſperem in terris firmum, ſi munera tanta
Tôtque animi dotes *Parca* inimica tulit.

CXXVII.

DELIÆ PVELLÆ NOBILIS.

*Auctore Ioachimo Bellaio.*

GRatia, forma, decus, pietas, candórque, pudórque,
Ingenium, virtus, & probitatis amor,
Quæ bona nulla ſinit longis caneſcere ſeclis,
Si ſolita his eſſet parcere *Parca* ferox.
Haud ſic rapta fores primo ſub flore iuuentæ
*Delia*, nec tecum hæc tecta forent tumulo
Gratia, forma, decus, pietas, candórque, pudorque,
Ingenium, virtus, & probitatis amor.

CXXVIII.

DOMITII.

*Ab Angelo Politiano.*

HVnc Domiti ſiccis tumulum qui tranſit ocellis,
Vel *Phœbo* ignarus, vel malè gratus homo eſt,

Intulit hic vatum cœcis pia lumina chartis,
Obſtruſum ad Muſas hic patefecit iter.
Hunc *Verona* tulit docti patria illa *Catulli*,
Huic lethum atque vrnam *Roma* dedit iuueni.

CXXIX.

*DONATI ACCIAIOLI.*

*Ab Angelo Politiano.*

D*Onatus* nomen, patria eſt *Florentia*, gens mi
*Acciaiola* domus, clarus eram eloquio.
*Francorum* ad Regem patriæ dum orator abirem,
In *Ducis Anguigeri* mœnibus occubui.
Sic vitam impendi patriæ, quæ me inde relatum
Inter maiorum nunc cineres ſepelit.

*Extare dicitur Florentiæ apud Patres Cartuſianos.*

CXXX.

*EDMVNDI MERILLII I. V. D.*

*Qui pronuper Auarici Biturigum Cuborum magno omnium Eruditorum luctu obijt.*

B*Artolus, & Baldus, Iaſon: Themis, Eunoma, Pitho,*
Tres ſuper orbe Viri, tres ſuper aſtra Deæ;
Hunc genuere, vel has genuit *Merillius* vnus,
Tres ſuper aſtra Deas, tres ſuper orbe Viros.
Imò omnes ſuperet, ſi fata Deúſque ſinant, &
Hoc ſuper orbe Viros, & ſuper aſtra Deas.
Hoc moriente ſimul, credis? vix credere poſſis,
Hinc ex orbe abeunt, hinc ſuper aſtra abeunt
*Bartolus, & Baldus, Iaſon, Themis, Eunoma, Pitho,*
Tres ſuper orbe Viri, tres ſuper aſtra Deæ.

CXXXI.

*ENNONIS EMBDENSIS*

*In Templo S. Genouefæ Pariſiis.*

QVid fuerim noſtra hæc recubans commonſtrat imago:
Quid ſim, quam teneo, putrida calua docet.

Peccati hanc nobis pœnam ingenuere parentes,
Cuius ſed Chriſtus ſoluere vincla venit.
Hinc mihi viuenti ſpes quæ fuit & morienti,
Æternum corpus, quale habet ille, dabit.
Peccati, fidei, Chriſtique hinc perſpice vires,
Vt te mortifices viuificétque Deus.

*CXXXII. CXXXIII. CXXXIV.*

*ERASMI ROTERODAMI.*

*Ab Hadriano Mario.*

HIc *Deſiderius* requieſcit *Eraſmus*, amarum
Qui *Deſiderium* liquit in orbe ſui.
Mens habitat cælo, nomen vix clauditur orbe,
Scripta viri & mundum conteret vna dies.

*Alterum à Ioanne Secundo.*

DEfunctus vita, longíque laboribus æui,
Hac ſitus eſt tandem doctus *Eraſmus* humo.
Quem licet in ſerâ, rapuerunt fata ſenectâ,
Et vitæ ſaturum ſopiit alta quies:
Nos tamen hunc velut immaturo funere raptum
Flemus, & effuſis diffluimus lacrymis.
Ille igitur periit, & quondam illa illa diſerta,
Et dulci manans nectare lingua tacet.
Ingeniúmque ſagax, & amor virtutis, & æqui,
Omnia ſub paruo condita ſunt tumulo.
Illum igitur canos *Virtus* lacerata capillos,
Et *Charites* lugent, luget & ipſa *Fides*.
Collectáſque roſas *Permeſſi* ad flumina *Nymphæ*
Inſpargunt ſacro *Pierides* tumulo.

*De eodem veriùs iſta, nec minùs eleganter Ianus Vitalis.*

LVbrica ſi tibi mens fuit, & ſpinoſior æquo,
Ingenium certè nobile, *Eraſme*, fuit.

Felix ſi miſtas labruſcas dulcibus vuis
Prodiga deſiſſet vinea ferre tua.
Barbarie è mediâ præclarum ſidus haberent,
Et te *Varronem* tempora noſtra ſuum.
Hanc tamen inſcriptam his titulis poſuere columnam:
*Iactura hic laudum publica facta fuit.*

## CXXXV.

## EVSEBII MONACHI.

*Venetijs ad D. Michaëlis.*

LEctor parum ſubſiſte: rem miram leges.
Hic *Euſebij Hiſpani* Monachi corpus ſitum eſt;
Vir vndecumque qui fuit doctiſſimus;
Noſtræque vitæ exemplar admirabile.
Morbo laborans ſedecim totos dies,
Edens, bibénſque nil prorſus, & vſque ſuos monens,
*Deum* adiit. Hoc ſcires volebam. Abi & Vale.

## CXXXVI.

## FÆMINÆ NOBILISSIMÆ.

*Auct. Bandino Gualfredonio S. I.*

QVi pellegis, da lacrymam & preces pias.
Te iure poſco iuſta, communi iugo
Neceſſitatis vltimæ, non vltimæ
Subiecta ſortis fæmina. Heu mortalium
Breue quidquid eſt, quod viuitur, quod perplacet,
Quod & vouemus! occidi, & mecum ſimul
Laudes caducæ, fama, nobilitas, opes.
Tecúmque ſic agetur: enumeres licet
*Reges Ducéſque* ſtemmatis longi ordine.
Mors æqua ſummis, infimis. Fumo priùs
Vaneſcimus, nil præter heu! fumum ſumus.

Digitized by Google

## CXXXVII. CXXXVIII. CXXXIX.

## FELICIS INFELICIS.

*Neapoli.*

QVid me *Felicem* vani dixere parentes,
Si mihi morte fuit vita moleſta magis?
Nil bene ſucceſſit. Patrias moriturus ad oras
Dum propero, hîc ſepelit *Parthenopæa* ſenem.

*Alterum quoque Felicem infelicem reperies, apud Ioannem Iouianum Pontanum.*

FElix, hîc iaceo, malè felix, quem neque coniux,
Nec natus ſepelit, nec ſoror, aut genitrix,
Non pater, aut frater: rapidæ excerpſere volucres:
Prædáque ſum cupidis heu data vulturiis!
Dum variis inhio lucris, fora multa frequento,
Et vitam, & partas eripit hoſtis opes.
Linquor præda auibus, nullum tegit oſſa ſepulcrum;
Sola per ignotos vmbra vagatur agros.
Donec me tumulo paſtor donauit, & alno
*Infelix*, ſcripſit, hâc requieſcit humo.
*Felix* quum fuerim, nunquam poſt fata quieui
*Infelix* donec ſcriberer in tumulo.

*Alterius Felicioris.*

FElicis mihi nomen erat, ſed nominis omen
Demum poſt obitus incipit eſſe ratum.
Quiſquis enim *Superûm* decerpit gaudia, verè
Felix *Felicis* nomen & omen habet.

## CXL.

## FERNANDI GONSALVI.

VIrtutum, Auſoniæ, Martis, flos, gloria, fulmen,
Hoc Fernandus olet, colitur, tumulóque refulget:
Liuida quem Lacheſis telo demerſit acerbo,
Is modo ſed cælos auratáque ſidera calcat.

## CXLI.

### FILIÆ PATER.

*Ant. Guenara dicit legi Neapoli in Cœnobio Monialium ſancta Clara.*

NAta, eheu miſerum! miſero mihi nata parenti,
Vnicus vt fieres vnica nata dolor.
Namque virum tibi dum, tædas, thalamúmque parabam,
Funera & inferias anxius ecce paro.

## CXLII.

### FILIO MATER.

DEbebas tumulum miſeræ ſi, Nate, parenti,
Vertit & officium ſic tibi rapta dies:
Tu tamen ante oculos ſemper verſabere, non hoc
Mors quæ te rapuit, tollet iniqua mihi.
In te ego reddebar, poteram poſt funera dici
Viuere, ſeruaſſent ſi tibi fata modum.
A quibus excluſus medio de flore iuuentæ
Carpis iter ſine me, nec rediturus abis.
Nunc tua quæ peperit genitrix dat membra ſepulcro,
Dat lacrymas quales non dedit vlla parens.
Quamuis eſſe queant aliqua hæc ſolatia matri,
Quòd præter cineres nil teget vrna tui.

## CXLIII.

### FILII VNICI A MATRE.

*Auctore Sannazario.*

CVr heu lætitiam falsò dixere parentes?
Triſtitiam qui me dicere debuerant.
Natus erat miſeræ lux vnica matris, ocellus
Vnicus, hunc *Lacheſis* noxia ſurripuit.
I nunc vel *Nioben* confer mihi, cuius habet ſors
Hoc melius, fieri ſaxea quòd potuit.

CXLIV.

## *CXLIV. CXLV.*

## FLAVII BLONDI.

*A Iano Vitale.*

ERuis è tenebris *Romam* dum *Blonde* ſepultam,
Es nouus ingenio *Romulus* atque *Remus*.
Illi vrbem ſtruxere rudem: celeberrima ſurgit
Illa eadem ſtudiis, ingenioſe, tuis.
*Barbarus* illam hoſtis ruituram euertit: at iſti
Nulla vnquam poterunt tempora obeſſe tuæ.
Iure triumphalis tibi facta eſt *Roma* ſepulcrum:
Illi vt tu viuas, viuat vt illa tibi.

*Alterum.*

HIc ſitus eſt *Blondus*, Paridis cui forma, Catonis
Vita, *Titi Liui* fama decúſque fuit.
Coniuncta eſt ſancto coniux pia *Paula* marito
Fœminei ſexus gloria, vt ille virûm.

## *CXLVI.*

## FLORIDÆ FOSSÆÆ.

*A Paulo Thoma Engoliſmenſi.*

FLos matronarum florenti ætate malignis
*Parcarum* manibus *Florida* rapta iacet.
Nominibus ſæpe omen ineſt! à floribus illa
Duxerat egregium nomen, & omne decus.
Formoſi flores niueo hi candore refulgent,
Illi purpureâ lumina luce trahunt:
Æmula formoſo referebat *Florida* vultu
Candida purpureis lilia miſta roſis.
Suauis odor florum: ſpirabat *Florida* quicquid
Mollis *Arabs* ſiluis carpit odoriferis.
Ne non omnino ſimilis foret, hanc breuis ætas
Extinxit, florum is exitus eſſe ſolet.
Diſcrepat hoc vnum; flos vere renaſcitur, illa
Extremum ah! obiit non reditura diem.



Digitized by Google

CXLVII.

FOXÆÆ CANDALIÆ CONIVGIS
*Illuſtriſſimi Ducis Spernonij, à Paulo Thomâ.*

HEroum ſoboles, Heroem nacta maritum,
Heroum genitrix *Foxaa* Heroïs in iſto
Conditur Heroo vernis erepta ſub annis.
Quæ modò & Heroum in turbam conceſſit auorum,
Priſcíſque acceſſit magnum decus Heroïnis.
Quantus at Heruï dolor ah! luctúſque marito.

*Aliud.*

HIc *Foxaa* iacet; tumulum venerare Viator.
Quantum ô virtutum quantula terra tegit!

CXLVIII.

FRANCISCÆ SFORTIÆ.
*Auctore M. Antonio Flaminio.*

FRanciſca tumulo teguntur iſto
Oſſa *Sfortiadis*, Viator, illa
Et formâ memorabili puella,
Et ſancti ſpecimen fuit pudoris:
Digna viuere ad vltimam ſenectam.
Sed mors, optima quæque prima tollit.
Ipſam *Romula* gens, auuſque *Paulus*
*Tertius* lacrymis piis honorant.
At Deûm genitor, Deíque gaudent
Eſſe concilio ſuo receptam.

CXLIX.

FRANCISCI ARCHITHALASSI.
*Auctore Claudio Roſeletto.*

FRanciſco arriſit mediis *Neptunus* in vndis,
*Franciſco* in terris *Mars* dedit arma ſuo.
Nunc maiora quidem *Franciſcus* cum *Ioue* tractat:
Qui terrâ atque mari floruit, Aſtra tenet.

Digitized by Google

CL.

# FRANCISCI BALDVINI I.C.

*Auct. Carolo Marillaco Adu.*

QVid ſacræ capiat frequens volumen
Pagellæ, aut monumenta ſancta Chriſti,
Et ſcire & cupidum docere vulgus,
Magnum difficile & laborioſum.
Quid legum latet horridis ſalebris,
Quis recti modus atque norma praui,
Et ſcire & cupidum docere vulgus
Magnum difficile & laborioſum.
Quid faſti veteres ferant in annos,
Fortunæque iocos, vicéſque rerum,
Et ſcire & cupidum docere vulgus
Magnum difficile & laborioſum.
Facundo eloquij ruentis æſtu
Senſum vincere, pendulámque turbam
Furto fallere neſciam diſerto
Magnum difficile & laborioſum.
Maius attamen hiſce, *Balduine*,
Maius hæc animo in tuo vniuerſa,
Aggerem veluti coacta in vnum,
Legiſſe & poſuiſſe ſedem & iſto
Nunc claudi tumulo tuo ſepulta.
Maius denique, maius id quod, inter
Artes innumeras, quibus decorum
Tollebas caput, in ſacris libellis
Mirus, hiſtoricis vel in tabellis,
Siue iſtis, opifex diſertus, addis
Quidquid *Pontifices* tulere legum,
Seu Iura his quoque copulas *Latina*,
Cautus, callidus vnus inter omnes,
Doctè, Iupiter, explicare quidquid
Anceps *Scæuola*, quidquid *Africanus*

Longâ obſcurius edidere chartâ,
FRANCIS VNICVS ille BALDVS eſſes.

CLI.

FRANCISCI BENCII S. I.

*Romæ.*

BEncius hîc ſitus eſt *Muſarum* maxima cura,
*Orator, Vates, Rhetor, & Hiſtoricus*,
*Mureti* auditor, tantum quo ſæpe Magiſtrum
Diſcipulo memorant complacuiſſe ſibi.
Qui paſſu propiore Ducis veſtigia magni
Dum ſequitur, dedit hos *Calliopea* ſonos:
Carmine & eloquio minor vno hoc *Bencius* eſto:
At reliquis maior *Bencius* eſto meus.

CLII.

FRANC. BVSLIDII ARCH. BISVNTINI.

*Ad Carthuſianos Louanienſes.*

QVod magneti adamas, *Æneæ* fidus *Achates*,
Quod *Marti* alma *Venus*, *Egeriéque Numa*;
Hoc *Franciſcus* erat patriæ Regíque *Philippo*
*Buſlidius*, reparans fœdera, bella fugans.
Reddite iam cuncti laudes & iuſta ſepulto,
Quem merito in patriam, quis neget eſſe Patrem?

CLIII.

FRANCISCI DVARENI I. C.

*Auct. Sceuolâ Sammarthano.*

MAgnanimum *Henricum* Gallis qui ſuſtulit annus,
Idem etiam letho te, *Duarene*, dedit.
Ille decus fuerat ſummorum nobile Regum,
Doctorum fueras nobile & ipſe decus.
Quot geſſit bella, vt contunderet ille furorem,
Siue, *Hiſpane*, tuum, ſiue, *Britanne*, tuum?
Tu quoque dum vindex *Aſtræa* interritus extas,
Quot cum Barbarie, quantáque bella geris?

Digitized by Google

Poſt varios caſus, iam victor vterque manebat,
Parcáque iam fuerat pacis vtrique quies.
Sed dum aliquam ad tẽpus petitis poſt bella quietem,
Æterna eſt vobis ecce reperta quies.

## CLIV.

## FRANC. GISELERI I. C.

*Bononiæ in S. Franciſci.*

F*Ranciſcus* iacet hoc *Giſelerus* marmore, cuius
Nulla vnquam in ſanctis lis periit manibus.
Perdidit hanc vnam tantùm, quam ferrea mouit
*Atropos*. Aſt extra lis fuit iſta forum.

## CLV.

## FRANCISCI GVISII DVCIS.

*Ioanne Paſſeratio auctore.*

QVid ſtatuis tumulũ? nil ſum niſi *Nomen* & *Vmbra*.
*Elyſium* felix incolit *Vmbra* nemus:
*Nomen* ab occaſu Solis pertingit ad ortum.
Méne putas vllo marmore poſſe tegi?

*Præcedit eiuſdem Franciſci Lotharingi Guiſiani Ducis inuictiſſimi tumulus colloquentibus Hoſpite & Sacerdote quem per otium leges.*

## CLVI.

## FRANCISCI IO. PONTANI F.

*A Patre ſcriptum.*

HAs aras pater ipſe Deo templumque parabam
Quo tu, nate, meos contegeres cineres.
Heu! fati vis læua, & lex variabilis æui:
Nam pater ipſe tuos, nate, ſtruo tumulos.
Inferias puero ſenior, natóque ſepulcrum
Pono parens. Heu quid ſidera dura parant?
Sed quodcumq; parant, breue ſit. Nãq; optima vitæ
Pars exacta mihi eſt: cætera funus erunt,
Hoc tibi pro tabulis ſtatuo, pater ipſe dolorum
Hæres, tu tumulos pro patrimonio habe.



Digitized by Google

CLVII.

FRANCISCI MOMMORANTII.

*Incerto auctore.*

CVm nil in votis potiùs quàm *Francia*, quàm res
*Francorum*, quàm lex *Franca*, ſalúſque fuit.
Hoc, *Franciſce*, iaces, heu! verè *Francice*, ſaxo.
Quid ſi etiam tecum *Francia* tota iacet?

CLVIII. CLIX.

FRANC. PEPINI FRANCISCANI.

*Auctore Ioanne Ruxelio.*

DVm celebrat *Chriſtum* crebro ſermone *Pipinus*
Aſſiduóque Patrum ſcripta labore terit,
Immemor ipſe ſui, *Chriſti* ſuccenſus amore,
Accerſit ſummum præcipitátque diem.
Aſt breue perpetuo penſat *Deus* arbiter æuum,
Quíque breuis fuerat cauſa, perennis erit.

*Eſt & alia concluſio.*

AT pro luce breui dat ſecula *Chriſtus*, & idem
Dat vitam, cauſam qui dedit ante necis.

*Phaleuci in eandem ſententiam.*

DVm totas vigili labore luces,
Et totas vigili labore noctes,
*Pipinus* ſacra *Chriſtiana* curat:
Maturat mediâ necem in iuuentâ,
At rerum *Deus* arbiter rependit
Vitam pro nece, pro ſolóque cælum,
Et pro luce breui diem perennem.

CLX.

FRANCISCI SACRATI.

*Ferrariæ in Templo S. Stephani.*

HAc eques inſignis tegeris *Franciſce* ſub vrnâ,
*Sacrata* quondam firma columna domus.
Morte tuâ doluit Princeps, populúſque, patréſque,
Et pudor, & ſociâ cum probitate fides.

Digitized by Google

Hoc memores nati clauſerunt membra ſepulcro,
At pia ſidereas incolit Vmbra domos.

CLXI.

FRANCISCI XIMENIS CARD.

*In Academia Complutenſi.*

COndideram *Muſis Franciſcus* grande Lyceum,
Condor in exiguo nunc ego Sarcophago.
Prætextam iunxi ſacco, galeámque Galero,
*Frater, Dux, Præſul, Cardineuſque Pater.*
Quin virtute meà iunctum eſt *Diadema Cucullo,*
Cum mihi regnânti paruit *Heſperia.*

CLXII.

GABRIELIS FAERNI.

*Annibale Cruceio auctore.*

DVm veterum auctorum inſtaurat monumenta *Faernus,*
Et reddit vitæ ſcripta *Latina* ſuæ,
Inuidit, fera *Parca,* virúmque ad *Tartara* truſit:
Quodque aliis adimis, hoc tibi, dixit, habe.

CLXIII.

GABRIELIS TRIVISANI.

*Romæ in S. Mariæ ſupra Mineruam.*

LVſtrandi ſtudio Veterum decora alta *Quiritum*
Veni: pro hoſpitio *Roma* dedit tumulum.
Forma, anni, mores, patriæ genus, & pater, & æs
Æqua mihi: Mors hæc riſit, & abripuit.

CLXIV.

GEORGII CARD. DE AMBACIA.

*In Cathedrali Rothomagenſi.*

PAſtor eram cleri, populi *pater,* aurea ſeſe
*Lilia* ſubdebant, *Quercus* & ipſa mihi.
Mortuus en iaceo, morte extinguuntur honores;
At *Virtus* mortis neſcia morte viget.



Digitized by Google

## CLXV. CLXVI.

## GEORGII CRITTONII SCOTI.

*Quod ipſe moribundus dictauit.*

C*Rittonius* iacet hîc geminæ commercia linguæ,
Et geminis ſuetus iura docere foris.

*Ad IESVM CHRISTVM.*

TV mihi da tandem da niceteria *Christe*
Athletæ promiſſa tuo, qui roboris expers
Spéque valens cecidit, peccati mole grauatus.
Vnica labentem ſpes fulſit, & vnica vitæ
Reſtituit tua *Crux*, iuſsítque indebita ſonti
Præmia, & immeritam victo ſperare coronam.

*Ad Viatorem.*

CÆlo ſupinas quiſquis hîc tollis manus,
Fugacis æui pone tecum calculum.
Et quot dierum triſtis ægrimonia,
Spes inquietæ, luridus damni pauor,
Multóque tincta felle ſemper gaudia
Vitæ volantis ſubtrahent compendio:
Tecum reuolue his deputatis *Enthei*
Effata *Vatis* vera profitebere:
Ni nos ſolutos corporis laboribus
Vitæ maneret aura defecatior,
Sors noſtra brutûm ſorte vilior foret.

## CLXVII.

## GERMANICI CÆSARIS.

*Aut. Mich. Tarch. Marullo.*

PArce, Hoſpes, tumulo; *Cæſar Germanicus* hîc ſum.
Sæpe etiam ignotis ipſe dedi requiem.
Quod ſi quem tituli nihil huius gratia tangit,
At moueat patriâ fraude quod hîc iaceo.
Sed iaceo quamuis non vitæ at plenus honorum:
Hoc vno ingratus quòd genui patriæ.

Digitized by Google

Teſtata eſt mores lacrymis plebeſque, Patréſque,
Hæc ſunt ſinceri iudicia ingenij.

## CLXVIII. CLXIX.

### *GONTALDI BIRONII FR. POLEM.*

QVo magis illuſtrant ingentia facta *Bironem*.
Hoc magis infamat cauſa genúſque necis.
Vixit ad inuidiam famâ florente beatus,
Dum moritur lacrymas nec meruiſſe poteſt.

*Alterum auctore Dominico Baudio.*

VIx tua mortalis poterat fortuna videri,
Dum ſtetit incolumi fama fidéſque gradu.
Poſtquam præcipiti miſer ambitione periſti,
Impius eſt cineri qui plus eſſe volet.

## CLXX.

### *GRATIÆ PVELLÆ.*

*Balthaſare Caſtilliono auctore.*

SIſte, Viator, ni properas, hoc aſpice marmor,
Et lege; ni ploras, tu quoque marmor eris.
*Gratia*, namque *Deas* etiam mors ſæua profanat,
Mortua, & hoc duro eſt condita ſub tumulo.
Abſtulit hæc moriens geminas miſeranda ſorores:
Sic *Charites* vno tres periere obitu.

## CLXXI.

### *GREGORII INFANTIS.*

*Romæ in S. Mariâ de Animâ.*

BLandidulus, nitidus, pulcher, dulciſſimus infans
Matris deliciæ, deliciæque patris
Hîc ſitus eſt teneris raptus *Gregorius* annis,
Vt roſa quæ ſubitis imbribus icta cadit.

Digitized by Google

CLXXII.

GVIDI POSTVMI.

*Ab Antonio Tebaldeo.*

POſtumus hic ſitus eſt: ne dictum hoc nomine credas
In lucem extincto quod patre prodierit.
Mortales neque enim talem genuere parentes,
*Calliopea* fuit mater, *Apollo* pater.

CLXXIII. CLXXIV.

GVILIELMI BVDÆI.

*Auctore Stephano Paſchaſio.*

NEc voluit viuus fingi pingíue *Budæus*,
Nec vatum moriens ambijt elogia.
Hunc, qui tanta ſuæ mentis monumenta reliquit,
Externâ puduit viuere velle manu.

*Eiuſdem Budæi tria Epitaphia ſcripſit Theodorus Beza, vnum Græcum & Latina duo, quæ breuitatis ſtudio neglexìmus.*

*De Budæo ſic Paulus Thomas.*

BVdæo nato ſic *Gallia* fata refertur:
*Græci, Angli, Hiſpani, Teutones, Auſonij,*
Cunctæ olim noſtro ſuperatæ robore gentes
Nunc etiam ingenio cedite; Victor adeſt.

CLXXV.

GVILL. LANGÆI INSVBRIÆ PROREGIS.

*Inter Bezana habetur Epitaphia.*

L*Angæus* illę magnus hîc iacet, Lector,
Vnus *Mineruam* colere doctus & *Martem*,
Quo nemo melior pace vixit aut bello.
Vitæ genus habes: mortis en genus diſce:
Ætate conſumptâ laboribus multis,
Suis ſuorúmque omnium ferè exhauſtis
Bonis in vſus Galliæ ſuæ, tandem,

Digitized by Google

Quum plus Milone & Curione deberet,
Interijt. Ergò pauper occidit, dices:
Imò locuples, cui *Patria* debuit tantum.

CLXXVI.

GVILLELMI LINDANI EP.

*Maximiliano Vrientio auctore.*

D*Ordracum* patria eſt, *Grudia* patria altera *Athenæ*,
Illæ animi altrices, corporis illa mei.
Conſpicuum ſanctâ coluit *Rurmonda* tiarâ,
Et *Ganda* in cineres officioſa meos.
Non meliore loco *naſci*, potuíue *renaſci*,
Non meliore *coli*, non meliore *mori*.

CLXXVII.

GVILLELMI REMONDI A REGIS

*Hoſtibus veneno perempti. Scripſit Franciſcus filius S. I. Sacerdos.*

INdignâ hîc tegitur *Remondus* morte peremptus,
Onoua defenſæ præmia iuſtitiæ!
Tanta viri virtus hoſtes, vis hauſta veneni
Iſtum debuerat frangere vel lapidem.
Si lapis eſt durus, potis eſt qui ferre venenum,
Toxica qui fudit durior ille fuit.

CLXXVIII.

HELENÆ IN PARTV MORTVÆ.

*Auctore Franciſco Bencio S. I.*

HIc *Helene* iacet, in partu quæ concidit ipſo,
Non ſecus ac pomis arbor onuſta ſuis.
Concidit & caſu fœtum concuſſit eodem.
Ille patrem moriens perculit, illa virum.
Vir miſer, & pater infelix. Vixiſſet vterque:
Aut ſaltem hæc, ſoboli quæ foret apta nouæ.
Mortua tu quamquam non es dulciſſima coniux
O mea, cui cæli ianua celſa patet.

Digitized by Google

Quod ſi æterna tibi noſtro quærenda dolore
  Gaudia erant, tanti nos doluiſſe fuit.

CLXXIX.

*HENRICI A CRAM GERM.*

*Patauij in S. Antonij.*

O Spes fallaces, curæ, vanique labores!
  Omnia mors aboles, anxia vita nihil.
Diſce mori, nec te ludat ſpes vana iuuentæ,
  Nam neſcis ſtatuant quem tibi fata diem.

CLXXX.

*HENRICI REGIS NAVARRÆORVM.*

*P. Fuluio auctore.*

EST cælum tumulus, ne fingite marmora nobis.
  Gloria ſi cælo maior in aſtra volat.
Sit breuis vrna licet, fama eſt & gloria, qualis,
  Vel decuit Regem vel ſuperâ arce Deum.
Scilicet hoc potuit, quo me mors vulnere ſumpſit,
  Hac etiam ſummos tollere cæde Deos.

CLXXXI. CLXXXII.

*HENRICI MEMMII.*

*Auctore Paſſeratio.*

MEmmius hîc ſitus eſt, veteris noua gloria gentis:
  Deliciæ Phœbi Pieridúmque decus:
Si quid opus titulis, ſummos aſcendit honores.
  Cultum erat eximijs artibus ingenium.
Non veræ virtutis egens, maturus & æui,
  Vnam ac biſſenas vidit olympiadas?
Luxere amiſſum nati, luxere nepotes:
  Et patrio in tumulo compoſuere ſenem.
Non obijt qui ſic obijt: manet, atque manebit
  Fama, vſque Aonio concelebranda choro.
Iure ergo ante omnes tellus hæc ſacra ſuperbit,
  Quod tanti cineres contegit vna viri.

Digitized by Google

*Idem Memmiano puero ſeptenni ſic parentauit.*

COnditus hic puer eſt ſpes magna dolórque ſuorum,
Clara gerens proaui nomina, clara patris.
Sed caret inuidiâ ſuperûm lacrymabile funus,
Maxima nunc Diuûm munera, vita breuis.

*Aliud.*

MEmmius hîc ſitus eſt: breuis huic vt contigit ætas,
Exiguo in tumulo ſic breue carmen habet.

*CLXXXIII. CLXXXIV.*

HERCVLIS STROZÆ.

*Scripſit Antonius Tebaldeus.*

H*Erculis* hic *Stroze* tumulus; quem condidit vxor.
Mœrens *Taurella Barbara* gentis honos:
Plus dederit quamuis, non hâc, *Mauſole*, meretur
Plus tua: Fortunâ hæc, non pietate, minor.

*Alterum auctore Petro Bembo.*

TE ripâ natum *Eridani Permeſſus* alebat,
Fecerat & vatem *Márſque, Venúſque* ſuum.
Iniecere manus iuueni, & fatalia duris
Stamina pollicibus perſecuere *Deæ*.
Vxor honoratâ *Manes* dum conderet vrnâ,
Talia cum multis dicta dedit lacrymis:
Non potui tecum dulcem conſumere vitam:
At iam adero amplexans te cinerem ipſa cinis.

*CLXXXV. CLXXXVI.*

HERMOLAI BARBARI P. AQVILEIÆ.

*Romæ in S. Maria de Populo.*

BArbariem *Hermoleos* Latio qui depulit omnem
*Barbarus* hic ſitus eſt. Vtraque lingua gemit.

Vrbs *Venetûm* vitam, mortem dedit inclyta *Roma*:
Non potuit naſci clariùs atque mori.

*Alterum.*

HErmoleos iacet hîc, non re, ſed nomine tantùm
*Barbarus*, *Aonij* ſpéſque, decúſque Chori.

*Iulius Caſar Scaliger decaſticho eiuſdem laudes celebrauit, vt vel ex Franciſco Suuertio diſces in ſelectis Delicijs pag. 450.*

## CLXXXVII.

## HIERONYMI ALEANDRI CARD.

*Auctore Iano Vitale.*

NOn tibi litterulis ornare, *Aleandre*, ſepulcrum
Fas erat, at vaſtam ponere pyramidem.
*Steſichoróſque* inter celebres, ſanctoſque *Platones*,
Ex auro ſolidam ſtare tibi ſtatuam.
Vidimus in te vno diuinæ inſignia mentis,
Et pluſquam humani par decus ingenij.
Nunc perijt tecum, quantum vix ſæcula mille,
Quantum vix præſtent millia mille hominum.

*Alterum à Latomo ſcriptum exhibent Suuertius, Auberius, alijque.*

## CXXXVIII

## HIERONYMI CARDANI.

*Quod ſibi viuens ſcripſit.*

NOn me terra teget, cælo ſed raptus in alto,
Illuſtris viuam docta per ora virûm.
Quidquid venturis ſpectabit *Phœbus* in annis,
*Cardanos* noſcet, nomen & vſque meum.

## CLXXXIX.

## HIERONYMI FRACASTORII.

*Iulius Caſar Scaliger ſcripſit.*

QVi *Fracaſtorei Phœbum* diuina canentem
Audieras, quid eum quæris in hoc tumulo?

Digitized by Google

Terram terra premit, tellus tellure grauatur,
Pérque ſuas repetunt ſeſe elementa vices.
Ille olim ſancto capiebat pectore cælum:
Nunc capitur cælis: inde petendus erit.

## CXC.

## HIERONYMI SAVANAROLÆ DOM.

*Igne abſumptus eſt Florentia* 1498.

DVm fera flamma tuos *Hieronyme* paſcitur artus
Relligio ſanctas dilaniata comas
Fleuit, & ô, dixit, crudeles parcite flammæ,
Parcite, ſunt iſto viſcera noſtra rogo.

## CXCI.

## HIERONYMI SVRITÆ HIST.

*Cæſarauguſtæ à Martino Azagriâ Arrag.*

DVm *Salo*, dum *Sicoris*, dum *Cinga augebit Iberi*,
Dum maris augebit magnus *Iberus* aquas.
Poſt cineres, Manéſque tuos, heu magne *Surita*
Semper erit maius nomen in orbe tuum:
Annaléſque tui tantarum pondere rerum
Æterni, æternum te ſine morte dabunt.

## CXCII.

## HIPPOLYTÆ.

*Auct. Iulio Crotto.*

CAſta fides thalami, & thalami inuiolabile fœdus,
Perſoluunt cineri, *Hippolyte*, inferias.
Narciſſi lacrymæ ſtillant tibi, & Arabe myrrhâ
Stillat odor, nardum ſtillat & ipſe pudor.
Accipe & has lacrymas tibi quas Hymenæus ad vrnam
Spargit, & has violas accipe cum lacrymis.
Ex lacrymis vernent violæ tibi, ſeruet & vrnam,
Quam tu ſeruaſti, caſta Pudicitia.

Digitized by Google

CXCIII.

*HIPPOLYTÆ TASSONÆ.*

*Ab Hercule Strozâ.*

HOc tuus Hippolyte poſuit tibi marmor Iulus
Taſſonæ primus nobilitatis honor,
Méque, ait, hoc non te, coniux, tego: Mens mea buſto
Clauſa tuo, membris viuis at ipſa meis.

CXCIV.

*HONORÆ QVINTERIÆ.*

*Romæ.*

HÆc quicumque modò ſpirantia mollius ora
Proſpicit, & cæli nobile laudat opus;
Quàm gemeret, mentis ſi conſpexiſſet *Honoræ*
Tot bona, naturæ vix reuocanda manu:
Diceret, & vitæ comites, probitáſque, fidéſque,
Et pudor & formæ gratia cara perit.

CXCV.

*HORTENSIÆ AGAZARIÆ.*

*A Petro Melino marito. Romæ.*

MEne fugis, nec cara ſequor te *Hortenſia*? plus te
Pecco ego, te cogit fatum, ego lege vetor.
Hoc rumpi non poſſe Dei docuere, ſed illam,
Si qua via eſt, frangi poſſe docebit Amor.

CXCVI. CXCVII. CXCVIII.

*HYELLAM MORTVAM.*

*Multis Epigrammatis celebrauit M. Antonius Flaminius, nos vnum alterúmue ſelegimus.*

QVisquis es Vpilióue bonus, bona vel Caprimulga,
Siſte gregem & ſacro munera fer cineri:
Da violas tumulo, fundat dulciſſima vina
Cantharus, & tepido lacte madeſcat humus.

Dehinc

Dehinc lacrymans ſic fare: Cinis cariſſime nobis,
Nunc cinis; aſt olim candida *Hyella* vale.
A Deſte ô *Satyri*, bonique *Fauni*, &
Quidquid capripedum eſt vbique *Diuûm*,
Mecum numina ſancta lacrymate.
Veſtra mortua bella caprimulga eſt,
Illa candida bella caprimulga,
Quæ vobis bona liba factitabat,
Quæ dulcem mihi caſeum premebat;
Quæ tam carmina bella cantitabat.
Tecum delicias, *Hyella*, ruris,
Tecum gaudia ruris abſtuliſti.
Te formoſulus hortus ille, quem tu
Lætum Virgineâ manu rigabas,
Te fons proſiliens ſpecu è virenti,
Quem illo floridulo ore baſiabas;
Te lugent nemora, atque vallis in quâ
Paſcebas niueas tuas capellas;
Nunc pictas *Dryadis* legens corollas;
Nunc dulci reſonans auenâ in antro.
At tu ſi ſapis, ô puella *Ditis*,
Huic dato nitidas tuas capellas.
Hac paſcente domum tuæ capellæ
Ferent vbera tentiora, lacque
Longè dulcius effluet papillis.
Nullam rura tulere doctiorem
Aut miſcere coagula, aut decoras
Molli texere fiſcinas hibiſco,
Aut per florida prata cum puellis
Choros ducere obſtupente pago.
Cum nemorum decus, & culti ſolatia ruris
Venit ad *Elyſias* candida Hyella domos;
Obſtupuere omnes; fixóque in Virgine vultu,
Spectabat pro ſe quiſque oculis auidis;

S

Digitized by Google

Ardentes oculos, ſuráſque, humeróſque nitentes,
Brachiáque, & flauas per roſea ora comas:
Atque aliquis iuratus ait, non pulcrior vnquam
Venit ad *Elyſios* vlla puella choros.

## CXCIX.

*IACOBI BVGÆI PRÆSIDIS RHED.*

*A G. R. A. E.*

BVgæus magnus ille Vates hîc iacet,
Humi iacere ſi quis dicere audeat,
Muſæ quem ſummo Parnaſſi iugo fouent
Latentem in Pegaſei fontis laticibus.

## CC. CCI.

*IACOBI V. SCOTORVM REGIS.*

*A Io. Fr. Quintiano Stoâ.*

HIc quis es? Hîc *Quartus* ſum Rex *Iacobus* in antro.
Num loqueris? Pro me fert tibi verba lapis.
Ille ego ſum *Scotus* per ſæua pericula *Mauors*,
Ille ego ſum patriæ gloria prima meæ.
Si quæras quid agam, noſtræ do numina genti,
Tela, fidem, iures, iura, trophæa, manum.

*Aliud.*

COrpora mors rapuit: rapiant ſi hoc tempora marmor:
Viuet honos, probitas, gratia, fama, fides.

*Aliud.*

ADſta Viator, quidquid eſt ſcriptum, lege.
*Iacobus* iſto Quartus in tumulo iacet,
Rex *Scotus*, olim dexterâ fortis, fidem
Tutatus armis nomen & noſtrum fero
In *Marte* cæſus *Gallicæ* parti fauens.
Quid fles Viator? flere non potes probè,
Quum noſtra virtus viuat æternum. Vale.

# CCII. CCIII.

## *IACOBI CVIACII I. C.*
*A Ioanne Mercerio collega.*

C*Viacij* eſt tumulus. Viri ornatiſſimi,
Iſtuc Viator reſpice;
Dirutere quem tres de nouem ſororibus
Certant graui conamine.
De litteris malè meritum haud putes tamen,
*Muſis* fuit chariſſimus.
Quid iſtud igitur quod monumentum deſtruunt
Æternitati creditum?
Sunt mortuorum iſta: eſſe mortuum negant,
Per ora qui viuat virûm.
At ipſe tumulum viuus exſtruxit ſibi,
Ærugo quem non exedat.
Profeſſus artes omnigenas, & maximè
Iuris vtriuſque peritiam
Conſcripſit omnibus referta volumina,
Tumulum futurum mortuo.
Sed ô *Bituurigibus* inimica numina,
Quorum ſcholis hîc præfuit!
Vno perempto qui docebat doctiùs,
Scholæ peremptæ funditus.

*Pijs Manibus defuncti Collegæ Ioannes Mercerius mœſtiſſimus inter ipſa iuſta exequiarum D. D.*

*Plura à Iacobo Auguſto Thuano, Paſſeratio, Fabro, Turnebo, Oiſelio Guntherio, Raguello, alijſque conſcripta collegit Alexander Scotus I. C. in proœmio editionis Lugdunenſis operum Cuiacij, quibus addere licebit quod à Bengaeo Anteceſſore Bituricenſi compoſitum recitat Ioannes Chenuſius.*

*Aliud Q. Sept. Florente Chriſtiano.*

ERexit Leges & Iura iacentia *Cuias*,
Ipſo nunc etiam Iura iacente iacent.
Quid tumulum erigitis? Potiùs date Legibus ipſis.
Magno ſufficiant hæc monumenta viro.

## CCIV. CCV.
## IACOBI FABRI STAPVLENSIS.

*Georgio Buchanano auctore.*

QVi ſtudijs primus lucem intulit omnibus, artes
Edoctum cunctas hæc tegit vrna *Fabrum*.
Heu tenebræ tantum potuere extinguere lumen?
Si non in tenebris lux tamen iſta micet.

*Aliud Georgio Buchanano auctore.*

FAma orbem replet, mortem ſors occulit: at tu
Deſine ſcrutari quod tegat oſſa ſolum.
Si mihi dent animo non impar fata ſepulcrum
Anguſta eſt tumulo terra *Britanna* meo.

## CCVI.
## IACOBI TRIVVLTII.

*Hieronymo Vulpio Nouocomenſi auct.*

SVnt tumuli, *Iacobe*, tui certamina; captæ
Vrbes, captiui, regna, trophæa, Duces.
Hos tumulos tibi tu propriâ virtute paraſti:
Nos tibi pro titulis carmina bina damus.
Vicerat hic hoſtes animis: at nomine Mortem
Vicit: & inuictus vixit & interijt.

## CCVII.
## IANÆ HENNEQVINÆ.

*Paſſeratio auctore.*

I*Ana Hennequina* moribus vixi integris,
Et nota cunctis & probata ciuibus.

Sed plura de me non, Viator, audies:
Pudórque mórſque mi imperant ſilentium.

*Alterum ſed tacito auctore alij iam deſcripſerunt, eodem initio totidémque eiuſdem metri verſibus.*

## CCVIII.

## IANI GVILLELMII.

*Ianus Gruterus hoc & quatuor alia ſcripſit.*

DVm veterum purgo Scriptorum putrida membra,
Eumenidúmque veto poſſe premi pedibus:
Et dum aue felici iam corpora conclamata,
Ex ipſis iubeo ſurgere ſandapilis
Inuidiam merui ſuperûm atque in puberis æui
Tempore, nigrantes cogor adire domos.
Sic quoque adit ſanato *Epidaurius Hippolyto* Orcum
Cuius ob exemplum & pœna mihi iſta leuis.
Fors enim & illa dies prope adeſt, qua fata ſecutus
Ipſius, hinc precio vel prece liber eam,
Adſpicienſque iterùm *Phœbeam* lampada, maior
Surgat honos decuplo quàm fuit ante mihi.

## CCIX. CCX.

## IANI IACOBI MEMMII.

*Paſſeratio auctore.*

ISto ſub ære cuius oſſa condita
Quæris, Viator? *Memmij Henrici* pater
Situs hîc quieſcit. Sic niſi eſt notus ſatis,
Alijs legenda hæc linque, neſcis litteras.

*Aliud.*

HOc quiſquis legis, & pius precaris
*Memmi* vt molliter oſſa conquieſcant,
Contingat tibi mortuo quod optas.



Digitized by Google

## CCXI. CCXII.

# IANI LASCARIS.

*A Mario Molſa.*

LAſcaris hic ſitus eſt *Ianus*, quo ſoſpite *Graiûm*
Res olim fractæ non potuere capi:
Hic etenim in *Latium* dilectàs *Pallade Athenas*
Detulit, & gemino mox dedit ore loqui.
Sæpe etiam *Regúmque* animos, populóſque feroces
*Cecropio* flexit tum ſale, tum numeris.
Annoſi donec confectum viribus æui,
Exilio obrepens curua ſenecta dedit.
Felicem ante omnes, ſolio qui pulſus auito,
Tam procul hîc patriâ contegeretur humo.

*Aliud auctore Angelo Colotio.*

DIlectus *Muſis* & rebus natus agendis,
Quem grauida imperijs protulit alta domus:
Tot freta dum curris, tótque inuia regna pererras,
*Auſoniâ* tandem, *Laſcaris*, vrbe iaces.
Sed ſitus in patriâ es, *Graio* licet orbe remotus:
Nulla eſt virtuti terra aliena tuæ.
*Scripſit & tetraſtichon Antonius Tebaldeus, alijque.*

## CCXIII. CCXIV. CCV.

# IANI PANNONII EPISCOPI

## Quinquecclesienſis in Hungaria.

*Per Bapt. Guarinum Guarini filium.*

PAnnoniæ decus, & noſtri lux maxima ſecli,
Hic ſitus es cunctis *Iane* gemende bonis.
Te nemus *Aonium*, laceris te *Muſa* capillis
Te poſitâ mœſtus fleuit *Apollo* lyrâ.

Digitized by Google

*Aliud ab Achille Philerote Bochio.*

PÆonius dulci *Ianus* dum carmine nuper
Saxa, feras, volucres, & nemora alta trahit,
Miratus *Titan*, ait, Aut non occidit vmquam
*Orpheus*, aut alium *Calliope* genuit.

*Aliud Ferrariæ ad D. Dominici.*

HIc ſitus eſt *Ianus*, patrium qui primus ad *Iſtrum*
Duxit laurigeras ex *Helicone Deas*.
Hunc ſaltem titulum liuor permitte ſepulto:
Inuidiæ non eſt in monumenta locus.

## CCXVI.
## IDÆ MATRONÆ NOBILIS.

*Incerto Auctore.*

SI quæ, Hoſpes, meruit Parcarum vincere coniux
Iura trium, meruit moribus *Ida* ſuis:
Corde Deum venerata pio, complexa maritum
Obſequijs, natos ſedulitate ſuos.

## CCXVII.
## IOANNÆ ALBIERÆ.

*Ab Angelo Politiano.*

STirpe fui, formâ, natóque, opibúſque, viróque,
Felix, ingenio, moribus, atque animo.
Sed cùm alter partus iam nuptæ ageretur, & annus,
Heu! nondum natâ cum ſobole interij.
Triſtiùs vt caderem, tantum mihi *Parca* bonorum
Oſtendit potius perfida quàm tribuit.

## CCXVIII. CCXIX.
## IOANNÆ DARCIÆ AVR. PVELLÆ.

*Ab Vrſino Durando Vrſ. F.*

VIrgineos habitus latuit mentitus *Achilles*,
Decretæ fugiens omina certa necis:

Qui licet inuitus, poſtquam detexit *Vliſſes*
  Arte dolum, pugnat, pro patriáque cadit.
Seu vir, ſeu virgo, vel in vno ſexus vterque,
  Siue quid humano *Darcia* maius habet.
Vera puella dolos mendacis vincit *Achiui*,
  Quæ pro *Francigenis* victima ſponte fuit.
Quidni? ne pugnet, ſpeciem vir virginis optat:
  Vt pugnet, virgo geſtit habere viri.

*A Stephano Paſiſaſio.*

QVæ fuerint nobis inſignia, quæritis? enſem
  *Iana* coronatum, lilia bina tuli:
Vos violis ornate comas, myrtíſque puellæ,
  Lilia ſola placent, enſis & arma mihi.
*De Charles mon bon Roy pour mes armes i'ay pris*
*Le glaiue couronné auec la fleur de lys.*

## CCXX.

## IOACHIMI BELLAII.

*Ex Claudio Roilleto*

FLamma mihi *Veneris*, *Phœbi* lyra, *Martis* & horror,
  *Pacis* amor, *Mortis*, carmine dicta, quies.
Hinc myrto, & lauro, palmaque, olea, atque cupreſſo
  Æternùm cinctum eſt poſt mea fata caput:
*Epitaphium eius ſolutâ oratione exhibet Suuertius in ſelectis pag. 634. Editionis Colonienſis.*

## CCXXI.

## IOANNIS ADOLESCENTIS.

HIc iacet ereptus primæuo in flore iuuentæ,
  *Ioannes* Regni cura dolórque ſui.
Si faciem & mores, ſi quis conſideret annos,
  Dignior æternùm viuere nemo fuit,
Viſum aliter ſuperis, quos plus iuuat ardua ſemper
  Caſibus & ſubitis implicuiſſe malis.
Sed quid amas? noli nimiùm placuiſſe, ſenectam
  Vix vmquam ſummis fata dedere viris.

Digitized by Google

## CCXXII.
## IO. BAPTISTÆ PII.

F*Elſina* quem genuit, ſtudiis conſumptus & annis
Ille Poëta *Pius*, Bibliotheca loquens,
Hic ſitus eſt, quocum priſcæ omnis gratia linguæ,
Et *Plauti* veteres interiere ſales.

## CCXXIII.
## IOANNIS BAROLLÆ.
*Antonio Goveano Auctore.*

IN quo certarunt *Fortuna, Scientia, Virtus*,
*Barolla* exiguo conditur hoc tumulo.
At viuos inter, *Fortuna, Scientia, Virtus*,
Caſurum nullo tempore nomen habent.
Si quæris quid non vnâ ſint iſta ſepulta?
Exiguo à tumulo non potuere capi.

## CCXXIV.
## IOANNIS BOCCACII.

HAc ſub mole iacent cineres atque oſſa *Ioannis*,
Mens ſedet ante Deum meritis ornata laborum.
Mortalis vitæ genitor *Boccacius* illi,
Patria *Certaldum*, ſtudium fuit alma Poëſis.

## CCXXV. CCXXVI.
## IOANNIS BRINONIS.
*Auct. Ioach. Bellaio.*

QVatuor in noſtram certarunt Numina ſortem
*Plutus, Amor, Fatum, Pieridúmque Deus.*
*Plutus* opes dederat, formæ decus ipſe *Cupido*,
*Parca* dedit tumulum, Nomen *Apollo* dedit.
Abſtulit vnus *Amor Pluti* mihi munera, *Amoris*
Abſtulit hei miſero! munera *Parca* ferox.
Me *Phœbus Parcæ* eripuit, cælóque locauit;
Eripuit nullus quæ dedit iſte mihi.

Digitized by Google

*Aliud Ioannis Brinonis.*

*Incerto auctore.*

HIc ſitus eſt *Brino* quondum ditiſſimus, at qui
Prodigus in cinerem cuncta redegit inops.
Sed ne forte aliquid decretis omnibus eſſet,
Heu moritur! verè fiat vt ipſe cinis.

## CCXXVII.

### IOANNIS FISCHERI EP. ROFFENSIS.

*Auctore Gregorio Martino.*

NE tu deſereres verum Caput, *Anglia*, *Chriſtum*, &
*Pontificem*; caput hic ſponte relinquo meum.

*Alterum.*

TEne Viri tanti ceruicem abſcindere poſſe,
Tene cruore pio commaculare manus?
Si vita ſpolias *Roffenſem*, Barbare, quando
Vllum producet terra *Britanna* parem?
Sed tu ſancte ſenex æuo fruiture beato,
Lætus abi, in cælum te vocat ipſe Deus.

## CCXXVIII.

### IOANNIS FR. POGGII FLORENTINI.

*Romæ in Monaſt. s. Gregorij in Cœlio.*

OLim *Pierides*, olim *Florentia* mater
Viuente riſit *Poggio*.
Nunc tumulum hunc adit, & donũ pro carmine flores
Fert, próque riſu lacrymas:
Quæ niſi pro verâ modo ſint pietate, rogabit,
*Arnus* miniſtret vt ſuas.

Digitized by Google

## CCXXIX.

### *IOANNIS MANARDI.*

*Auct. Cynthio Gyraldo.*

NOn hæc quam ſpectas claudit breuis vrna *Manardum:*
Claudere tam magnum nam breuis vrna nequit.
Eſt ipſi tumulus quidquid *Sol* lumine luſtrat,
Et quidquid magnus proluit *Oceanus.*

## CCXXX.

### *IOANNIS MORELLI EBREDUNENSIS.*

*Tetraſtichum Anaphoricum Maximiliani A Vignacuriâ.*

*GAllia : Nobilitas : Mauórſque : Camœna : Morellus.*
Præſidium : Lumen : Fulmina : Aſyla : Sacer :
Abreptum : Extinctum : Contuſa : Relicta : Cùm
Flet : Dolet : Exardet : Collacrymatur : Obit.

## CCXXXI. CCXXXII.

### *IOANNIS PASSERATII.*

*Quod ſibi ſcripſit.*

HIc ſitus eſt paruâ *Ianus Paſſertius* vrnâ
Auſonij Doctor Regius eloquij.
Diſcipuli memores tumulo date ſerta Magiſtri,
Vt vario florum munere vernet humus.
Hoc culta officio mea molliter oſſa quieſcent,
Sint modo carminibus non onerata malis.

*Idem ad Lectores.*

VEni, abij; ſic vos veniſtis, abibitis omnes.

*Alind eiuſdem.*

MHeri beatus portus hic eſt corporis,
Commune tectum, turbidæ vitæ quies:

Nemo vnde aberrat, cæca ſit licet via,
Egreditur vnde nullus ingreſſus ſemel
Neceſſitatis lege, ſed potentior
Hinc *Chriſtus* inuictum vnus extulit pedem
Ad aſtra functis liberum pandens iter.
Hâc habito tandem clauſus extremâ domu,
Vbi opes auari conditæ Ditis iacent.

*Item aliud.*

QVi ſim, Viator quæris? ipſe neſcio,
Et tu futurus tu, tamen per me ſcies:
Ego túque puluis, vmbra, & vmbræ ſomnium.

IOANNIS PICI COM. MIRAND.

*Auct. Michaële Marullo.*

OCcidis ætatis media quod *Pice* iuuentâ
Vltima S*ocratica* flenda ruina domus,
Nec vel nobilitas, vel opes, vel gratia formæ
Profuit, aut animi tot bona rara tui,
Non hoc, crede mih, naturæ iniuria matris,
Larga vel imprimis quæ fuit vna tibi.
Sed vitæ documenta hominum: quàm fluxa ſit ollis
Forma, genus, dotes ingenij, Imperia.

CCXXXIII.

IOANNIS QVELINI.

*Beza ſcripſit.*

ILle, *Calliope*, *Quelinus* ille,
Et tuus ſimul & meus *Quelinus*,
Ille, inquam, in mediâ ſenex iuuentâ
Aquis interiit miſer ſub illis,
Non quas fonte tuo hauſerat, nec illis,
Quas ſecum fluuij trahunt ſonantes:
Sed quas, dum vigiles terit lucernas,
Collectas aluit ſceleſtus hydrops.
Sic tuus periit tibi *Quelinus*,
Sic meus periit mihi *Quelinus*.

Digitized by Google

Ergo hunc, *Calliope*, fleamus ambo,
Vt illum propriis aquis peremptum,
Seruemus lacrymis, aquiſque noſtris,
Vt vincantur aquis aquæ, & putetur
Ille, qui periit mihi tibique,
Seruatus ſtudio tuo, meóque.

CCXXXIV.

# IOANNIS RAVISII TEXTORIS.

*In Sacello Collegij Nauarræi Pariſiis.*

VItæ immortalis *Textor* ſibi texere telam
Orſus erat, cretus *Palladis* arte ſacræ.
*Atropos* id ſenſit: ſed non, ait, abſque ſororum
Illa trium texi ſtamine tela poteſt.
*Textorem* ante diem extinxit mors inuida! At illi
Tela vel extincto eſt accelerata magis.

CCXXXV.

# IOANNIS SCOTI.

*Auct. Iano Vitale Panormitano.*

QVod nulli ante hominum accidit, Viator,
Hic *Scotus* iaceo ſemel ſepultus,
Et bis mortuus; omnibus Sophiſtis
Argutus magis atque captioſus.

CCXXXVI.

# IOANNIS CRATONIS MEDICI.

C*Æſaribus* vixi tribus intimus arte medendi,
Me Pater aſciuit, Filius, atque Nepos.
Quem mihi iactato das portum, *Chriſte*, quietis,
Hunc teneo, iungas dum mea membra tibi.

CCXXXVII.

# IOANNIS GALEATII VIC. MEDIOL.

*Andreas Alciatus ſcripſit.*

PRo tumulo pone *Italiam*, pone arma, Ducéſque,
Et mare, quod geminos mugit ad vſque ſinus.

Adde his Barbariem conantem irrumpere fruſtra;
Et mercede emptas in fera bella manus.
Anguifer at ſummo ſiſtens in culmine, dicat:
Quis paruis Magnum me ſuper impoſuit?

## *CCXXXVIII.*
## IOANNIS MARII CATANÆI.
*Romæ in S. Saluatoris in Regulâ.*

VIde, Viator, quanta iactura occulti
Eſſet ſepulcri, ni ingeni ſui claris
Perenniorib́ůſque monumentis tectus
Adhuc vbique viueret *Catanæus*.

## *CCXXXIX. CCXL.*
## IOANNIS MIRÆI EP. ANTVERP.
*F. Proſpero Stellartio Auguſt. Auctore.*

HOc iacet in tumulo *Muſarum* myſta, *Mineruæ*
Cor, *Charitum* carus ſplendor, odórque chori.
Plura cupis? *iacet hîc Miræus*; ſit tibi Numen
Hoc nomen, reliquum fama loquetur. Abi.

*Aliud.*

MEdulla rerum, vita diſciplinarum,
Facetiarum corculum, pietas tota,
Excelſioris arx domúſque Naturæ,
Penus ſacrorum, lampas alta Belgarum;
Æternitati natus, arbiter morum;
Si plura quæris, Hoſpes, hîc iacent plura.

*Einſdem duo Epitaphia ſolutâ oratione ſcripta refert Sweertius in Antuerpienſibus, pag. 56.*

## *CCXLI.*
## IO. ONFRÆI MEDICI ET ASTROLOG.
*Ioanne Ruxelio Auctore.*

IVnxerat *Onfræus* Medicæ cæleſtia curæ
Sidera, quæ verſant legibus ima ſuis.

Hinc rerúmque vices, venturáque fata notare
Nouerat, hinc menti præſcius ardor erat.
Mente ſed aſſiduâ luſtrans dum lucida Diuûm
Atria, per ſuperas itque reditque domos:
Hæſit in his animus regionis captus amore,
Factus & eſt ciuis qui peregrinus erat.

CCXLII.

IO. PICTORIS LARGI IN PAVPERES.

*Florentiæ dicitur extare.*

NOn mihi ſit laudi, quòd eram velut alter *Apelles*,
Sed quòd lucra tuis omnia, *Chriſte*, dabam.
Altera nam terris opera extant, altera cælo.
Vrbs me *Ioannem* flos tulit *Etruriæ*.

CCXLIII.

IO. BAPT. PLATINÆ.

*Romæ auct. Proſpero Spiriteo.*

QVi res *Pontificum* ſacras, & geſta piorum,
Quíque *Ducum* vitas nobile fecit opus:
Quíque modum docuit, quo laudet honeſta voluptas,
Et quo ne iuuenes torqueat acer amor:
Pluráque quæ longum eſt properè cenſere, Viator,
Omnia ſidereæ pignora mentis erant.
Viuit adhuc *Platina*, & quãquam conceſſerit Orco,
Nil tamen in *Vatem Parca* ſeuera poteſt.

CCXLIV.

IOANNIS STADII MATH.

*Philippo Auenellio auctore. extat hîc Pariſiis, vnde & à Canonherio bis exhibetur, tum pag. 114. tum 448. ſed quis adeò felix, vt omnium meminiſſe poſſit?*

DVm numeris cælum metitur, & ignea cæli
Sidera, perque ſuas iam docet ire vias.
Et quid ab antiquo deflexerit ordine, curſum
Quâ cieat varians quiſque Planeta, notat.

Digitized by Google

Ecce tibi ſubitò lucis malè tautus obortæ
Puluere in hoc *Stadius*, percitus igne, iacet:
Imo animus cælos notâ regione ſecutus,
Iam ſua metitur ſidera. Lector aue.

## CCXLV.
## IOBI PATRIARCHÆ.

QVi ſe, qui ſeclum vicit, qui ſæua ſuorum
Funera, amicorum iurgia, pauperiem;
Vlcera qui carnis, qui coniugis impia verba;
Qui cælum iratum mente tulit placidâ;
Indomitâ virtute *Iobum Patientia* virgo,
Iam vidua hoc ſponſum condidit in tumulo.

## CCXLVI.
## IOCTI PICTORIS.
*Ab Ang. Politiano.*

ILle ego ſum per quem pictura extincta reuixit;
Cuiquàm recta manus tam fuit & facilis.
Naturæ deerat, noſtræ quod defuit arti,
Plus licuit nulli pingere nec melius.
Miraris turrem egregiè ſacro ære ſonantem
Hæc quoque de modulo creuit ad aſtra meo.
Denique ſum *Iottus*, quid opus fuit illa referre?
Hoc nomen longi carminis inſtar erit.

## CCXLVII.
## IOVIANI PONTANI.
*Auct. Petro Myrteo.*

QVi vos ſidera clara, citrióſque
Flores, Heſperidum hortulis virentes
Verſibus cecinit laborioſis,
Pontano date ſidera alma, lymphas,
Vos horti date ſerta quæ ſepulcrum
Ornent perpetuò cadente flore,
Spargant perpetuò fluente rore.

CCXLVIII.

IOVITÆ RAPICII.

*Auctore Cornelio Amaltheo.*

STamine perpetuo tenuiſſet fila, Rapici,
Tam dulci Lacheſis carmine capta tuo.
Iupiter hanc iuſſit fatalia rumpere fila,
Vt qui olim in terris, nunc ſuper aſtra canas.

CCXLIX. CCL.

IRENES FLORENTINÆ.

*A Guillelmo Modicio.*

MVſarum comes *Irene*, comes atque *Mineruæ*
Hîc iacet Italidum dulce puella decus.
Ingenium, formam, mores vt vidit, & artes
Gens *Etruſca*, ferè credidit eſſe Deam.
Hanc, bis vt octauum miſerabilis attigit annum,
Suſtulit humanis inuida *Parca* bonis.
Floribus *Irenes* decoret lacrymiſque ſepulcrum;
Quiſquis amat Muſas, Pallada quiſquis amat.

*Alterum eiuſdem alteriuſue Irenes Epitaphium leges Horti pag. 504.*

CCLI.

ISABELLÆ DVCIS MEDIOLANI.

HIc *Iſabella* iacet centum ſata ſanguine Regum,
Quâ cum maieſtas *Itala* priſca iacet.
Sed quæ luſtrabat radiis regalibus orbem,
Occidit, inque alio nunc agit orbe diem.

CCLII.

IVLIÆ G.

*A Cæſare Duccho Brixiano.*

HÆc quæ nuper erat pulcherrima conditur, inque hoc
Conduntur tumulo *Iuno, Minerua, Venus*.
Hic tela, hic ignes, arcúſque *Cupidinis*, ingens
Et decus & ſanctæ norma pudicitiæ.

T

Digitized by Google

Aduena qui tranſis luge & ſimul aſpice: namque
Quæ nihil eſt Orbis gloria, nuper erat.

CCLIII.

IVLII COSSI CARD.

*Romæ in S. Maria Tranſpontinâ.*

IVlius hic tegitur *Coſſus Romanus* in vrnâ
Cui roſeus ſacro vertice fulſit apex.
Quo viuente olim victricis gloria Romæ
Viuere viſa fuit, quo moriente mori.

CCLIV.

IVLII CÆSARIS.

*Auct. Hippolyto Capilupo.*

QVi modò inauratis *Capitolia* ad alta quadrigis
Vectus, & *Eoos* rexit & *Heſperios*.
Ecce cadit *Cæſar* transfoſſus pectora ferro;
Et ſimul è dextra ſceptra ſuperba cadunt.
Vmbra ſumus. Cui vix fuerat ſat maximus Orbis,
Nunc huius cineres paruulus Orbis habet.

CCLV.

IVLII POMPONII.

*A Ioniano Pontano.*

POmponi tibi pro tumulo ſit laurea ſilua:
Oſſa maris rores, myrteáque vmbra tegant,
Téque tegant, artúſque tuos violæque, roſæque,
Ver halet, Zephyros ſpiret & ipſe cinis.
Stillet & ipſe cinis, quas & *Parnaſſus*, & antra
*Theſpia*, & ipſa ſuas *Aſtra* miniſtrat aquas.

CCLVI.

IVLII SCALIGERI.

*Quod ipſe ſibi conſcripſit: extat Aginni Nitiobrigum ad Garumnam.*

EXtulit *Italia*: eduxit *Germania*: *Iuli*
Vltima *Scaligeri* funera *Gallus* habet.

Digitized by Google

Hinc *Phœbi* dotes, hinc duri robora *Martis*
 Reddere non potuit nobiliore loco.

CCLVII. CCLVIII. CCLIX.

IVSTI LIPSII.

*Quod ſibi ipſe ſcripſit. Viſitur Louanij in æde D. Franciſci.*

QVis hic ſepultus, quæris? Ipſe edifferam.
 Nuper locutus & ſtilo & linguâ fui;
Nunc altero licebit. Ego ſum *Lipſius*:
Cui literæ dant nomen & tuus fauor.
Sed nomen, ipſe abiui, abibit hoc quoque:
Et nihil hic orbis, quod perennet, poſſidet.
Vis altiore voce me tecum loqui?
Humana cuncta fumus, vmbra, vanitas,
Et ſcenæ imago, & verbo vt abſoluam, Nihil.
 Extremùm hoc te alloquor:
 Æternùm vt gaudeam tu apprecare.

*Iuſtus Lipſius vixit annos* LVIII. *menſes* V.
*Obijt anno Chriſtiano* CIↃ. IↃCVI. X. *Kal. April.*

*Lapidis Sepulcralis Inſcriptio In dicta vrbe & æde.*

IVſti Lipſij quod claudi potuit, hic iacet. S. P. Q. Antuerp. inclyti viri famæ orbi notæ; virtuti cælo receptæ, H. M. P.

*Eiuſdem alterum.*

SI ſimplex animi candor, ſi neſcia fuci
 Integritas ſimiles nos facit eſſe Dijs.
Nemo te propius *Lipſi* ſe æquabit Olympo,
 Nam te candidior nemo, nec integrior.

*Eiuſdem Lipſii.*

NEmo te lacrymis, *Lipſi*, neque laudibus ornet.
 Non lacrymæ, at plauſus funera ſancta decent.
At qui te laudare volet velut *Icarus* alter
 Nominis Oceano mergitur ille tui.

*Hic paullò ante mortem Pennam argenteam Halliæ ante B. Mariæ Virginis aram ſuſpendit cum hoc Epigrammate.*

HAnc, *Diua, Pennam* interpretem mentis meæ,
Per alta ſpatia quæ volauit ætheris,
Per ima quæ volauit & terræ & maris:
Scientiæ, prudentiæ, ſapientiæ
Operata ſemper: auſa quæ *Conſtantiam*
Deſcribere & vulgare, quæ *Ciuilia*,
Quæ *Militaria* atque *Poliorcetica*,
Quæ *Roma* magnitudinem adſtruxit tuam;
Variáque luce ſcripta priſci ſeculi
Affecit & perfudit: hanc *Pennam* tibi
Nunc *Diua*, meritò conſecrauit *Lipſius*.
Nam numine iſthæc inchoata ſunt tuo.
Et numine iſthæc abſoluta ſunt tuo.
Porrò ô benignitatis aura perpetim
Hæc ſpiret! & famæ fugacis in vicem,
Quam penna peperit, tu perenne gaudium
Vitámque, *Diua*, *Lipſio* pares tuo.

CCLX.

*IVSTI VVLTEII VVETERANI.*

*Marpurgi in cœmet. ad S. Michaëlem.*

QVid ſum? quis? qualis? quantus? quotus? vnde? quibuſue
Ortus auis? quorſum tendo? quibúſue viis?
Vermis: homo: malus: exiguus: poſtremus: ab imo:
Talibus & cretus: nitor in aſtra: fide.

CCLXI.

*LADISLAI REGIS.*

*Auctore Actio Sincero Sannazario.*

MIraris niueis pendentia ſaxa columnis
Hoſpes, & hunc, acri qui ſedet altus equo,

Quid ſi animos, robúrque *Ducis*, præclaraque noſſes
Pectora, & inuictas dura per arma manus?
Hic *Capitolinis* deiecit ſedibus hoſtem:
Biſque triumphans victor ab vrbe redit.
*Italiámque* omnem bello concuſſit & armis:
Intulit *Etruſco* ſigna tremenda mari.
Néue foret *Latio* tantùm diademate felix,
Ante ſuos vidit *Gallica* ſceptra pedes.
Cúmque rebellantem preſſiſſet pontibus *Arnum*,
Mors vetuit ſextam claudere Olympiadem.
I nunc, regna puta, faſtúſque attolle ſuperbos:
Mors etiam magnos obruit atra Deos.

CCLXII.

*LÆLII CAPILVPI BENED. F.* *Mantua.*

M*Antua* te, *Læli*, merito ſe iactat alumno.
Nam *Maro* quæ ſonuit, tu quoq; voce ſonas.
Et tua ſint quamuis ex omni parte *Maronis*
Carmina; non eadem, quæ canit ille, canis.
Non igitur mirum ſi te modo *Mantua* ademptum
Certatim ſpargit floribus, & lacrymis.
*Ob. anno* M. D. LXIII. *Ian. Vixit annos* LXII. *dies* XV.

CCLXIII.

*LANCELOTI CARLÆI EP. REIENSIS.*

*Auctore Amboeſio.*

SI fontes, mendax docuere vt turba *Poëtæ*,
*Hippocrenæos* vngula fecit equi;
Quo Vates fletus lacrymáſque reconditis alueo,
*Carlæo* extincto quas dedit alma cohors?
Ipſa fidem nouitas habeat: quid enim vetat? vnda
Hinc orta aut certè *Caſtalis* aucta fuit.

CCLXIV. *LAODAMIÆ.*

*Auct. Petro Angelio.*

VIta fuit mea nata breuis tibi; cum tamen eſſet
Dignior in terris viuere forma diu.



Digitized by Google

Sic iniuſta tibi iuſtos, quos abſtulit, annos
Mors addet lacrymis, *Laodamia*, meis.

## CCXLV.

## LATINI VECCIÆ.

*Auct. Ludouico [illegible]arolo.*

ROmano priſcos æquas dum *Marte Latinos*
*Romanâ* ante annos morte, *Latine*, cadis.
Sed moriens, bello exemplum, morti addis honorem,
*Romanus* factis, morte, animo & genere.

## CCLXVI. CCLXVII. CCLXVIII. CCLXIX.

## LAVRÆ NASIÆ TAVRIN.

*Auctore Franciſco Amboeſio.*

DE *Veneris* nato triplicem rediuiua triumphum
Triplex *Laura* refert; & qui tibi cauſa fuere
Heu! triplicis fati, triplicis quoque cauſa triumphi,
Et triplicis vitæ, triplicis famæque fuere,
*Phœbus*, *Petrarcha* & *Taurini* cauſa iuuentus.

*Aliud auctore Io. Franc. Apoſtolio.*

VT *Lauram* vidit mors effera falce peremptam,
Majus, ait, noſtro quæ Dea numen habet?
Concidit hoc ictu *Pallas*, *Diana*, *Venúſque*,
Concidit & quidquid pulcrius orbis habet.

*Aliud eodem Auctore, vt omittam cætera.*
*Vide Delicias Ranutij Gheri.*

I*Vno*, *Venus*, *Charites*, *Phœbus*, *Diana*, *Minerua*,
Relligio, Pietas, *Theſpiadúmque* chorus,
Forma decens, & recta Fides, Clementia, celſi
Gloria *Taurini*, Virginitatis honos,
Conduntur tumulo, quid prodeſt dicere, in iſto?
Hoc tumulo, ſatis eſt dicere, *Laura* iacet.
Aurea *Laura* lyrâ Tuſci notiſſima Vatis,
In *Laruam* verſa eſt pallidulam, horridulam.
Eſt modò qui supereſt formoſo è corpore puluis,
Nil à deformi puluere diſtat auus.

Digitized by Google

I, Virgo, & formam iacta, quæ lubrica fallit,
Et ſimul ac ſurgit, non reditura cadit.

*Ad Petrarcham de ſua Laurâ. P. Thomas.*

ALterius *Daphnes* formâ vreris alter *Apollo*,
Nec fide tu inferior, nec tua caſta minùs.
At periit *Daphne* mutato corpore; contra
Æternùm viuit carmine *Laura* tuo.

CCLXX.

LAVRÆ COMITÆ.

*Auct. Michaële Marullo.*

HAs lacrymas tibi *Laura* damus triſtiſſima dona,
Sed tamen heu! mœſtis debita funeribus:
Funeribúſque tuis, & noſtro *Laura* dolori,
Nulla licet mutæ gratia ſit cineri.
Heu vbi flos ille oris! vbi decor! abſtulit eheu!
Abſtulit in cineres & dedit hora nocens.
At non & noſtras lacrymas dedit: accipe amantis
Quod ſupereſt, lacrymas accipe acerba cinis.
Hic animum ſenſúſque meos tibi *Laura* ſacramus:
Quâ licet extinctum nunc quoque parte ſequar.

CCLXXI.

LAZARI BONAMICI.

*Patauij in Baſilica D. Io. Bapt.*

QVantum ager *Arpinas Ciceroni*, atque inclyta quantum
*Palladis* vrbs debet *Socratis* ingenio:
*Baſſani*, & *Pataui* debent tibi mœnia tantum
*Lazare*, quando illis vnus vtrumque refers.

CCLXXII. LEONIS ALBERTI.

*A Iano Vitale.*

ALbertus iacet hic *Leo*, Leonem
Quem *Florentia* iure nuncupauit:
Quòd Princeps fuit eruditiorum,
Princeps vt Leo ſolus eſt ferarum.



Digitized by Google

CCLXXIII.

LEONIS STROZZÆ.

*Ioachimo Bellaio auctore.*

HAud iaceo anguſtâ magnus *Leo* conditus vrnâ:
Non bene tam magnum tam breuis vrna capit.
Nec me terra capit: terrâ ſed gloria maior
Iam certum nautis ſidus ad aſtra vehit.
Vtque meas quondam latè tulit vnda carinas,
Sic iuuat immenſi nunc maris eſſe Deum.
Ergo age, qui noſtris ſuccedes lætus habenis,
Iam facilem tutus per mare carpe viam.

CCLXXIV.

LEVCIÆ PVELLÆ.

*Franc. Franchinus hoc & alia plura.*

QVem tumulum ſpectas humilem ne ſperne Viator,
Exigui non eſt nominis hic tumulus.
Huc ades, & manibus violas, & lilia plenis,
Da tumulo, tumulis munera danda ſacris:
Hic vna integitur *Charitum*, ſi credere durum eſt:
Aſpice, namque duæ ſunt reliquæ in lacrymis.

CCLXXV.

LILII GIRALDI.

*Ferrariæ in ſummo Templo.*

QVid, Hoſpes, aſtas? Tymbium
Vides *Gyraldi Lilij*,
Fortunæ vtramque paginam
Qui pertulit, ſed peſſimâ
Eſt vſus alterâ, nihil
Opis ferente *Apolline*.
Nil ſcire refert amplius
Tuâ aut ſuâ: in rem tuam abi.

## CCLXXVI.

### *LVCÆ GAVRICI ASTROLOGI,*

*A Iulio Caſare Scaligero.*

POſt leges cæli varias, adſcriptáque mundo
  Fœdera; poſt ſuperis reddita iura Deis;
Quem vix ſiderei ingentem cepere receſſus;
  Hoc, Hoſpes, modico limite terra tegit.
Viuere dignus erat ſemper: ſed vita futuris
  Auctior æterno lumine vita fuit.

## CCLXXVII.

### *LVCIÆ MARTIÆ PONTANI F.*

*Ipſe pater ſcripſit.*

LIquiſti patrem in tenebris, mea *Lucia*, poſtquam
  E luce in tenebras filia rapta mihi es.
Sed neque tu in tenebras rapta es, quin ipſa tenebras
  Liquiſti, & medio lucida ſole micas.
Cælo te nata aſpicio. Num nata parentem
  Aſpicis? An fingit hæc tibi vana pater?
Solamen mortis miſeræ, te nata ſepulcrum
  Hoc tegit, haud cineri ſenſus ineſſe poteſt.
Siqua tamen de te ſuperat pars, nata, facere
  Felicem quòd te prima iuuenta rapit.
At nos in tenebris vitam luctúque trahemus:
  Hoc pretium patri, filia, quòd genui.

## CCLXXVIII.

### *LVCILII BEMBI FILII.*

*Scripſit Petrus Bembus.*

O Multùm dilecte puer, quæ dura parenti
  Fortuna inuidit te ſupereſſe tuo?
Quam producebam lætus te ſoſpite vitam,
  Erepto peior morte relicta mihi eſt.

## CCLXXIX.

### LVCILII FRANC. PONTANI F.

*Anus Iouianus Poſuit.*

LVcili tibi lux nomen dedit, & dedit ipſa
Mater Stella tibi ſtelláque lúxque ſimul.
Eripuit nox atra, nigræ eripuere tenebræ,
Vixiſti vix quod littera prima notat?
Hóſne dies, breue támne tibi lux fulſit, & auræ
Maternum in nimbis ſic tenuere iubar?
Infelix fatum! puer heu male felix! heu quòd
Nec puer es, nec lux, nec quid inane! quid es?
Floreat ad pueri tumulum Ver, halet & vrna
Lucili, & cineri ſpiret inuſtus odor.

*Dies L. non impleſti fili. O breue naturæ ſpecimen, æternus parentum mœror & deſiderium.*

Has *Luci* tibi & inferias & munera ſoluo
Annua vota pijs, heu mihi! cum lacrymis,
Hæc Luci tibi & ad tumulos poſitúmque feretrum
Dona pater multis diluo cum lacrymis.
Hæc dona inferiaſque, heu, heu! hunc, nate, capillum
Incanáſque comas accipe, & has lacrymas.
His lacrymis, his te inferijs, hoc munere condo.
Nate, vale æternum, ô! & valeant tumuli.
Quin & hient tumuli, & tellus hiet, & tibi meme
Reddat, & vna duos vrna tegat cineres.

## CCLXXX.

### LVCRETIÆ INFANTIS.

*Ab Hercule Strozâ.*

INuitæ abſciderant tua fila, Lucretia, Parcæ,
Dum celeri properant ducere penſa manu.
Cúmque eadem vellent ſubito connectere nodo,
Quod ſemel abſciſſum eſt, Mors ait, atra, meum eſt.

Digitized by Google

## CCLXXXI. CCLXXXII.

## LVDOVICI ARIOSTI POETÆ.

*Ferrariæ ad D. Benedicti inquit Nathan Chytræus, at Suuertius apud Carmelitas.*

HEic *Arioſtus* eſt ſitus, qui Comico
Aureis theatri ſparſit vrbanas ſale:
Satyráque mores ſtrinxit acer improbos.
*Heroa* culto qui *furentem* carmine,
*Ducúmque* curas cecinit atque prælia.
Vates coronâ dignus vnus triplici.
Cui trina conſtant, quæ fuere vatibus
*Græcis, Latinis* atque *Hetruſcis* ſingula.
Eſt & alterum in Templo Cathedrali

## CCLXXXIII. CCLXXXIV.

## LVDOVICI BLOSII LÆTIENSIS ABBATIS. *In Hannoniâ.*

HOc tegitur tumulo claris natalibus ortus
*Bloſius, Hannonij* gloria prima ſoli.
Abbatum decus, & doctorum gemma virorum,
Nobilis eloquio, ſed pietate magis.
Solum oppreſſorum dixiſſes eſſe parentem
Tantâ erga cunctos ſedulitate fuit.
Conſcripſit libros, caſtæ plenos pietatis
Saxea qui lecti corda mouere queant.
*Angelicos* inter cœtus vt viuere poſſit,
Fac, lector, fundas vota, preceſque, *Deo.*

*Alterum.*

GRadum, Viator, ſiſte, cineris temnere
Noli ſacrum, aut tranſire ſiccis hic genis.
Ille, ille *Lætienſis Abbas Bloſius*,
Miraculum orbis, hoc iacet ſub marmore.
Qui vt cyclicam eruditionem abſoluerat,
Ita omnium virtutum apex fuit, canon
Calcarque aliis ad omne pietatis genus,

Namfuit egenis diues & pauper ſibi,
Ratus datas opes ſibi à Deo, eſſet vt
In membra *Chriſti* promus & condus. Libros
Pietate grauidos edidit quamplurimos
Quibus Deum illuſtrat, docetque proximum.
Poſt tot labores, tanta poſt certamina;
Fac, Lector, eius adprecere *Manibus*,
Inter choros vt conquieſcat *Cælitum*.

*CCLXXXV.*

LVD. CÆLII RHODIGINI.

*Auctore Cælio Calcagnino.*

LVdouicus ille *Cælius*, domi ac foris
Græcè Latinéque omnium doctiſſimus;
Viuet perennis: quódque paucis contigit,
Vixit, ſuæque æternitati interfuit.

*CCLXXXVI.*

LVDOVICI HVNGARIÆ REGIS.

*Auct. Cælio Calcagnino Ferrarienſi.*

REx ego *Pannoniæ Ludouicus* fortiter vrgens
*Turcarum* Regem fortiter occubui.
Nec graue pro Regno, fateor, cecidiſſe putaui;
Sed graue cum Regno me cecidiſſe meo.

*CCLXXXVII.*

LYCORIDIS PVELLÆ.

*Auct. Io. ſecundo Hagienſi.*

MIlle procos habuit, contempſit mille *Lycoris*,
Pacta fides vni ne violata foret.
Vni fida viro cantetur mi lle Poëtis,
Viuat & in canis inclyta marmoribus.

*CCLXXXVIII*

MAFFÆORVM GEMELLORVM

*Romæ.*

VNa dies animò ſimiles vultúque gemellos,
Vna dies fecit funere diſſimiles.

Digitized by Google

Æmula ſed noſtræ fuerint cum fata iuuentæ
Vna meos cineres condet & vrna tuos.

CCLXXXIX.

*MAGDALENÆ FRANCICÆ*

Scotiæ Reg.

IN me ſpectarunt totas expromere vires
Natura & virtus, gloria, mórſque ſuas.
Eſſe bonam virtus tribuit, natura decoram,
Eſſe breuis vitæ mors truculenta dedit.
Eripuit morti viuacem gloria famam,
Vt penſet vitam perpete laude breuem.
*Regia* eram coniux, & *Regis* filia, neptis
*Regia*, ſpe & votis *Regia* mater eram:
Sed ne tranſgrediar mortalis culmen honoris,
Inuida mors hîc me condidit ante diem.

CCXC.

*MALATESTÆ CARBONESII,*

*Auctore Philippo Beroaldo.*

CVi formam *Cytherea Venus*, *Charitéſque* decorem,
Singula cui ſuperi dona dedere *Dei*.
Hîc ſitus eſt fato raptus *Malateſta* procaci,
Qui nondum quinas implet Olympiadas.
Non aurum, non forma valet, nec floſculus æui,
Votáque lanificas exuperare *Deas*.
Hunc genitor deflet, gens *Carboneſia* luget,
Hunc mœrent iuuenes, hunc pia turba ſenes.

*Scripſit & alterum verſibus Hendecaſyllabicis idem Philippus Beroaldus.*

CCXCI.

*MANILII MARVLLI.*

*A filio Michaele.*

FLens primùm has auras hauſi puer, omine diro
Flebilis ereptâ vita fuit patriâ.

Nunc quoque flens morior, ne quid non flebile reſtet:
Hæc eſt humani conditio generis.

## CCXII.

### MARCI ANTONII MVRETI.

*Iulius Roſcius P. Romæ in ſancta Trinitatis in collibus Hortulorum.*

HIc *Marti* caros cineres *Roma* inclyta ſeruat,
Quod patria optaſſet *Gallia* habere ſinu.
Stat colle hortorum, tumulus ſtat proximus aſtris,
Quæ propiùs puro contigit ille animo.
Tu ſacros latices lacrymans aſperge Viator,
Et dic, heu! linguæ fulmina fracta iacent.

## CCXCIII.

### MARCI GRYBBIÆ.

*Patauij.*

SI vel nobilitas, vel opes, probitáſque, fidéſue,
Prima vel immunis morte iuuenta foret:
Qui iacet hic, longos ſuperaſſet *Neſtoris* annos,
Conditus anguſtâ *Grybbia Marcus* humo.
Sed quod cuncta rapit nulli euitabile fatum,
Si tuus es hodie, cras meus, inquit, eris.

## CCXIV.

### MARENTII MVSICI.

*Auct. Bandino Gualfreduccio S. I.*

DVplex *Arion, Thracius* duplex *Orpheus*,
*Linúſque, Phryxque* cantor, & triplex *Siren*,
Omnes lepores, mella, ſuauitas, nectar:
Quidquid probaſtis Principes, patres, Mundus,
Marentius hic eſt, vnus omnia & fumus.
*Scripſit & alia duo longiora quæ omittimus*

## CCXCV.

### MARIÆ IARSIÆ GORNÆÆ.

*Sepulta eſt in Templo S. Euſtachij Pariſiis.*

ILla ego ſeruato Virgo veneranda pudore,
Victuræ ſobolis *Iarſia* facta parens.
Próque colo calamum tractare viriliter auſa,
Priſcáque fœmineâ voluere ſcripta manu.
Hoc condor tumulo maturâ morte ſoluta,
Quæ poſt bis denas venit olympiadas.
Deſinite, ô noti, tumulis decorare ſepulcrum,
Namque mihi libri ſunt monimenta mei.

## CCXCVI.

### MARIÆ CERARIÆ.

*Leodegario à Quercu auctore.*

QVòd modò non ſoli mortales funus ob iſtud
Mutarint veſtem, vultum, habitum, ingenium:
Sed gemat alma *Ceres*, ſed ploret caſta *Diana*,
Sed plangant *Muſæ*, ſed doleant *Charites*:
Sed ſit *Mercurius* triſtis, ſit mœſtus *Apollo*,
*Iuno* irata, *Venus* percita ſit furijs:
Dilaceret libros *Pallas*, *Mars* ſpicula, *Bacchus*
Crateres, *Nymphæ* carmina, *Pan* calamos:
Et ſit vbique dolor, quantum nulla audijt ætas,
Quantum non etiam poſtera ſecla ſcient,
Ne mirere: etenim perijt Diuûmque, hominúmque
Delitium: perijt, heu! muliebre decus.
Florens ingenio, formâ, virtute, iuuentâ,
Nomine, fortunâ, nobilitate, viro.
Nec tamen hiſce bonis potuit mors inuida flecti,
Nec precibus ſuperûm, nec lacrymis hominum.
Vt diſcant omnes, eſſe omnia ſubdita morti:
Nam ſumus vmbræ omnes, fabula, terra, nihil.

Digitized by Google

## CCXCVII.

## MARIÆ PVLLANÆ ROSELLÆ.

*Io. Ruxelio auctore.*

HAc *Mariæ* cinis eſt *Pullanæ* conditus vrnâ,
Marmoreis titulis dignus & ære cinis.
Moribus expreſſit veteres *Pullana Sabinas*,
Omnis ei priſcâ eſt vita peracta fide.
Poſt triplices thalamos, ſed prole ſuperſtite nullâ,
In viduo moritur iam diuturna toro.
Prolis inops, ſed opum diues, dum viuit, egenos
Curat, dum vitam finit, egere vetat.
Eſt alijs cenſus facilem qui pandat Auernum,
Huic facilem cenſus pandit ad aſtra viam.

## CCXCVIII.

## MARIÆ ET FILIOLÆ MAGDALENÆ.

*Viennæ ad Danubium in Cœmeterio nouo.*

FIda hic *Penelope, Lucretia* caſta, *Minerua*
Ingenioſa, *Charis* quarta ſepulta iacet.
Cui *Deus*, & Coniux, ſoboles, acus, ara, focuſque,
Fama, Fides, Virtus maxima cura fuit.
Scilicet *Hannolti* dilecta *Maria* mariti,
Anteà mellitus, nunc peramarus amor.
Quæ ceu viua viro fuerat ſpes certa, voluptas
Summa, animi requies, lux, columénque tori.
Sic eadem viduo nunc eſt mors lenta, dolorum
Fons, animi anxietas, vmbra, ruina domus.
Sponſa bis, & ter facta parens, ſemel orba, triginta
Nata annos, natam cum peperiſſet, obit.
Heu dolor! Octobris matrem lux nona peremit,
Mox duodena infans vix triduana cadit.
Hîc ſancta oſſa cubant; animæ ſuper æthera viuant,

Expectant.

Digitized by Google

Expectantque patrem filiola, vxor herum.
Sic roſa manè viret, mox aret, & interit, & ſic,
Qui fuit ignis heri, cras cinis eſſe poteſt.

## CCXCIX. CCC.
## MARITI ET VXORIS,
*Qui vno die nati eodem etiam defuncti ſunt.*

VNa dies Natalis erat, fatalis eiſdem:
Attulit Alba duos, abſtulit Atra duos.
Ambo felices tumulo conduntur in vno,
Felices vno qui iacuere toro.

*Alterum Romæ.*

HIc iaceo ſanctum dederat cui *Gratia* nomen,
Oſſibus eſt vxor contumulata meis.
Vita duos olim tenuit concorditer vna,
Vna quoque extinctos occulit vrna duos.

## CCCI.
## MARTINI DORPII.
*Louanij auctore Eraſmo.*

MArtinus vbi terras reliquit *Dorpius*,
Suum orba partum flet parens *Hollandia*,
Theologus ordo luget extinctum decus,
Triſtes *Camœnæ* candidis cum *Gratijs*
Tantum patronum lacrymis deſiderant:
*Louanienſis* omnis opplorans ſchola
Sidus ſuum requirit, ô Mors, inquiens,
Crudelis, atrox ſæua, iniqua & inuida,
Itan' ante tempus floridam arborem ſecans
Tot dotibus, tot ſpebus orbas omnium
Suſpenſa vota? Premite voces impias:
Non perijt ille, viuit, ac dotes ſuas
Nunc tutò habet, ſubductus æuo peſſimo.
Sors noſtra flenda eſt, gratulandum eſt *Dorpio*.
Hæc terra ſeruat mentis hoſpitium piæ

V

Corpuſculum, quod ad canoræ buccinæ
Vocem refundens optimâ reddet vice.

CCCII.

## MARSILII FICINI.

*Florentiæ in S. Laurentij.*

EN Hoſpes hîc eſt *Marſilius* Sophiæ pater,
*Platonicum* qui dogma culpâ temporum
Situ obrutum illuſtrans, & *Atticum* decus
Seruans, *Latio* dedit, fores primus ſacras
Diuinæ aperiens mentis actus numine.
Vixit beatus ante *Coſma* munere
*Laurique Medicis*. Nunc reuixit publico.

CCCIII.

## MATTHÆI VESENBECHII I. C.

*Quod ſibi poſuit.*

BElgis prognatus, *Germanis* doctor in oris
Conficio ſpatium peregrinæ flebile vitæ.
Dum veram vocor in patriam, quæ ſanguine parta eſt
*Chriſte* tuo, tu me poſt funera, Magne Sacerdos,
Suſcipe, & extremæ ſubduc diſcrimine luctæ.
Mors tua vita mea eſt, tu debita lytra parenti
Soluiſti, moriens vt per te viuere poſſem.
Hâc ergo fretus ſpe non dubitante recondar
In mortem, dux *Chriſte*, tuam, quæ ianua vitæ eſt,
Vt tecum moriens, tecum, ô mea vita, reſurgam.

CCCIV.

## SS. MEDARDI ET GILDARDI PRÆSVLVM.

*Quos fama refert eodem die natos denatóſque: Licet falſum ſit quod de eodem anno alij addunt.*

VNa dies peperit, Mitras dedit altera, Mortem
Altera, & in Sanctos lectus vterque fuit.

Digitized by Google

Felices fratres quorum communis Origo,
  Vita, Corona, Obitus, Gloria, Feſta, Dies.

CCCV.

*MELCHIORIS PORTHINI.*

*Viennæ Auſtriacæ in templo Auguſtinianorum.*

MElchior in magni *Porthinus Cæſaris* aulâ
  Conſilio, & iuris clarus honore fuit.
Et ſua viuit adhuc poſt funera, nominis extat
  Gloria, mens cælo reddita, corpus humo.

CCCVI.

*MELLINI SANGELASII.*

*Auctore Ioachimo Bellaio.*

SEpultus, Hoſpes, hîc iacet *Gelaſius*,
Pater lepôris & ioci *Gelaſius*.
Simúlque grande ſeculi decus ſui,
Ab ore cui fluebat *Atticum* melos.
Diſertus idem, & eloquens, probus, pius,
Ciere doctus aureæ ſonos chelys:
Notare cautus ignei faces poli:
Iuuaret vt bonos, bonus parùm ſibi.
Quid ampliùs, morórue quid diutiùs?
Sepultus, Hoſpes, hîc iacet *Gelaſius*,
Pater lepôris & ioci *Gelaſius*,
Simúlque grande ſeculi decus ſui.

CCCVII.

*MICHAELIS HALLERI CAN.*

*Quod viuus monumento adſcribi voluit referente Sunertio.*

SVm tuus in vitâ, tua ſunt mea funera, *Chriſte*,
  Da precor imperij ſceptra videre tui.
Cur etenim moriens tot vulnera ſæua tuliſti,
  Si non ſum regni portio parua tui?
Cur rigido latuit tua vita incluſa ſepulcro,
  Si non eſt mea mors morte fugata tuâ?

Ergo mihi certam præſtes, ô *Chriſte*, ſalutem;
Ergo tuo lotum ſanguine, *Chriſte* iuues.
Sanguinis vna tui poterit nos gutta beare,
Deprecor hoc ſupplex, ne mihi *Chriſte* neges.

CCCVIII.

*MICHAELIS MARVLLI TARCHANIOTÆ.* *Antonio Tebaldeo auctore.*

HIc ſitus eſt citharâ celebris gladióque *Marullus*,
Qui *Tuſco*, heu facinus! liquit in amne animam.
*Neptune* immitis! meruit ſi mergier ille,
Mergier *Aonio* flumine debuerat.

CCCIX.

*MICHAELIS VERINI.*

*Angelo Politiano tribuitur.*

VErinus *Michaël* florentibus occidit annis,
Moribus ambiguum maior, an ingenio.
Diſticha compoſuit docto miranda parenti,
Quæ claudunt gyro grandia ſenſa breui.
Sola Venus poterat lento ſuccurrere morbo,
Ne ſe pollueret, maluit ille mori.
Sic iacet heu patri dolor & decus, vnde iuuentus
Exemplum, vates materiam capiant.

CCCX.

*MONTANI DVCIS.*

*Auct. Sceuola Sammarthano.*

MOenibus egreſſum infeſtis dũ perſequor hoſtẽ,
Plumbeolo lethum venit ab orbe mihi.
Sed me hinc vita manet magnũ celebranda per orbem.
Quique orbis damnum ſarciat, orbis erit.

CCCXI.

*MONTANI MEDICI.*

*Auctore Hier. Fracaſtorio.*

DVm medicâ, *Montane*, doces ope vincere fata,
Et Lacheſi inuitâ viuere poſſe diu.

Digitized by Google

*Lethæo* indignans preſſit te *Parca* ſoporê,
Et ſecuit vitæ grandia filà tuæ.
Sic animas, & tu *Aſclepi*, dum ſubtrahis *Orco*,
Te quoque ſæuorum perdidit ira *Deûm*.

CCCXII.

MVLIERIS IGNOTÆ.

*Quæ Patrem ſeruauit antequam pareret.*

*Auct. Antonio Thebaldeo.*

SEruatura Patrem ſtrictis ſeſe enſibus offert,
Iam paritura ſemel, iam peritura parens.
Infans percuſsâ illæſus forte exit ab aluo,
Fata haud paſſurus Matris inulta ſuæ.
Iſta ſuum hæredem pietas habet: haud peritura eſt,
Tam bene quæ perijt, tam bene quæ peperit.

CCCXIII.

MVLTORVM VNA SEPVLTORVM.

*Bruxellæ in D. Gudula.*

FVere, Lector, hi quod es,
Et mox, quod hi ſunt, ipſe eris.
O dura ſors mortalium!
Hæc *Parca* parcit nemini.
O cæcitas mortalium!
Hæc cura tangit pauculos:
Te tangat, ô te, ſi ſapis:
Mori ante mortem cogita.
*Piè apprecare iſtic ſitis,*
*Precentur alij ſic tibi.*

CCCXIV.

MVSICI GVILLELMI PVNTERI.

ÆThereos inter ciues animáſque beatas
*Punterus* ſummum iam canit ante *Deum*.
Gratus erat terris, viuendo, legendo, canendo;
Cælo nunc viuit, nunc legit, atque canit.



Digitized by Google

Sic tribus ille locis ſupereſt, ſunt namque repoſta
Clauſtris oſſa, choro laus, animúſque polo.

## CCCXV.

## NEÆRÆ.

*Auct. Sannazario libro 1. Epigr.*

QVæ voces? *Charitum*. Quæ circum pompa? *Neæra*.
Vnde odor hic? Cineri thura miniſtrat *Amor*.
Vnde pyra? ex Pharetrâ. Quinam ſtruxere, *Lepôres*.
Aſt hæc illacrymans quæ legit oſſa? *Venus*.
Fortunate lapis; tumulóque beatior omni,
Tu tegis in terris ſi quid honoris erat.

*Dialogicis annumerari debuerat, vt vides, ſed neſcio quo fato excidit.*

## CCCXVI. CCCXVII.

## NICOLAI BEZÆ SEN. PARIS.

*Auct. Theodoro Bezâ, in Eccl. SS. Coſmæ & Dam.*

MArmoreas, Lector, nullas hic ſtare columnas
Æra nec artificis viuere iuſſa manu:
Nec tumuli cernes operoſam ſurgere molem,
Qualia *Mauſôli* fama ſepulcra canit.
Scilicet hos titulos, hos quærere debet honores,
Qui nil, quo meliùs nobilitetur, habet.
Hic autem magni quondam pars magna Senatus,
Aut nullo, aut ſolo *Beza Catone* minor.
Quem ſic eripuit virtus ter maxima morti,
Vt fatis viuat poſthumus ipſe ſuis.
Cur tandem è tumulo famam nunc captet inanem,
Illi quem viuo vita peracta dedit?
Imò, ſi verum fas nobis dicere, ſed fas,
Dignus qui tumulo non tegeretur erat.

*Alterum.*

SIt licet exigua, atque humilis, quam cernitis, vrna,
Clauſa tamen magni continet oſſa viri.

Officijs, meritiſque omnes qui vicit, & vltro
Cuncta ſuis moriens dat ſua, ſéque *Deo*.

## CCCXVIII.

## NICOLAI BORBONII.

*Auctore R. P. Ioanne Henrico Auberio S. I.*

B*Orbonium* rapuit mors importuna *Poëtam*,
Qui Magnum induerat pectore *Virgilium*.
Tam ſapit húncque refert diuino carmine, vt ipſum
*Virgilium*, longè qui fuit ante, putes.
Iam mihi, *Panthoïde*, fas ſit tibi credere: pulſas
Corporibus rurſum corpora inire animas.
Mens tibi *Virgilij* quæ corpore fluxerat olim,
Hoſpes *Borbonij* pectoris ipſa fuit.
Fata vtinam morienti animam exſuxiſſe dediſſent,
Tertius audirem nunc quoque *Virgilius*.

*Is verò Auberius eſt cui Sereniſſimi Principis Henrici Borbonij Condæi in Narbonenſem Galliam Iter Heroïcâ tubâ decantanti occinuerunt viri doctiſſimi.*

Prælia qui fecit *Princeps*, eſt alter *Achilles*:
Prælia qui cecinit carmine, *Mæonides*.
Generoſa facta carmine & doctor, & graui
Mirabere ſcripta quiſquis hæc; æquum ſcias,
Vt geſta *Primi Principis* qui ſcriberet,
Sui Poëtas ſeculi anteiret prior.

## CCCXIX.

## NICOLAI QVINTI ROM. PONTIF.

*Ab Æneâ Siluio Senenſi.*

H*Ic* ſita ſunt quinti *Nicolai* Antiſtitis oſſa,
Aurea qui dederat ſecula, *Roma*, tibi.
Conſilio illuſtris, virtute illuſtrior omni,
Excoluit doctos doctior ipſe viros.
*Attica Romanæ* complura volumina linguæ
Prodidit: en tumulo fundite thura pio.



Digitized by Google

## CCCXX.

## ODILIÆ SVB SIGNO CRVCIFIXI.

*Auctore Deſiderio Eraſmo.*

SEpulta viuum te ſalutat *Odilia*,
Quid ad ſepultæ verba mox fugit color?
Viuum ſaluto viua. Cur libitum eſt rei
Placitæ bonæque dira dare vocabula?
Mala vita mors eſt, & ſepulcrum & inferi,
Vna hæc tibi timenda, ſi mortem times.
Nam quod vocant mori, eſt pijs renaſcier.
Pendentis alto victimæ de ſtipite
Mors obſecranda eſt, obſecranda vulnera,
Hoc fonte ſi quod efficax piaculum
Viuiſque manat, manat hinc & mortuis.
Si porrò properas, tum precatus verbulo
Lucem & quietem, perge curſum, te quoque
Para ſepulcro, mox ſequuturus. Vale.

## CCCXXI.

## ORONTII FINÆI.

*A. P. Fuluio.*

QVi maris, & terræ poſitus numerauerat omnes,
Quótque forent ſuperis aſtra voluminibus;
Omnia dimenſus vix implet *Orontius* vrnam,
Déque ſuis numeris vix numerum ipſe tenet.

## CCCXXII.

## PAVLI BARBI.

*Auct. Gregorio Tiferno.*

SI decreta ſibi quiſquam poſt funera viuit,
Si merito quiſquam tendit in aſtra ſuo.
*Paulus* ob ingenium notus mirabile *Barbus*,
Qui tuus, ô *Venetûm* patria, ciuis erat,
Liber, & à fragili iam tandem carne ſolutus
Viuit, & in cælum, venerat vnde, redit.

## CCCXXIII. CCCXXIV.
## PAVLI III. R. PONTIFICIS.
*A Fauſto Sabaeo.*

NOn ratione caret moles rudis iſta, ſiléſque:
Æquari *Paulo* non valet vllus honor.
Sumptu omni & titulo eſt maior: quia maximus illi
Orbis erit tumulus, vita decens titulus.

*Alterum.*

DIſcite mortales fluxa vt ſit gloria mundi,
Vt terrena breui tempore regna ruant.
*Tertius* hîc gelido condor ſub marmore *Paulus*,
Continet hæc cineres nunc breuis vrna meos.
Funèra non lacrymis mea ſunt ſpargenda, peregi
Naturæ curſum, mors noua vita fuit.

## CCCXXV.
## PAVLI MANVTII.
*Ab Hippolyto Capilupo.*

QVi te, *Paule*, gemit, linguam gemit ille *Latinam*,
Quos ſimul extinctos hic breuis Orbis habet.
Illa tuo ſtetit ingenio, & præſtante labore,
Suſtentata diu; téque cadente cadit:
Et voluit, tecum quia multos vixerat annos,
Tecum etiam hoc tumulo poſt tua fata tegi.
Vna fuit vobis ſors vitæ, & mortis, & vrnæ:
Vnus & ambobus plangor, & vnus honor.

## CCCXXVI.
## PAVLI TARCHANIOTÆ.
*A Michaële Marullo.*

QVòd procul *Inachiis* tegeris cariſſime ab oris,
Deſine de fatò *Tarchaniota* queri.
Vnà eadem terra eſt, quam cernis vbique locorum,
Nec magis *Elyſium* hinc, aut minùs inde viæ.

Digitized by Google

## CCCXXVII.
## PERVSINÆ MVLIERIS.

*A Marito Zelotypo interfecta anno 1480.*

SI qua ſolet proprio gaudere puella decore
Quid mea ſors poſſit, nunc ego ſola querar.
Forma dedit multis famam laudémque puellis:
At mihi de falsâ ſuſpicione necem.

## CCCXXVIII. CCCXXIX. CCCXXX.
## PETRI BEMBI CARDINALIS.

*Ex Variis quæ habes Tomo primo Deliciarum Poëtarum Italorum Ranutij Gheri à pag. 390.*

O *Tuſca*, ô *Latia Muſa* decus, optime Vates,
Et *Veneta* ſcriptor nobilis Hiſtoriæ.
Flens tibi purpureos flores, ſpargítque recentem
*Adriacum* pelagus, *Tybris*, & *Arnus* aquam.
Et *Nymphæ* inſcribunt tumulo hoc miſerabile carmen;
*Mors rapuit Bembum Delitias hominum.*

*Alterum.*

EXtincto *Bembo Permeſſi* exaruit vnda:
Et creuere amnes *Italiæ* lacrymis.
Aruit extincto Laurus *Parnaſſia Bembo*,
*Caſtalia* & ſubitò mœſta negauit aquas.
Ex *Helicone* ſimul vox hæc audita: Sorores
Vnà, heu! cum *Bembo* conticuere nouem.

*Aliud.*

DIgnum *Calliope Bembo* cane carmen: at ipſe
Do tumulo flores, do cineri lacrymas.
*Bembus* amor *Phœbi*, *Phœbo* quoque digna locutus,
Hic ſitus eſt, felix vixit, & occubuit.

## CCCXXXI.
## PETRI CRINITI.

*A Petro Myrteo.*

PRiſcos Poëtas viuere
*Crinite* dum doces, obis.

Ergo tibi ſuperſtites
Debent Poëtæ non minus.
Ipſe amplius nihil volens
Debêre, dono carmine
Hoc te ſepulcro conditum.

CCCXXXII. CCCXXXIII. CCCXXXIV. CCCXXXV.

PETRI PITHÆI. I. C.

*Ipſomet Auctore.*

P*itheus* hic iaceo, mecum & cariſſima conjux,
Sic compar vitâ compare morte fruor.
Improbe quid rides? caſti neſcis ſacra amoris:
Nil non vel cineres, hac comite, eſſe iuuat.

*Ex aliâ parte.*

SInt inſcripta licet titulo duo nomina, duplex
Vtque oculis teneat corpora Sarcophagus:
Vnum & idē ac totum tamen eſt: nam mutua præſtāt,
Dimidiúmque alij, dimidiúmque ſibi.

*Auct. Io. Paſſeratio.*

HIc *Pithæe* iaces, quondam memorabile nomen
*Pariſióque* foro, *Pierióque* choro,
Oſſa licet teneant, qui te genuere, *Tricaſſes*,
Longa tibi in libris vita futura tuis.

*Alterum eodem auctore.*

SPerare miſeris quid licet mortalibus?
Huic qui ſub iſto conquieſcit marmore,
Bis quinque luſtris addito ſeptennio,
Emortualis ipſe Natalis fuit:
Idémque ademit, qui dedit lucem dies.

CCCXXXVI.

PETRI PLANCII PARISIENSIS.

*G. Buchanano auctore.*

CVra, fides, labor, ingenium, vigilantia, *Planci*,
Fecerunt carum ciuibus eſſe tuis.

Digitized by Google

Iam virtus, hominúmque fauor ſpondebat honores,
Et meritis Regum conciliatus honor.
Sed vulgaris honos meritis minor: ergo abiiſti
Illò, vbi virtuti verus habetur honos.
*Scripſit & alterum, quod ſua prolixitas arcet anguſtiis.*

CCCXXXVII.

PETRI QVIQVERANI ET SENECENSIS.

*Pariſiis in æde Auguſtinianorum.*

DVm iuuenilis honor primâ lanugine malas
Veſtit, & in calido pectore feruet amor.
Me rapuit, quæ cuncta rapit, mors inuida doctis,
Hei mihi! cur vitæ tam breuis hora fuit?
Cur breuis hora fuit? rerum ſic voluitur ordo,
Alternátque ſuas tempus & hora vices.
Si fera longæuæ tribuiſſent fata ſenectæ
Tempora, venturis poma dediſſet ager.
Flos periit, periere ſimul cum cortice fructus,
Aridáque ante ſuos poma fuere dies.
Nemo tamen lacrymis nec triſtia funera fletu
Fœdet, cur? volito docta per ora virûm.

*Hic iacet Nobilis vir Reuerendus in Chriſto Pater Dominus Petrus Quiqueranus Epiſcopus Senecenſis, filius Domini Antonij Quiquerani Equitis & Baronis Belloiocani illuſtriſſimi in Prouinciâ: cuius libri tres de laudibus Prouinciæ extant, diſciplinarum ac rerum cognitione effloreſcentes. Obijt anno Domini 1550. 15. Kal. Septemb. annos natus 24.*

CCCXXXVIII.

PETRI SEGVIERI PRÆSIDIS.

*Auct. Ambœſio lib. ſuppl. magiſtro.*

HOc quo marmore *Seguierus* ille
*Gallorum Cicero, Cato, Vlpianus*
Defunctus tumulo quieſcit Heros,
Tres Diuæ *Themis* æqua, docta *Pallas*.

Digitized by Google

*Pitho* flexanimis ſimul quieſcunt.
Eius *Suada* labris, *Minerua* fronte,
*Themis* pectore ſeſſitare ſuetæ.
Quas ſic excoluit peritus æqui,
Oratorque bonus, probúſque Præſes,
Vt poſtquam triplici Fori labore
Defeſſus tumulo quieuit vdo,
Poſt hunc viuere tres *Deæ* negarint.
Immo Numina, ſi mori nefas eſt,
Ad cælos comitante *Seguiero*
*Pallas*, *Suada*, *Themis*, ſimul volarunt.

## CCCXXXIX.

### PETRI DE VALLE.

*Romæ in S. Maria de Arâ Cæli.*

PVluis & vmbra ſumus, tantùm poſt funera virtus
Nomen inextinctum ſola ſuperſtes erit.
Nil aurum, nil pompa iuuat, nil ſanguis auorum;
Excipe virtutem, cætera mortis erunt.

## CCCXL.

### PHILIPPI BEROALDI.

*Io. Franc. Quintianus Stoa ſcripſit.*

PHilippus ille, candor ille, & optimus
Sophos iacet, lapiſque candidiſſimus
Tegit, tegit *Bononia*, *Bononiæ*
Iubar. Viator aſta & inſpice, inſpice,
Mane, mane, Philippus ille te obſecrat,
Rogat, preceris omnibus ſacrum omnibus
Qui iter dedit, dedit: Lapis quoque obſecrat,
Preceris, vt rogi leues eum opprimant.

*Adiunxit Elegiam fuſiorem cum Monodiâ.*

Digitized by Google

CCCXLI.

PHILIPPI BEROALDI MINORIS.

*Petrus Bembus ſcripſit.*

F*Elſina* te genuit, colles rapuere *Quirini*,
Longùm audita quibus *Muſa* diſerta tua eſt.
Illa dedit rerum domino placuiſſe *Leoni*,
*Thebanos Latio* dum canis ore modos.
Vnanimes raptum ante diem fleuere ſodales:
Nec *Decimo* ſanctæ non maduere genæ.
Quæ pietas *Beroalde* fuit tua, credere verum eſt
Carmina nunc cæli te canere ad citharam.

CCCXLII. CCCXLIII.

PHILIPPI COMINÆI HISTORICI.

*Expreſſum ex Antonio Vaccâ.*

QVIſquis adis; ſacro flores & ſerta ſepulcro
Adde puer: cineri debita dona feres.
Nam veteres belli & pacis qui reddidit artes
Iampridem ignotas Regibus & populis,
*Gallorum Cominæus* honos, & gloria linguæ
Hic iacet. Hoc ſaxum non coluiſſe nefas.

*Alterum auctore Stephano Paſchaſio.*

G*Allorum* & noſtræ laus vna & gloria gentis,
Hîc *Cominæe* iaces; ſi modò fortè iaces.
Hiſtoriæ vitam potuiſti reddere viuus,
Extincto vitam reddidit Hiſtoria.

CCCXLIV.

PHILIPPI DECII I. C.

*Piſis in Campo Sancto.*

P*Hilippus Decius*, ſiue de *Dexio*, *Mediolanenſis* I. C. celebri famâ notiſſimus cùm primum locum ſtudij in Iure Canonico & Ciuili tenuiſſet *Piſis*, *Senis*, *Florentiæ*, *Paduæ*, *Papiæ*, & demum vltra montes in *Galliâ*, reuocatur in *Italiam* ab excelsâ *Florentinorum* Rep. poſteaquam ſtipendium 1500. aureorum

Digitized by Google

in auro pro lecturâ conſecutus fuiſſet, de morte cogitans hoc ſepulcrum ſibi fabricari curauit, ne poſteris ſuis crederet.

*Iani Vitalis Epigramma.*

D*Vm curat* Decius *ſibi ſepulcrum*
*Clarum marmore ponere eleganti,*
*Inſcripſit titulos ineruditos,*
*Vt riſum magis excitare poſſint,*
*Quàm laudare hominem vndecumque clarum.*
*Quòd ſi non ſibi cultius ſepulcrum,*
*Quàm doctos titulos & elegantes*
*Curaſſet, modò molliùs cubaret.*

## CCCXLV.

## PHILIPPI II. HISPANI REGIS.

*Vnum ex 8. quæ Conſtantinus Pulcharellus S. I. edidit libro quarto Carminum.*

HIc iacet *Auſtriadum* magnâ de gente *Philippus,*
Gloria quo credi nomine digna velit.
Siue illud fortuna oculis aduerſa malignis
Cerneret, eluſo reſtitit ille metu.
Seu magis aſpiceret vultu mutata benigno,
Mitia conſtantis gaudia mentis erant.
Nil graue, nil mœſtum, nil obtulit illa ſuperbum,
Quo foret æquanimi mens labefacta viro.
O verè inuictum Regem, cui contigit vni
Omnia vertentem vincere regna *Deam.*

## CCCXLVI.

## PHILIPPI MARVLLI.

*Auct. Mich. Marullo.*

SIſte hoſpes, atque hæc verba, ſi placet, lege;
Neque enim rogamus niſi lubentem quempiam.
Ego *Philippus* hîc *Marullus* contegor.
Poſuit ſuperſtes filius *Manilius*,

Vxórque *Thomna*. Hoc ſatis, cætera alij.
Nam de *Marullo* proloqui vlteriùs nefas.

CCCXLVII.

PHILIPPI PICTORIS.

*Florentiæ.*

COnditus hîc ego ſum picturæ fama *Philippus*,
Nulli ignota meæ gratia mira manus.
Artificis potui digitis animare colores,
Spirantíque animos fallere voce diu.
Ipſa meis ſtupuit natura expreſſa figuris,
Méque ſibi faſſa eſt artibus eſſe parem.

CCCLXVIII.

PHILIPPI STROZÆ.

*Qui Venetiis natus, in mari perijt.*
*Auctore Paſſeratio.*

QVæ dedit vt recipit tandem poſt funera Tellus,
Et repetunt ortus corpora cuncta ſuos:
Sic me olim fatum quod iuſſit in æquore naſci
Æquoreis animam reddere iuſſit aquis.

CCCXLIX.

PHYLLIDIS.

*Nondum mihi comperto auctore.*

HEu *Phyllis* periit, periit Diuûmque, Hominúmque
Laus ſecum, periit & muliebre decus.
Florens ingenio, formâ, virtute, iuuentâ,
Nomine, fortunâ, nobilitate, viro.
Nec tamen hiſce bonis potuit mors inuida flecti,
Nec precibus ſuperûm, nec lacrymis hominum.
Vt diſcant omnes, eſſe omnia ſubdita morti,
Nam ſumus vmbræ omnes, fabula, terra, nihil.

## CCCL.

## PHYLLOROES.

*Tito Veſpaſiano Strozza auctore.*

QVi legis hæc, legito ſummiſſiùs, & caue quæſo
Nympham vllo turbes, quæ cubat hîc, ſtrepitu.
Viuere credibile eſt, placidóque quieſcere ſomno
*Phylloroen*, quæ non digna mori fuerit.

## CCCLI.

## PICTORIS CVIVSDAM.

*Ferrariæ.*

OCcubat hîc proles pictoria: Væ tibi Mundum
Et ſua quiſquis amas: huc nihil inde feres.
Huc nihil inde feres, guttam hîc à Paupere Diues
Poſcit aquæ: Mundum væ tibi quiſquis amas.

## CCCLII.

## PIERII VALERIANI BELLVNENSIS.

*Patauij.*

PIerias dum *Pierius* ſectatur, & Orci
Nil timet inſidias, hunc fera mors rapuit.
Illa necem, æternæ oſtentant hæ munera vitæ.
Hinc medius vitæ *Pieriuſque* neci.
Abſtulit hæc annos triſtes: at præmia laudum
Atque animam hæ ſeruant, inuida mors rapitur.

*Alterum.*

DOcte iaces, tua fama viget, tua ſcripta loquuntur.
Felix, qui potuit viuere poſt obitum.

## CCCLIII.

## PII II. QVI OLIM ÆNEAS SILVIVS.

SVm *Pius Æneas* famâ notiſſimus orbi,
Quem rexi *Paſtor, Scriptor* & inſtitui.
Quæſtio nulla ferè eſt in quâ non docta reliqui
Argumenta mei fertilis ingenij.

## CCCLIV.

## POGGII.

*A Petro Myrteo.*

OLim *Pierides*, olim *Florentia* mater
Viuente riſit *Poggio*.
Nunc tumulum hunc adit, & donum pro carmine flores
Fert, pióque riſu lacrymas.
Quæ niſi pro verâ ſat ſint pietate, rogabit
Arnus miniſtret vt ſuas.

## CCCLV. CCCLVI.

## POMPEII MAGNI.

*A Claudio Bineto Bellouaco.*

QVi varios titulos habuit dum vita manebat,
Mortuus heu! titulum nec tumulum meruit.
Et cui magna dedit Magni victoria nomen
Inuidia inuitâ, parua vel vrna deeſt.
At quæ Pompeij non clauſa eſt pompa ſepulcro,
Aptius hæc toto notior orbe patet.

*Auctore Mario Molſâ.*

DVx Phariâ quamuis iaceas inhumatus arena
Non ideo fati eſt ſæuior ira tui:
Indignum fuerat tellus tibi victa ſepulcrum,
Nec decuit cælo te niſi, Magne, tegi.

## CCCLVII.

## POMPONII BELLEVRÆI CANCELL.

*Auctore Laurentio Bochello.*

REgi à Conſiliis vixi, nec conſcia mens eſt
Rem publicanis prodidiſſe publicam.
Quin ſtudio ingenti populum exonerasse iuuabat.
Hinc iure ſit: *Verbo in meo populi ſalus.*

Digitized by Google

## CCCLVIII.

## POMPONII LÆTI.

*Romæ in S. Saluatoris de Lauro.*

*Poſ. Domitius Palladius.*

HIc iacet exiguâ *Lætus Pomponius* vrnâ,
Cuius honos meritò pulſat vtrumque polum;
*Lætus* erat *Romæ* vates ſublimis, & idem
Rhetor, nunc campis *Lætior Elyſiis.*

*Ibidem hoc ignoti Epitaphium eſſe perhibetur.*

Prius ſperma fætidum, vixi domus ſtercorum, denatus eſca vermium, ſpeculum peregrinationis humanæ.

## CCCLIX.

## PONTI THYARDEI EP. CABILLONENSIS.

*A Stephano Paſchaſio Adu. Pariſ.*

MEllito iuuenis verſu qui luſit amores,
Inde Mathematicis artibus emicuit.
Idem etiam ſanctis excelluit ordine libris.
Hoſpes, nil mirum eſt, omnia *Pontus* erat.

## CCCLX. CCCLXI. CCCLXII.

## PROSPERI COLVMNÆ.

*Auct. M. Antonio Caſanouâ.*

TRes modò fama Duces circa tria munera belli
Ante alios primum iuſſit habere locum:
Caſtra locare fuit *Pyrrhi, Fabiique* morari
*Marcelli* proprium conſeruiſſe manus.
Tu caſtris, hoſtémque morâ, & certamine *Proſper*
Viciſti atque trium quod fuit, vnus habes.

*Alterum, à Io. Thomâ Maſconio.*

ARmorum decus & Latij noua gloria *Martis*,
Callidus in multos ducere bella dies,
*Proſper* humo hac tegitur, quem non manus hoſtica pugnæ,
In medio belli machina nulla tulit.

Paulatim morbo in plumis conſumptus inerti,
Quem Medicæ *Phœbus* neſciit auctor opis.
Non gemitus moriens, non edidit ore querelas;
Sed doluit, quod non contigit enſe mori.
*Hoc Mediolani in S. Nazarij extare dicitur.*

GEſſi bella diu, ſed incruenta;
Defendi *Heſperiam* ſenex vtramque,
*Proſper* vi validæ meæ *Columnæ*.
Perfeci mea fata: peruicaces
Vos in ſanguine Principes valete.

CCCLXIII.

PVELLÆ BIMVLÆ.

*Auct. Bandino Gualfreduccio S. I.*

HOſpes morare & lacryma, hoc te vult lapis,
Et iuſta vult: eſt præmium lacrymæ & moræ.
*Clarice* natam paruulam *Clariculam*,
Heu nominis graue omen! hic poſitam vides;
Belliſſimum, argutiſſimum, domus ſuæ
Deliciolum, atque corculum, mel & merum.
Abſente moritur Patre, complorantium
Suorum in vlnis, omnium feſtiuitas,
Vbtum omnium, ſecuta Matrem Bimula,
Fatalis illi vitæ in ingreſſu ſuæ.
Nunc duplicato plurimi occaſu dolent:
Vnúſque in his qui preſſi ocellos mortuos,
Hoſpes, fatebor pœnè factus ſum lapis;
Vt tu, dabis ni lacrymas, verè es lapis.

CCCLXIV.

PVERI QVINQVENNIS.

*Louanij referente Fr. Swertio.*

PIctore patre natus hic iacet puer,
Opúſque patris eſt quod vides, & non vides.
Res quæ fuit non eſt; ſed vmbra iſtæc manet.
Res ipſa quinque ſpatia Solis egerat,

Cum *Deus* ab iſtâ luce ad æternam vocat.
O vita breuis! ô bulla homo! ſi cogitas
Tu breuia ſperne, anhela ad immortalia.

*Iudocus Vander Baren mœſtus Pater affectus & artis ſuæ hoc ſpecimen poſuit Danieli ſuauiſſimo filio, qui obijt* XII. *Kal. Iunias* M. DC. *cum vixiſſet annos V. menſes circiter V. Huc primus & vltimus ordo.*

## CCCLXV.

## PVERI.

*Ab Actio Sannazario, libro II.*

NAte patris, matríſq; amor, & ſuprema voluptas,
Accipe quæ nobis te dare par fuerat.
Buſta, eheu! triſtéſque notas damus, inuida quando
Mors immaturo funere te rapuit.

## CCCLXVI.

## PYRRHI STROZZÆ.

*Ioachimo Bellaio auctore.*

PEr varios caſus, per multos *Strozza* labores,
Mille per inſidias, vulnera, tela, neces,
Aërium ſibi fecit iter, cælóque receptus,
Lucida ſub pedibus conſpicit aſtra ſuis.
Sic Magni *Alcidæ* ſortem perpeſſus iniquam,
Ipſe quoque *Alcidæ* præmia *Strozza* refert.
Et quam non potuit viuus, nunc lumine caſſus
Fortunam vincit, vincit & inuidiam.

## CCCLXVII.

## QVATVOR VIRGINVM.

*Quæ ſimul fluuio ſubmerſæ ſimul ſepultæ.*

QVatuor hoc tumulo poſitæ ſimul ecce Puellæ
Ætate, Interitu, Virginitate pares.
Vna tegit tellus, velut vnica ſuſtulit vnda,
Vna dies rapuit, condidit vna dies.
Iunxit amor viuas, morientes nauis & amnis,
Mors morientes, & mortua membra lapis.

Diſce puella tuæ ætati, nec fidere formæ,
Vnâ horâ perdi forma, iuuenta poteſt.
Bis, binas, Lector, ſi non fles, addito quintam,
Nam tumulata ſimul quinta erit hîc Pietas.

## CCCLXVIII.
## QVINTERII.
*A Ioanne Cotta Alieniacenſi.*

ME lòngè effigie venuſtiorem
*Narciſſi* vel *Apollinis* comati
*Parcarum Lacheſis* nimis ſeuera
Iſti *Quinterium* dedit ſepulcro,
Cur non floſculus exeam, requiris,
Cùm tantum fuerim puer decorus?
Tellus eſt nimis àrida, ô Viator,
Noſtri facta peruſtione amoris:
Sed ſi lacrymulis tuis madeſcet,
Forſan flos nouus ibit è ſepulcro.

## CCCLXIX.
## RADVLFI GENER. MATHVR.
*Guaguinus ſcripſit Radulſi ſucceſſor.*

QVem ſæpe incuruo coluiſti poplite *Patrem*,
En morte extinctum nunc pede *Frater* agis.
Sic vice conuersâ fortunæ vertitur error;
Sic fluit inſtar aquæ gloria, faſtus, opes.
Viximus. an iuſtè, *Superis* eſt noſcere tantùm:
Terra cadauer habet, mens habet aſtra velim.
Quiſquis erit poſt me ſuſceptus in ordine *Maior*,
Dic precor ex animo: *Viue Radulfe Deo.*

## CCCLXX.
## RAPHAELIS PICTORIS.
*M. Antonio Mureto auctore.*

SIc mea naturam manus eſt imitata, videri
Poſſit, vt ipſa meas eſſe imitata manus.

Sæpe meis tabulis ipſa eſt deluſa, ſuúmque
Credidit eſſe, meæ quod fuit artis opus.
Miraris, dubitáſque: audito nomine credes,
Sum *Raphël*, hei mî, quid loquor? imò fui.
Et tamen his dictis quid opus fuit addere nomen?
Alterutrum poterat cuilibet eſſe ſatis.
Nam mea & audito eſt notiſſima nomine virtus,
Et præſtare vicem nominis ipſa poteſt.

*CCCLXXI.*

REINERI GEMMÆ MATHEM.

QVis lapis hic? *Gemma.* *Gemmam* lapis an tegit? inquis.
At condi in gemmâ debuerat potiùs.
Non ita. Nam quæuis minor illo gemma fuiſſet,
Et poſito *Gemmâ*, gemma fit iſte lapis.

*CCCLXXII.*

REMIGII BELLAQVEI.

*Auctore Paſſeratio.*

NOn infletus abis, ocelle vatum,
Te fletu *Heſperij*, diúque flebunt:
Sed plus *Heſperius* dolent *Eoi*,
Nec iam diuitibus tument lapillis.
Quin magno ille metus ſubeſt dolori,
Audito interitu ſui Poëtæ
Ne gemma in lacrymas liqueſcat omnis.

*CCCLXXIII. CCCLXXIV.*

RENATI BIRAGI CARD. ET CANC.

*Incerto Auctore.*

ASTræa *Birage* patrem, Pietatis alumnum,
Te decuit gemina Purpura ſacra Togæ.
Conſilio, rebus geſtis clariſſime *Neſtor*,
Palma tibi, victrix Laurea pro tumulo eſt.
Te *Mediolano* genitum pia *Gallia* fouit:
Nil medium, toto pectore *Gallus* eras.

A teneris *Paci* ſacer, armiferæque *Minerua*,
Bina refers Oleæ ſerta, *Renate*, Polo,
*Pax* ſimul hic, ſimul alma *Fides*, *Aſtræa*, *Minerua*,
Laurus, Oliua, Togæ, Purpura, Palma iacent.

*Auct. Roberto Stephano.*

QVærebant veteres, & erat dubitabile quondam,
Armorum atque Togæ gloria párne foret.
Iam ſed vtrâque potens ita claruit arte *Biragus*,
Fiat vt Armorum par decus atque Togæ.

## CCCLXXV.

## RENATI CHOPINI I. C.

*Auct. Ludouico Aurelio.*

CHopinus hic cubat memoriæ theſaurus & penus legum.
Tota *Gallia* nunc gemit *Chopinum*:
*Andi* municipes gemunt *Alumnum*,
Ciues *Pariſii* gemunt *patronum*,
Quem nunc *Eliſii* tenent *colonum*.

## CCCLXXVI. CCCLXXVII.

## ROBERTI GVAGVINI GENERALIS.

*Lutetiæ in Templo Mathurinorum, auctore, vt volunt, Fauſto Andrelino.*

ILluſtris *Gallo* nituit qui ſplendor in orbe,
Hîc ſua *Robertus* membra *Guaguinus* habet.
Si tanto non ſæua Viro *Libitina* pepercit:
Quid ſperet docti cætera turba chori?

*Alterum.*

CHriſte ſalus hominũ, meritorum æquiſſime cẽſor,
Seruulus ecce tuus pro carnis lege ſolutus
Dormit & expectat quo mentem examine verſes.
Peccaui, miſerere, nec horrida pende flagella
Criminibus: tua ſum factura, perennis imago.
Quod fuit humanum tellus vocat, accipe ſanctam
Effigiem, Rex magne, tuam, quàm percupit hoſtis.

Digitized by Google

Tu vitam & mores, tu mentis condita noſti:
Omnia ſunt in ſpe: tantùm miſerere *Gaguino*.

CCCLXXVIII.

*ROBERTI SANSEVERINATIS.*

*Auct. Philippo Bercoaldo.*

NIl queror, ô ſuperi, lethum hoc, ſic occidit *Hector*
Traiectus *Phthiâ* pectora ſæua manu.
Sic duo *Scipiadæ* pereunt, quos hoſticus enſis
In *Tarteſſiacâ* dat regione neci.
Sic & *Marcellus* cecidit, quem bella cientem
Perforat hoſtili lancea torta manu.
Hæc ſunt fata Ducum, pulcrum eſt occidiſſe ſub armis,
Mors bellatori conuenit iſta viro.
Sic ego, ſic cecidi, ſed non inglorius, orbem
Implet fama mei nominis atque polum.
Quantus erat dextrâ *Pelides*, *Tullius* ore,
*Phillyrides* herbis, *Phœbus Apollo* lyrâ.
Carmine *Mæonides*, *Ladas* pede, lumine *Lynceus*,
Viribus *Alcides*, religione *Numa*;
Tantus ego in bello fueram: mihi tota ſub armis
Sub clypeo & galeâ vita peracta fuit.
Me puerum *Mauors*, & me *Bellona* virago,
Omnia perdocuit munera militiæ.
Qualis *Pellæus* ductor, *Libycúſque* fuerunt,
*Romulidæque* Duces: talis & ipſe fui?
Dum vult ſupremo duri certamine *Martis*
Sors dare me peſſum, ſuſtulit ad ſuperos.

CCCLXXIX.

*RODOLFI AGRICOLÆ.*

*Ab Hermolao Barbaro.*

INuida clauſerunt hoc marmore fata *Rodolfum*
*Agricolam*, *Friſii* ſpémque decúſque ſoli.

Digitized by Google

Scilicet hoc vno meruit *Germania*, laudis
Quidquid habet *Latium*, *Gracia* quidquid habet.

## CCCLXXX.

### D. RVELLI I. C.

*Pariſiis in cœmeterio Innocentium.*

QVatuor hæ lacrymas certant æquare ſepulcro,
Fama, & opes, Virtus inclyta, vita breuis:
Sed pereunt geminæ, Virtus & Fama ſuperſunt;
Vnde, *Ruelle*, tibi ſit rediuiuus honor.
Sed neutri facile eſt lacrymis penſare dolorem,
Quo patria, & ciues, cunctáque iura dolent.

## CCCLXXXI.

### SCIPIONIS MAIORIS.

*Auctore Fauſto Sabao.*

SI patriæ ingratæ cineres atque oſſa negaui;
Si mihi pro merito nec monumenta dedit;
Gloria non ideo mihi defuit atque ſepulcrum:
Nam *Carthago* vrna eſt, *Annibal* eloquium.

## CCCLXXXII.

### SEPVLTI IN TEMPLO.

*Auctore Nicolao Fabro V. C.*

QVod ſupereſt ex me terris hîc conditur; vſque
Dum iubeat ſiſti me tuba iudicio.
Non meruiſſe ſcio; meritis ſi nitimur, ecquis
Hoſpitio dignum ſe putet eſſe *Dei*?
Purus at hîc manat *Chriſti* de vulnere ſanguis:
Hæc mea ſpes, maculas abluet ille meas.
Atque vt terrenâ corpus requieſcit in æde,
Æthereâ mentem ſic dabit arce frui.

## CCCLXXXIII.

### SIMONETTÆ VESPVTIÆ.

*Auct. Marullo.*

SI lacrymis decoranda nouis generoſa puella eſt:
Hæc vna eſt lacrymis condecoranda nouis.

Digitized by Google

Sin deflere nefas tam raræ funera vitæ:
Hæc eadem ſiccis vna adeunda genis.

CCCLXXXIV.

*SIMONIS BRIAMI.*

*Regij Lepidi ad* S. *Dominicum.*

HOc tumulo *Briami* requieſcunt oſſa *Simonis*,
*Regia* ſe vrbs tanto iactat alumna viro.
*Felſina* mirata eſt, *Ferrariáque* ipſa docentem
*Græca, Latina, Artes Pæonis, Aſtra, Deos.*

CCCLXXXV.

F. SIMONIS FONTANI.

FOns ego cæleſti manans de fonte profudi
Quas poto è ſacri gurgite fontis aquas.
Has ſibi dum ſitiens haurit fons areo: ſed ſic
Vt redeam ad fontis prima alimenta mei.
Iam raptus, viuo *Chriſti* me proluo fonte,
Quo mihi quæ fuerat, deſinit eſſe ſitis.

CCCLXXXVI.

SIMONIS PISTORII.

*Lipſiæ.*

CLauditur hoc tumulo *Simon Piſtorius*, is qui
A patre præclaro nomen auóque tulit.
*Saxonicæ* vixit qui *Cancellarius* aulæ,
Vltra quinque gerens luſtra regentis onus.
Ingenio præſtans, ſtudio indefeſſus, honore
Summus, conſilijs vtilis, ore potens.
Quod mortale fuit, tellus tenet: inclyta fama
Nominis haud vllo ſtat violanda die.

CCCLXXXVII.

SIMONIS VEREPÆI.

*Siluæduci in Templo* S. *Ioannis.*

TE rogo quiſquis ades mihi ſæpe precare ſalutem,
Et dic mente piâ quæ tria verba leges.

Digitized by Google

REQVIESCAT IN PACE.

PLura de eo vide apud Suuertium in Siluæducenſibus.

## CCCLXXXVIII.

## SORORVM TRIVM.

TRes tribus in tumulis claræque piæque Puellæ
Ante diem parua contumulantur humo.
Tres, quibus vnus erat Genitor, fuit vnica Mater,
Vnum Cognomen, Patria & vna tribus.
Par tribus & facies qualem decet eſſe ſororum,
Par tribus ingenium, par quoque Forma tribus.

## CCCLXXXIX.

## STEPHANI COLVMNÆ PRÆN. DOMINI,

*Piſis in Etruria auct. Iulio Roſcino.*

HÆc *Stephanum* tegit vrna: parens mœſtiſſima *Roma*
Optaret patrio contumulare ſinu.
*Omne ſolum patria eſt*, inquit fortiſſimus Heros,
Defendi & patriam ſim licet hoſpes humo.
Ne lacruma, externum cernis quicumque ſepulcrum
Indigetem cæli me patria vna tenet.

## CCCXC.

## STEPHANI DVRANTII,

*Principis Senatus Toloſani.*

*Auctore Paſſeratio.*

MAgnus in exiguâ poſitus *Durantius* vrnâ
Dormit ſoporem ferreum.
Secla peremerunt hunc ferrea; Ferreus ille,
Qui nouit iſta, nec gemit:
Namque vnâ iacet hîc patriæ decus omne, ſuæque
Et crimen vrbis & dolor.

Digitized by Google

## CCCXCI.

## STEPHANI PLEVRRÆI CAN. S. VICTORIS.

*In Abbatia S. Victoris ad Lutetiam.*

HIc lumen columénque domus, *Didymúſque* ſecundus
Conditur: húncque oculis liuida petra negat.
Huic nomen *Pleurræus* erat, qui ſanguine clarus,
Noluit ingenium nobilitate premi.
Non illo melior quiſquam, nec amantior æqui,
*Pieridum* lumen, cura ſalúſque Domus.

*Obiit an.* MDCXXXV. *8. Idus Ian. ætatis 48. Canonicæ professionis 28. cæcitatis 14.*

## CCCXII. CCCXIII.

## THADDÆI ZVCHERI PICTORIS.

*Io. Matth. Toſcanus ſcripſit* IV.

NAtura artifices *Zucheri* mirata figuras,
Oráque diſtinctos reddere viſa ſonos,
Præpropetata iubens abrumpere licia *Parcas*,
Mortales vetuit ſe ſuperare manus.

*Aliud.*

HOc ſub marmore pictor ille notus,
Totâ qui periit dolente *Româ*,
Velox ingenio, manúque felix,
Decumbit *Zucherus*, perempta qui dum
Vitæ corpora reddit inquietus,
Multis quam dederat, reliquit ipſe.

## CCCXCIV. CCCXCV. CCCXCVI.

## THEODORI GAZÆ.

*Auctore Angelo Politiano.*

HEu ſacrum caput occubuit *Theodorus*, & horâ
Vnâ obiere omnes reliquiæ generis.
Nec tamen hoc querimur, nimis eſt potuiſſe videri;
Non etenim hîc noſtro tempore dignus honos.

Digitized by Google

Hoc dolet heu! quòd neutra Patri eſt nunc lingua
ſuperſtes,
Quæ mittat iuſtas Manibus inferias.

*Aliud.*

CVm terram hinc noſſet *Theodorus*, & aëra, &
vndas:
Iam reſtant, inquit, ſidera, terra vale.

*A Iouiano Pontano alterum.*

SVme lyram, dic *Muſa* modos, dum condimus
vmbram:
Et puer & coluit Numina veſtra ſenex.
Indignus tellure Deos *Theodore* petiſti,
Sera quidem, tamen eſt longa parata quies.
Virtute, ingeniiſque bonis hoc ipſe paraſti,
Vt cæli aſpiceres aurea tecta ſenex.
Nos artus terra tegimus: tu caſte ſacerdos
Dic requiem: æternùm iam, *Theodore*, vale.

*Aliud auctore Pierio Valeriano.*

ROma olim abſtulerat Graiæ decus omne *Mineruæ*,
Siue opus ingenio, ſiue opus arte foret.
*Gaza* autem *Argiua* clariſſima gloria gentis
Reddiderat patriæ nunc ſpolia illa ſuæ.
Dúmque pari *Auſonia* conatu conſulit, & dum
*Muſarum* & linguæ dux vtriúſque viget;
Sublatus fato traxit ſecum omnia, & vno hoc
Spes *Italûm* & *Graiûm* fama cadente, cadunt.

CCCXCVII.

THEONORÆ BVRSINÆ

*Coniugi Seuerus Mineruius B. M. P.*

*Spoleti in Vmbriâ ad S. Mariam.*

VItam ego te geminam vixi viuente: fuiſti
Supra hanc quam viuo tu quoque vita mihi.
Morte tuâ exanimis viuam: nam conditur vrnâ
Maxima tecum animæ pars, *Theonora*, meæ.

## CCCXCVIII.
## S. THOMÆ AQVINATIS.
*In Monaſterio Foſſanoua defuncti.*

OCcidit hîc *Thomas*, lux vt foret amplior orbi,
Et candelabrum ſic *Noua Foſſa* foret.
Editus ardenti locus eſt, non foſſa, lucernæ.
Hanc igitur *Foſſam* quis neget eſſe *Nouam?*

## CCCXCIX. CCCC.
## THOMÆ MORI CANC. MART.
*Auct. Iano Vitale.*

DVm *Morus* immeritæ ſubmittit colla ſecuri;
Et flent occaſum pignora cara patris:
Imo, ait, infandi vitam deflete tyranni:
Non moritur, facinus qui graue morte fugit.

*Alterum hoc etiam additur.*

EN iacet hîc *Morus* periniquâ morte peremptus,
Et cum iſto pariter *Regia* fama iacet.
Hoc pereunte ferunt *Clarios* ceſſaſſe liquores,
Et tremuiſſe altis totum *Helicona* iugis.
Nemo roget cauſam, quam *Veſper* nouit, & *Ortus*,
Cuius erit teſtis neſcia *fama* mori.

## CCCCI.
## TIMOLEONTIS COSSÆI COM. BRISSACI.
*Ab Ambœſio lib. ſuppl. mag.*

FOrtior vt forti patre *Lariſſæus Achilles*,
Sic patre magnanimo tu magè fortis eras.
Occubuit iuuenis telo vt generoſus *Achilles*,
Sic, Heu! vix ſuperans bis duo luſtra cadis.
Lapſus is eſt, quiſquis te *Timoleonta* vocauit,
Nomine nam magni dignus *Achillis* eras.

Digitized by Google

## CCCCII.

## TITI LIVII HISTORICI.

*In Palatio Patauino ſub veteri ſtatuâ.*

Oſſa tuúmque caput ciues tibi, maxime *Liui*,
Prompto animo hîc omnes compoſuere tui:
Tu famam æternam *Romæ*, patriæque dediſti,
Huic oriens, illi fortia facta canens.
At tibi dat patria hæc; & ſi maiora liceret,
Hoc totus ſtares Aureus ipſe loco.

*Titus Liuius quarto Imp. Tib. Cæſaris anno vitâ exceſſit ætatis verò ſuæ* LXXVI.

Inclyto *Alfonſo Aragonum* Regi, ſtudiorum fautori Reip. *Venetæ* fœderato, *Antonio Panormitâ* Poëtâ legato ſuo orante, & *Matthæo Victurio* huius vrbis Prætore conſtantiſſimo intercedente, ex Hiſtoriarum parentis *T. Liuij* oſſibus, quæ hoc tumulo conduntur, brachium *Pataui* ciues in munus conceſſere anno Chriſti MCCCCLI. XIV. Kal. Septembris.

Oſſa Titi Liuij Patauini vnius omnium mortalium iudicio digni, cuius prope inuicto calamo inuicti populi Romani res geſtæ conſcriberentur.

*Elogium ſub noua imagine hoc legitur.*

*Titus Liuius Patauinus*, Hiſtoricorum *Latini* nominis facilè Princeps, cuius lacteam eloquentiam ætas illa, quæ virtute pariter ac eruditione florebat, adeò admirata eſt, vt multi *Romam*, non vt vrbem rerum pulcherrimam, aut Vrbis & Orbis Dominum *Octauianum*; ſed vt hunc vnum inuiſerent, audiréntque, à *Gadibus* profecti ſunt. Hic res omnes, quas *Populus Romanus* pace belloque geſſit, quatuordecim Decadibus mirâ ſtyli facilitate complexus, ſibi ac patriæ gloriam peperit ſempiternam.

*CCCCIII.*

Digitized by Google

## CCCCIII. CCCCIV. CCCCV. CCCCVI. CCCCVII. CCCCVIII. CCCCIX.

IN locum aliquot Epigrammatum, quæ ſupinâ Typothetarum malè feriatorum incuriâ perierunt, ac ſemel intermiſſam Theſauri huius Emortualis editionem in ſexdecim minimùm annos protraxerunt, ſubſtituã hic tibi, *Candide Lector*, nonnulla Epitaphia, quæ mihi interim alia omnia cogitanti exciderunt, in obitum Sereniſſimi Regiæ Stirpis Primi Principis, HENRICI BORBONII, *Principis Condæi*, Primi Franciæ Paris, Ducis Caſtri-Radulfi, &c. Clariſſimi Viri *Petri Puteani*, Regià Sanctioribus Conſilijs ac Bibliothecæ Regiæ Curatoris vigilantiſſimi, Egregiæ indolis magnæque ſpej adoleſcentis, *Petri Valentin de VVicardel*, Pariſienſis, Rhetoricæ Claromontanæ Societatis IESV Alumni ingenioſiſſimi: nec non in mortem trium Eruditiſſimorum ex eadem noſtra Societate virorum, *Nicolai Cauſſini* Trecenſis, *Iacobi Sirmondi* Ricomagenſis Aruerni, & *Dionyſij Petauij* Aurelianenſis; qui intra ſeſquiannum Lutetiæ Pariſiorum maximo cum Eruditorum omnium luctu diem extremum obierunt, Epigrammata totidem, quæ ipſo fermè anni 1653. exordio ex Officinâ Cramoſianâ prodierunt in lucem, & per varias Europæ



Digitized by Google

partes diſſeminata ſunt, atque ab alijs iam Philologis collectaneis ſuis Poëticis inſerta.

D. O. M.

IMMORTALI
MEMORIÆ AC VIRTVTI
INCOMPARABILIS.
REGIÆ FRANCORVM
FAMILIÆ
PRIMI PRINCIPIS,
PRIMIQVE GALLIARVM
PARIS,
HENRICI BORBONII,
PRINCIPIS CONDÆI,
DVCIS CASTRO-RADVLFENSIS,
MONTIS MAVRENTIACI &c.
BITVRIGVM, BVRGVNDIONVM,
AC SEGVSIANORVM
IN BRESSIA,
PROREGIS, &c.

Digitized by Google

# EPITAPHIVM.

HENRICVS Iacet hîç CONDÆVS
Origine PRINCEPS,
Ingenio, Eloquio, Relligione, Fide.
Tu ne plura: STVPENT, rapto ſibi
PRINCIPE, Regnum,
Ingenia, Eloquium, Relligio, atque
Fides.

*AD Superos abijt Chriſtianâ morte ſuſceptis rite Sacramentis defunctus Religioſiſſimus PRINCEPS, die* XXVI. *Decembris Anni Chriſtiani* M. D. C. XLVI. *Quâ glorioſus Chriſti Protomartyr Stephanus immortalem coronam adeptus eſt.*

*Vixit Annos* LVIII. *Menſes Tres, Dies* XXVI.
*Natus Kalendis Septembribus Anni* M.DLXXXVIII.

## ALTERVM PER DIALOGISMVM.

Prô ſancta Pietas! Ergone extinctus iaces,
CONDÆE, fidei Columen, & Iuſti Arbiter?
Ne querere: Noſtra viuet æternum Fides,
Cui Protomartyr ipſe conciliat fidem.

## IN OBITVM ILLVSTRISSIMI VIRI PETRI PVTEANI. REGI CHRISTIANISSIMO A CONSILIIS ET BIBLIOTHECIS,

TETRASTICHON.

QVID quereris triſti PVTEANVM funere raptum,
Præſtantique paras ſoluere iuſta viro?



Digitized by Google

Non obijt, cuius clarum per ſæcula nomen
FRANCORVM memori viuet in Hiſtoriâ.
*Deceſſit die* 14. *Decembris anni* 1651. *ætatis anno* 69.

IN OBITVM
EGREGIÆ SPEI ADOLESCENTIS
PETRI VALENTIN
DE VVICARDEL,
PARISINI,
RHET. CLAROMONTANÆ ALVMNI;
TETRASTICHON.

ERGO VALENTINVM eripuit ſors aſpera nobis,
Et tenerum rigido meſſuit enſe decus!
Ferrea ſors! Fallor. Verè hæc fuit Aurea, quæ te
Subductum terris, PETRE, DEO aſſeruit.
*Obijt Septembris die ſeptimo anno* 1652. *æt.* 16.

IN OBITVM R. P.
NICOLAI CAVSSINI,
TRECENSIS,
SOCIETATIS IESV PRESBYTERI,
DECASTICHON.

ADSTA *Viator, & lege: hoc ſub marmore*
CAVSSINVS *almæ Pacis Angelus iacet.*
*Neque hunc amici Numinis Regnum & Domus,*
*Nec Aula ſancta, aut Mempheos veteres nota,*
*Diuina nec præcepta Flexanima Dea,*
*Aut ſyrma Tragicum flebili eripiunt neci.*
*Proh ſæua Erinnys, dirus armorum furor!*

Digitized by Google

CAVSSINVS *vt præuidit, ad Superos abit.*
*Luge Viator, atque abi: hoc ſub marmore*
CAVSSINVS *almæ Pacis Angelus iacet.*

Pariſiis in Domo Profeſſorum Societatis IESV, ſubitâ, ſed non improuisâ, morte raptus obiit VI. Nonas Quintileis anno Chriſti M. DC. LI. Vixit annos ſexaginta octo, menſem vnum; cum diebus aliquot: natus exeunte Maio anni M. D. LXXXIII.

# IN OBITVM R. P.
# IACOBI SIRMONDI, RICOMAGENSIS, SOCIETATIS IESV PRESBYTERI, OCTASTICHON.

SIRMONDVM *rapuit vegetos ſuffuſa per artus*
*Aurigo: nec mors credidit eſſe ſenem.*
*Bis confecta nouem vita poſt luſtra beata,*
*Telo vſa eſt, iuuenes quo ſuperare ſolet.*
*Exornant tumulos aliorum marmora & aurum.*
SIRMONDVS *tumuli ſit decus ipſe ſui.*
*Aurea mens viuo, facta aurea, & aurea dicta.*
*Nec defuncti alius debuit eſſe color.*

Lutetiæ Pariſiorum in Collegio Claromontano Societatis IESV ex ictero, quem Regium morbum vocant, deceſſit firmâ adhuc valetudine viuidus ſenex, Nonis Octobris anno reparatæ per Chriſtum ſalutis M. DC. LI. Vixit annos nonaginta tres minùs diebus quinque; natus IV. Idus

Octobris anno ſuperioris ſæculi LIX.

IN OBITVM R. P.

# DIONYSII PETAVII, AVRELIANENSIS, SOCIETATIS IESV PRESBYTERI,

Cultui B. Virginis Genouefæ addictiſſimi.

## OCTASTICHON.

*Paulatim lentâ es ſubductus morte, Petavi,*
*Reſpondit votis & Genovefa tuis.*
*Optaſti vitam, longæ dedit otia vitæ.*
*Optaſti mortem, mors tibi longa data eſt.*
*Sed quæ mortalis protraxit tempora vitæ,*
*Et mortem variis mortibus implicuit;*
*Immortalem eadem conceſſo Numine vitam*
*Præbuit, & nullis gaudia miſta malis.*

Lutetiæ Pariſiorum in Collegio Claromontano Societatis Iesv longâ ac moleſtâ pereſus tabe obiit III. Idus Decembris anno Dionyſianæ Æræ M. DC. LII. Vixit annos ſexaginta nouem cum quatuor circiter menſibus, natus Auguſto menſe anni MDLXXXIII.

Porro in tanta recentioris memoriæ epitaphiorum, ac propemodum infinita multitudine, valere potiſſimum arbitror ſententiam illam, qua ſingulas Emortualis huiuſce Theſauri partes, tanquam ſigillo obſignare conſtitui.

ΟΥΤΕ πάντα, ὔτε πάντοτε, ὔτε παρὰ πάντων,
*Neque omnia, neque paſſim, neque ab omnibus.*

# SELECTORVM
# EPITAPHIORVM THESAVRI
## PARS OCTAVA.

GRÆCA aliquot Epitaphia ſelecta ex quamplurimis quæ tum alibi, tum maximè in Anthologiæ veterum Poëtarum Græcorum à Maximo Planude, vt ferunt compilatæ, ſuóſque in Titulos Alphabetico ordine digeſtæ, libro tertio reperiuntur, ab eruditiſſimis viris Latinè nec inelegantet reddita, nonnullis quoque additis quæ Recentiores aliquot Poëtæ non contemnendi Græco idiomate ad Antiquiorum imitationem conſcripſerunt.

I.

### ABLABII MEDICI.

*Theſebia tribuitur libro III. Anthol. Titulo 15. Interpretatus eſt Q. Septimius Florens Chriſtianus.*

TRES vidit luctus *Medicina*, ſcidítque capillos:
Funere in *Hippocratis* primùm, poſt deinde *Galeni*:



Digitized by Google

Nunç iaçet *Ablabij* circum lacrimoſa ſepulcro:
Nempe homines inter pudet, hoc moriente, videri.
*Id in ſic reddidit Vincentius Opſopæus.*

VIdit tres luctus tonſis *Medicina* capillis,
*Hyppocrate* extincto, & vitam linquente *Galeno*;
Nunc fata *Ablabij* lacrymis deplorat acerbis,
Poſt hunc in terris veritа apparere ſuperſtes.

II.

ACHILLIS ET PATROCLI.

*Ex ijs quæ in Heroas habentur libro III. Anthol. Tit 14. Ex variorum interpretatione.*

PEl.d.. iacet hîc, patria eſt cui *Theſſala* tellus;
Deplanxere nouem funera *Pierides*.
HAC tumulatus humo eſt vinctus *Patroclus Achilli*;
*Mars* letho dedit hunç *Hectoris* in manibus.

*Aliud.*

HVnc, qui ſit Troum formido, nepotibus olim
*Graij* ſtruxerunt *Æacidæ* tumulum.
Adjaçet ille mari, ſtreperis celebretur vt vndis,
Cui fuerat genitrix Diua marina Thetis.

III.

AIACIS TELAMONII.

*Ex varijs quæ habentur libro III Anthologiæ Tit. 14. nonnulla electa.*

AIacis tumulo *Virtus* miſerabilis adſto,
Turpiter incultas dilaniatá comas
Nempe dolore grauι cor ſaucia, quòd tot *Achiuûm*
Iudicijs ſit Fraus anteferenda mihi.

*Aliud.*

AIacis buſto, *Rhæteo* in littore *virtus*
Aſſideo, magnoq; corde trahens gemitus.

Incomptis ſquallénſque comis: quòd iudice *Grajo*
Non data virtuti, ſed data palma dolo.
*Pelidæ* arma tamen dicent: Vis Maſcula nobis,
Sermones nobis non placuere vafri.

*Aliud*

HIc *Telamonius* eſt ſitus *Ajax*: Parca necauit,
Illius vſa armis; illius vſa manu.
Haud etenim ex alijs reperit mortalibus vllum,
Cui cædem hanc fuerit fortiter auſa manus.

*Diſtichon περὶ δώρων ἀδώρων.*

Baltheus *Ajacis* donum *Hectori*, at *Hectoris* illi
Enſis: cum dono mors & vtrique datur.

*Priora ſic reddidit Daniel Heinſius.*

Hic ſedeo infœlix *Virtus*, vicina ſepulti
*Ajacis* tumulo, tonſa capillitium:
Victa dolore animi ingenti, quia viſa *Pelaſgis*
Callida fraus nobis anteferenda fuit.
Ad tumulum *Ajacis Rhœtria* littora iuxta
Infelix *Virtus* cum lacrymis ſedeo
Tonſa comas fædata: quod heic ſub iudice *Grajo*
Vincere non virtus ſed potuere doli.
Arma quoque exclamant *Pelidæ*, fortia facta,
Non ſibi verborum poſſe placere dolos.

*Primum hic quoque dabimus ex Alciato.*

AIacis tumulum lacrymis ego perluo *Virtus*
Heu miſera albentes dilaniata comas.
Scilicet hoc teſtabar adhuc vt iudice *Græco*
Vincerer, & cauſsâ ſtet potiore dolus.

IV.

ALCIMENIS.

*Leonidâ auctore libro III Anthol. Tit. 5.*

*Interprete Vincentio Opſopæo.*

HVic modicæ glebæ & buſto, Peregrine, ſalutē,
*Alcimenis* miſeri quæſo precare viri.

Texerit hoc quamuis ſpinis paliurus acutis
Attamen ipſe fui ſtrenus *Alcimenes.*

V

ANTHEI NAVFRAGI

*Antipatro auctore III. Anthologiæ Tit. 22.*

ANthea naufragio fracto quem nocte natantem
*Penei* appulerat parua tabella vadis.
Proſiliens è vepre lupus, nil tale putantem
Enecat. ô terræ ſæua procella magis!

*Alterius Naufragi*

DEſine vel remos nauis, vel pingere ſemper
Roſtra, ſuper cineris frigida buſta mei.
Nauifragi hîc tumulus: damni quod fecit in vndis,
Illum, qui ſub humo eſt cur meminiſſe iubes?

*Alterius auctore Iuliano.*

Naufrage ſalue; & vbi ſtygium trajeceris amnem,
Ne pelagi fluctus, ſed reprehende *Notos.*
Iſti te merſere, freti ſed mitior vnda,
Detulit in terras ad monumenta patrum.

VI.

ARCHILOCHI POETÆ.

*Auctore Iuliano Ægypti præfecto Anth. III. Tit. 25.*

HIc iacet *Archilochus* iuxta mare: primus amaras
Tinxit *Echidnæo* felle *Heliconiadas*,
Monte cruentato miti: luit acta *Lycambes*,
Natarum deflens funera fune trium.
Inſidunt veſpæ tumulo; ne forſitan iſtas
Irrites tacitâ calce, Viator, abi

Hoc & *aliud eiuſdem in eundem Epigramma vertit Opſopœus in Notis, quas per otium, ſi libuerit, conſules.*

VII

ARISTOMACHES ANVS.

*Argentarius ſcripſit Tit. XX. Libri III. Anthol.*

*Florens Chriſtianus vertit.*

QVæ plus dilexit *Bacchum* quàm quæ dedit *Ino*
Vbera, *Ariſtomache* garrula anúſque bibax
Mortua quum terras ſubijſſet, & omnis abiſſet
Spiritus exhauſtis ante meri cyathis,
*Minoem* eſt affata: leuem huc mihi protinus vrnam
Siſte, feram nigram mœſti *Acherontis* aquam:
Ipſa etiam ſponſum occidi. ſed talia finxit,
Infrà etiam vt poſſet læta videre cadum.

*Alludit ad Danaidum pœnam de quibus Ouidius, aliique paſſim: quod nec hic, nec alter interpres intellexit.*

*Idem Ioſepho Scaligero interprete.*

Quæ Bacchum, quàm quæ nutrix lactauerat *Ino*,
Plus dilexit, anus garrula, *Ariſtomache*,
Poſtquam mandata eſt tumulo, terrámque ſubiuit
Mortua iam, multo iámque operata mero;
Huc *Minos*, ait, huc vrnam mihi defer inanem,
Vt rores hauſtos ex Acheronte feram
Nam periit mihi virginitas. Hæc falſa locuta eſt
Dolium apud *Manes* nempe videre volens.

VIII.

ARISTOMENIS.

*Antipatro Auctore lib. III. Anthol. Tit. V.*
*Interprete Daniele Heinſio.*

NVncia fida *Iouis*, cur ſic ſtas lumine toruo
In tumulo magni ſemper *Ariſtomenis*?
Mortali vt dicam generi, quod, vt ipſa volucrum
Sum Princeps, iuuenum ſic fuit ille decus.
In timidi timidæ monumento ſtate columbæ:
Nos juuat intrepidis ſemper adeſſe viris.

*Idem interp. C. Vrſ. Velio.*

Nuncia fare *Iouis*, præpéſque volatibus ales,
Cur magni ad tumulum ſidis *Ariſtomenis*?

Digitized by Google

Hæc homines moneo, volucrum quantum optima viuo,
Tantum hic Heroas optimus inter erat.
Stiparint pauidæ timidorum buſta columbæ,
Aſt ego delector fortibus vſque viris.
*Idem Andrea Alciato interprete.*
Quæ te cau a mouet volucris Saturnia, magni
Vt tumulo inſideas ardua *Ariſtomenis*?
Hoc moueo, quantum inter aues ego robore præſto,
Tantum ſemideos inter *Ariſtomenes*.
Inſideant timidæ timidorum buſta columbæ.
Nos aquilæ intrepidis ſigna benigna damus.

IX.

CALLIMACHI PVERI.

*Luciano auctore libro III. Anthologia Tit. 9.*
*Interprete Luſcinio.*

SÆua rapit manibus quinquennem *Parca* puellũ
Me nil curantem talia *Callimachum*.
Quid ploras functum tantillo tempore? vita
Cui breuis eſt, multis iam caret ille malis.
*Idem expreſſerunt Velius & Sleidanus, necnon Vincentius Opſopæus in ſuis ad Anthologiam Annotationibus.*

X.

CASMYLI.

*Ex Simonide libro III. Anthol. Tit. II.*
*Sotere interprete.*

DIc quis? quo genitus? cuias tu? viceris aut quid?
*Caſmylus*, *Euagorâ*, *Rhodius* ſum, *Pythia*, cæſtu.
*Aliter.*
*Caſmylus* hîc iaceo, quondam qui *Pythia* cæſtu
Vici, me genuítque *Euagoras Rhodius*.

XI.

CASSIÆ.

*Incerto Auctore Anthol. libro III. Titulo 12.*

*C. Vrſ. Velio interprete.*

AN ora cernis hæc pudica *Caſſiæ*?
Virtute claret ipſa quamvis mortua,
Præſtat decori corporis mentis decor.

XII.

CHARIDÆ.

*Callimacho auctore libro III. Anthol. Tit. 6.*

*Bonauenturâ Vulcanio interprete.*

AN tegitur Saxô hoc *Charidas*? ſi dicis *Arimnæ*
Natum, *Cyrene* cui patria eſt, Tegitur.
O *Charida*, Orcus quid? Tenebræ ingentes. Reditus quis?
Nugæ. Quid *Pluto*? Fabula. concidimus.
Hæc vobis haud vana loquor. Iucunda requiris?
Venit *Alexandri* ſub *Styga Bucephalus*.

XIII.

CLEOMBROTI.

*Callimacho auctore libro* III. *Anthol. Tit.* 33.

*Interprete Ioachimo Camerario*

PHœbe vale, *Ambraciota Cleombrotus* ante loquutus,
In mare de ſummis mœnibus inſiluit,
Morte nihil dignum paſſus: ſolóque *Platonis*
Lecto Animæ æternâ de ratione libro.

XIV.

CRATETIS.

*Auctore incerto, libro* III. *Anthologiæ.*

Τόσσ' ἔχω, ὅσσ' ἔμαθον, καὶ ἐφρόντισα, καὶ μετὰ Μουσῶν
Σέμν' ἐδάην. τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια τύμβος ἔμαρψεν.

Tantum habeo, quantum didici, quantúque laboro
Percepi & ſtudio: rapuit ſed cætera tumba.

XV.

EPICTETI PHILOSOPHI.

*Leonidâ auctore libro* III. *Anthologiæ Tit.* 33.

SEruus *Epictetus* genitus ſum, corpore claudus,
Paupertate *Irus*, Dijs ſed amicus ego.

XVI.

ETEOCLIS ET POLYNICIS.

*Bianore auctore libro* III *Anthologia Tit.* 14.

*Q. Septimo Florente interprete.*

OEdipodæ natorum vrbs eſt *Thebana* ſepulcrum;
*Tela* tamen buſtum viuere ſentit atrox.
Hos nequit Orcus adhuc ſedare, *Acherôntéque* in ipſo
Pugnant, inque vicem buſta inimica tenent.
Igni etiam eſt ignis contrarius: ô miſerandi
Proh iuuenes! quorum nec potis haſta mori.

XVII.

FRATRVM DVORVM

*Agathias eſt auctor libro* III. *Anthol. Tit.* 3.

*Septimius Florens Christianus interpres.*

LAtoüs, *Paulúſque* priùs par nobile fratrum
Communem inter ſe vitæ habuere modum;
Parcarum ſortiti etiam communia fila,
Vnum *Boſporio* littore habent tumulum.
Neuter enim potuit diuulſus viuere ab illo,
Vnus & ad Ditem curſus vtrique fuit.
Saluete vnanimes; tumulo *Concordia* veſtro
Gaudet, & hîc ara eſt inſtituenda *Deæ*.

*Aliud ijſdem Auctore & Interprete.*

Vna duos fratres tumuli capit vrna, duóſque
Vna dies naſci vidit, & vna mori.

*Idem interprete Lilio.*

Quatuor hic tumulus fratres habet, vna duobus

Digitized by Google

Lux & natalis, mortis & vna fuit.

*Idem interprete Thomà Moro.*

Quatuor hic tumulus fratres complectitur: ex his
Lux ſimul vna duos & parit ac perimit.

*Vel Eodem interprete poſtremus verſus.*

Proh dolor! vna duos lux parit ac perimit.

XVIII.

GRYNEI PISCATORIS.

*Statyllio auctore III. Anthologia Tit. 22.*

*Interprete Vincentio Opſopoeo.*

LOngæuum æquoreâ viuentem *Grynea* cymbâ,
Cuius opus fuerant hamus, arundo, linum;
Vndiuago rapidus ſubmerſit in æquore ventus:
Ejectum in littus mane cadauer erat
Depaſtum palmas. Quis mentem piſcibus eſſe,
Qui modo roſerunt quo periere, neget?

XIX.

HECTORIS.

*Incerto auctore ex III. Anthol. Titulo 14. nec mihi cognito interprete.*

H*Ectora* me ex tumulo noli metirier iſto,
*Græcia* quem aduerſus vix ſatis vnus erat.
*Ilias* eſt tumulus, tumulus mihi diuus *Homerus*.
Sunt tumulus *Graij*, qui mihi terga dabant,

XX.

HIPPOCRATIS.

*Auctore incerto libro III. Anthol. Tit. 15.*

*Interprete Iano Cornario.*

HIc iacet *Hippocrates Coorum* gente vocatus
*Theſſalus*, ex ſtirpe & natus *Apollinea*.
Deuictis morbis ſtatuit qui multa trophea,
Non meritam laudem ſorte, ſed arte tulit.

*Idem ex Thoma Moro.*

*Theſſalus Hippocrates, Cous* genere, hac iacet vrnâ

*Phœbi* immortalis ſemine progenitus.
Crebra trophæa tulit morborum armis medicina:
Laus cui magna, nec id ſorte, ſed arte fuit.

XXI
HYPATII.
*Iuliano auctore libro III. Anthol. Tit.* 22.
*Interprete Florente Chriſtiano.*

H*Ypatij* en tumulus: ſed non habet ille cadauer,
Tantus cùm tanti ſit Ducis *Auſonij*
Nam verita exiguum magno tribuiſſe ſepulcrum
Terra viro, tumulum maluit eſſe mare.

XXII.
IOANNÆ POETRIÆ.
*Agathias perhibetur auct III. Anthol. Tit.* 18.
*Interpres Florens Chriſtianus*

HEu Lyricæ vatem *Muſa* decimámq; *Camœnā*
Et *Romæ*, & *Pharia* contegit iſte lapis.
Nunc omnis moritur cantus moriente *Ioannâ*,
Et citharæ ceſſant, & lepor omnis abeſt.
Forſitan & *Muſa* ſtatuere habitare, *Ioanna*,
Poſthabito tumulum nunc Helicone, tuum.

XXIII.
IVVENIS.
*Iuliano auct libro III Anthol. Tit.* 23.
*Chriſtiano interprete.*

CRudelis *Parca* eſt; mitis magis: heu iuuenē, eheu
Suſtulit! at ſenibus mente animóque parem.
Lætitia vacat omni, & curâ liber ab omni eſt:
Conjugio caruit, conjugijque malis.

XXIV.
LACEDÆMONIORVM.
Qui ad Thermopylas occubuerunt fortiter.
*Auctore Simonide lib* 3. *Anthol. Tit.* 5.
*Interprete Tullio. lib.* III. *Tuſcul. Quæſt.*

Dic

DIc Hoſpes *Spartæ*, nos te hîc vidiſſe iacentes:
Dum ſanctis patriæ legibus obſequimur.

*Idem à Laurentio Vallâ.*

Nos *Lacedæmonijs* refer hîc, Peregrine, iacentes;
Exhibito illorum vocibus obſequio.

## XXV.

## MAXIMI SVPPOSITITII.

*Lucilio auctore Anthologia libro tertio.*

*Florente interprete.*

HOſpes, quẽ tumulũ hic *Marcus* vult eſſe Poëta
Lumine defuncti nullius oſſa tegit.
Verùm vnũ hunc verſum prototo epigrãmate fecit.
*Flete, iacet iuuenis Maximus ex Epheſo.*
*Maximus* hîc nullus tamen eſt; ſed vt eſſe Poëtam
Se probet, Hoſpitibus flere Poëta iubet.

## XXVI.

## MVLIERVM EBRIOSARVM.

*Auctoribus Antipatro, Dioſcoride & alio incerto.*

*Interprete Ioſepho Scaligero.*

LOngęuę hæc sũt buſta *Maronidos*: ínq; ſepulcro
E ſilice eſt fabrâ ſculptus ab arte calix.
Multibibax & multiloquax anus hæc, neque natis,
Sed neque natorum paupere patre gemit.
Hoc vnum eſt quod flet vel buſto condita: Baccho
Vas habile hoc, *Bacchi* quod ſit inane, gemit.

*Aliud.*

MOrtas anus, quæ tot duxi, dum vita manebat,
Ad ſacros Bacchi pocula plena lacus,
Puluere non condor: tumuli vice, ſuaue peractæ
Vitæ argumentum Doliolum impoſitum eſt.

*Aliud.*

HIc *Hieron amitam Silenida*, pocula dura
Vincere quam duro non potuere mero,
Rure ſuo ſepelit functam: vt vel mortua, *Bacchi*



Digitized by Google

Nunc propius gratos ſtet tumulata lacus.

*Plura iis ſimilia habes libro III. Anthol. Tit.* 20.

*In eamdem Maronida luſit Leonidas eodem Interprete Ioſepho Scaligero.*

NEx doliorum, temulenta hîc conditur
Anus *Maronis*. Sculptus eſt tumulo ſuper;
Cunctiſque noſcitandus Atticus calix.
Nunc vel ſepultæ non viro aut natis ſuper
Flet, quos reliquit rerum egentes omnium:
Illud flet vnum, quòd calix inanis eſt.

XXVII.

NAVFRAGI.

*Ex Antipatro libro* III. *Anthologia Tit.* 22.
*Interprete C. Vrſino Velio.*

NEutra habet integrũ, nec terra, nec vnda ſepultũ
Æqua adeò pars nunc ceſſit vtrique mei.
Nam piſces carnem medio abſumpſere pro fundo,
Oſſa ſed in gelido littore ſparſa iacent.

*Totidem verſibus idem expreſſit Alciatus.*

XXVIII.

NAVFRAGI ET RVSTICI.

*Auctore Platone libro* III. *Anthologia. Tit.* 22.
*Ex interpretatione Thomæ Mori.*

N*Aufragus* hâc ſitus eſt, iacet illâ *Ruſticus* vrnâ
Ad *Styga*, ſiue ſalo par via, ſiue ſolo.

XXIX.

PANOPEI VENATORIS.

*Agathiâ auctore librō* III. *Anthologia Tit.* 19.
*Interprete Florente Chriſtiano.*

RObuſtum venatorem *Panopea* leonum,
Pantheráſque bonum figere denſipilas,
Hic tumulus condit: nam terrâ dirus ab imâ
Scorpius occidit, montiuagúmque pedem
Punxit: at illa iacent iacula, & venabula, quæ nunc
Heu debent tutis ludibrium capreis.

Digitized by Google

## XXX.

## PERICLEÆ.

*Agathiâ Scholaſtico auctore Anthol, lib.* III.
*Q. Septimio Florente Chriſtiano interprete.*

HOſpes, quid ploras? Tua fata. An me quoq; noſti?
Non equidẽ: apparet mors miſeranda tamen.
Quis tu autẽ? *Periclea.* Viro cui nupta? Bono, inquã
Rhetori, & ex *Aſiâ*, nomine *Memnonio.*
Cur te *Boſporius* puluis tenet? Hoc tibi Parca
Dicat, quæ externâ me tumulauit humo.
Liquiſti infantem; Qui trimus in ædibus errans
Lac nuper noſtris ſuxit ab vberibus.
O vinam viuat! Sic, ſic bene amice, precator,
Grandior, vt cùm ſit, tunc mea fata gemat.

## XXXI.

## PHILONIS SENIS.

*Antiphilo auctore libro* III. *Anthol. Tit.* 10.
*Interprete Ioſepho Scaligero.*

DVm Philo ſandapilã ſenio grauis ædibus efferi,
Exiguâ ſolitas vt ſtipe quærat opes.
In juſto ſub faſce ruit, prodire caducæ
Momentum morti cana ſenecta dabat.
Sic quem ſæpe ſenex alijs portare ſolebat,
Imprudens capulum ſuſtulit ipſe ſibi.

## XXXII.

## PLATONIS.

*Antipater ſcripſit libro* III. *Anthol. Tit.* 33.
*Ioſephus Scaliger interpretatus eſt.*

CVius age inſidis tumulo regina volantum?
Cur ue Deûm æternam ſuſpicis aſtra domum?
Vmbra *Platonis* ego: cæli hîc ad templa volauit:
Terrenum tellus *Attica* corpus habet.

*Aliud ijſdem auctore atque interprete.*

Terra ſinu magni complectitur oſſa *Platonis*,

Aſt anima ordinibus ſancta recepta *Deûm* eſt.
Cuius *Ariſto* pater, fruitur qui luce *Deorum*.
Quem bonus admirans vel procul omnis amat.

*In eundem ex titulo* I. *lib*. III. *Anthol.*
*Interprete Ioſepho Scaligero.*

Iuſtitia ante omnes præſtantior atque pudore
Dius *Ariſtocles* hac requieſcit humo.
Si cui ſupra alios magnum ſapientia nomen
Fecit: majus habet, nec comes inuidia eſt

*Idem Guarino Viennenſi interprete.*

Ante alios caſtus, iuſti quoque amoris amator,
Diuus *Ariſtocles* occubat hoc tumulo,
Si cui de cunctis magnæ eſt ſapientia laudi,
Majorem hic habuit, nec comes inuidia eſt

*Idem Ambroſio Camald. interprete,*

Mortales cunctos excedens moribus æquis
Diuus *Ariſtocles* hoc iacet in tumulo.
Si Sophiæ quiſquam præcônia magna ſecutus,
Hic ſibi multa tulit, liuor & omnis abeſt

*Poteram illud idem Epigramma ex verſionibus Bentini, S. Ioannis S. Leidani ac Cornarij repræſentare, ſed quæ exſcripſi ſufficere arbitror.*

XXXIII.

POLYXENI.

*Antipater ſcripſit Anthol. libro III. Tit. 20.*
*Vertit Chriſtianus Florens.*

QVid querar? an *Bacchum* culpê? an potius *Iouis* imbrem
Incuſem? lubricos tentat vterque pedes.
Namque ſatur rediens conuiua *Polyxenus* olim
Cùm de præcipiti fortè labaſſet agro,
Hîc iacet *Æolide Smyrnâ* procul. Vuidus ergo
Hinc diſcat pluuiam nocte timere viam.

*Idem interprete Ioſepho Scaligero.*

Ergo vtrum accuſem, *Bacchumne*, incertus an imbrẽ,

Neſcio. lapſantes fallit vterque pedes.
Ecce redis potus dum rure, *Polyxene*, funus
Condere, lapſoſo præcipitante iugo.
*Æolide*, & *Smyrnâ* ſitus eſt procul. Ebrius ergo
Quiſquis erit pluuium nocte veretor iter.

XXXIV.

PREXVS PVELLÆ.

*Leonida auctore libro* III. *Anthol. Tit.* 12.
*Q. Sept. Florente Chriſtianò interprete.*

QVæ tu, quóue ſata es, *Pariæ* ſubjecta colūnæ?
Filia *Callitelis Prexo.* Vbi nata? *Samo.*
Quis voluit tumulare? *Theocritus*: illi ego quondā
Tradita. Quæ mortis cauſa? Puerperium.
Quot nata annos? Viginti & duo. Num ſine prole?
Non, trimus viuat cùm mihi *Calliteles.*
Ille tibi ſic viuat in annos vſque ſeniles.
Et res ſors, Hoſpes, proſperet æqua tuas.

XXXV.

PTOLEMÆI REGIS FILII.

*Antipatro Sidonio auctore Anthol.* III. *Tit.* 7.
*Interprete Vincentio Opſopæo*

MVltum te, *Ptolemae*, pater multū inclyta mater
Luxit inornatas dilaniata comas.
Te tuus omnimodis lachrymis defleuit alumnus,
Immundo fœdans puluere canitiem.
*Ægyptus* molles vulſit pullata capillos,
Conſtat & *Europes* ingemuiſſe domum.
Liuida quin etiam tenebris eſt condita *Phœbe*,
Aſtráque cæleſtes deſeruere vias.
Lethali iuuenis cecidiſti peſte priùs quàm
Arriperes tenerâ ſceptra paterna manu.
At non extinctum retinent te *Tartara*, tales
Reges non *Orcus*, ſed *Iouis* aula fouet.

XXXVI.

SAONIS ACANTHII.

*Callimachus auctor libro* III. *Anthol. Tit.* 1.

*Interpres B. Vulcanius*

PAtre *Dicone Sao* ſacrũ *Acãthius* hic modo ſomnũ
Carpit, namque bonos dicere nolo mori.

*Luſcinius ſic vertit.*

Ecce *Saon* ſacro conceſſit morte ſopori,
Non potuit fato vir bonus ille mori.

XXXVII.

SOPHOCLIS TRAGOEDI

*Erycio auctore libro* III. *Anthologia. Tit.* 25.

*Interprete Florente Chriſtiano.*

AD nitidum ſemper tumulũ tibi, dic *Sophocles*,
Scenales ſerpant mollipedes ederæ:
Et tua taurigenæ libent monimenta volucres,
Vndique *Hymettei* melle rigata faui.
Vt fluat *Actai* libri tibi cera perennis,
Vtque tuas cingat multa corona comas.

XXXVIII.

THEMISTOCLIS.

*Germanico auctore libro* III *Anthol. Tit.* 5.

*Florente Chriſtiano interprete.*

PRo tenui tumulo mihi *Gracia*, piláque dentur
Barbarici teſtes ſignáque naufragij
Perſicáque in tumuli, Xerxemque, crepidine bella
Adde. *Themiſtoclem* tum ſuper iſta tege.
Pro cippo adjaceat *Salamis*, mea facta recenſens:
Quid paruis magnum compoſuiſſe iuuat?

*Idem interprete Daniele Heinſio.*

Pro tumulo vili ſtet Græcia, lignáque fracta
Barbarici teſtes addite naufragij
Inque ſepulcrali ſtent margine *Perſica* bella,
Et *Xerxes*, iſtis claude *Themiſtoclea*.

Digitized by Google

At *Salamis* ſtet pro cippo, & mea facta loquatur,
Cur paruo iaceam maximus in tumulo?

XXXIX.

THEODORI POETÆ.

*Auctore incerto, Fl. Chriſtiano interprete.*

HEu triſti fato interijt *Theodorus*, & vna
Priſcorum vatum turba canora perit.
Omnis enim ſpirabat eo ſpirante, cadente
Tota cadit: moles vnica cuncta tegit.

*Vide librum Anthol.* III. *extremo ferè Titulo* 25

XL.

THERIDIS.

*Callimacho auctore Anthol. libro III. Tit. 2.*
*Interprete Vulcanio.*

HOſpes erat paruus, parua vrna, inſcriptio parua
*Theris, Ariſtai, Cres* latet hoc tumulo.

XLI.

TIMOCREONTIS RHODII.

*Simonide vel Callimacho auctore libro III. Anthol.*
*Tit. 6. interprete Raphaele Volaterrano.*

MVlta bibens, tum multa vorans, male deni-
que dicens
Multis, hîc iaceo, *Timocreon Rhodius.*

XLII

TIMOCRITI.

*Ex Anacreonte libro III. Anthol. Tit. 5.*
*Interprete Thomâ Moro.*

FOrtis erat bello *Timocritus*: hîc iacet ergo.
Fortibus haud parcit, *Mars* ferè ſed timidis.

*Idem Io. Sleidano interprete.*

Conditur hoc ſaxo validus *Timocritus* armis,
Parcitur ignauis *Marte* volente viris.



Digitized by Google

XLIII.

TIMONIS.

*Auctore Callimacho, libro III. Anthologiæ Tit. 2. Interprete Bonauentura Vulcanio.*

HIc habito *Timon* hominum oſor: perge Viator,
Dic mala multa mihi, dummodo prætereas.

*In eumdem multa multorum extant epigr. Tit. 7. Ex quibus tria Latinitate donauit Vincentius Opſopæus.*

XLIV.

VLYSSIS.

*Auctore incerto, qui de Græcis Heroibus, quo loco ſepulti iaceant, diſticha edidit, quæ habentur in Appendice Anthologiæ Editionis Vecheliana anni* 1600.

PRudentem celebrémque virum poſt aſpera fata
Hoc gratus tumuli ceſpite velat honor.

*Aliud.*

Hic *Laërtiades* ſitus eſt, qui magna *Pelaſgis*
*Trojano* in bello commoda ſæpe tulit.

LXV.

In veteri inſcriptione quæ Romæ viſitur:

TI. CLAVDI EVGENETIS.

Ἀπλήρωτ' Ἀΐδη, τί με νήπιον ἥρπασες ἄφρων.
τί σπεύδεις; ὦ σοι πάντες ὀφειλόμεθα;

Poteram & alia Græca ex Gruteri Theſauro eiuſque Appendice, ex Anthologia, ex Sirmondi notis ad Ennodium, Vineto ad Auſonium, aliiſque collecta, aut ab eruditis recentioribus conſcripta huc congerere. Verum admonet Typographus ſolennis noſtri acroamatis.

ΟΥΤΕ πάντα, ὅτι πάντοτε, ὅτι παρὰ πάντων,

*Neque omnia, neque paſſim, neque ab omnibus.*

Digitized by Google

# SELECTORVM EPITAPHIORVM THESAVRI

## PARS NONA.

Ingenioſa, ſed Iocoſa, ſalſa, ridicula, Ænigmatica, in quibus plurima Leoninis Rhythmiciſque verſibus ad captandum riſum elucubrata, quædam monoſticha diſticháue, nonnulla etiam ſoluta numeris omnibus oratione conſcripta:

Occurrent in ijs & quædam ſeria, ſed quæ, vel ob ſimplicitatem, vel ob crebras ad idem vocabulum alluſiones, aut exquiſitas minus operoſaſque argutias, eruditis riſum mouere ſoleant.

I.

### ACTÆ LIBERTÆ.

*Ianus Gruterus* DCXCI. 9. *Theſauri veterum Inſcriptionum.*

HIC ſtigmata æterna Actes libertæ ſcripta ſunt, venenariæ & perfidæ, doloſæ, duri pectoris, clauom & reſtem ſparteam, vt ſibi collum alliget, & picem candentem,

Digitized by Google

vt pectus malum comburat ſuum. Manumiſſa ſacratiſſ. ſecuta adulterum, patronum circumſcripſit, & miniſtros: ancillam & puerum lecto iacente patrono abduxit, vt animo deſponderet ſolus relictus ſpoliatus ſenex.

II.

ADVOCATI CVIVSDAM.

*Auctore Theod. Beza.*

O Rerum varias vices, & ingens
Fortunæ paradigma ſæuientis!
Clamoſiſſimus omnium virorum,
Qui verborum operam omnibus locabat,
Nunc raptus *Rhadamanthium* ad tribunal
Conducit miſer, antè quæ locabat.

III.

ÆLIÆ, LÆLIÆ, CRISPIDIS.

Bononiæ in Æmilia.

AM. PP. D.

ÆLia, Lælia, Criſpis: nec vir, nec mulier, nec Androgyna: nec puella, nec iuuenis, nec anus, nec caſta, nec meretrix, nec pudica, ſed omnia. Sublata neque fame, neque ferro, neque veneno, ſed omnibus. Nec cælo nec aquis, nec terris, ſed vbique iacet. Lucius Agatho Priſcius, nec maritus, nec amator, nec neceſſarius: neque mœrens, neque gaudens, neque flens: hanc nec molem, nec pyramidem, nec ſepulchrum, ſed omnia; ſcit & neſcit quid, cui poſuerit: Hoc eſt ſepulchrum intus cadauer non habens: hoc eſt cadauer ſepulcrum extra non habens: ſed cadauer idèm eſt & ſepulchrum ſibi: *Alij legunt*: Hoc nec ſepulcrum. Hoc nec cadauer, &c.

In illud Epitaphium toto orbe celeberrimum, quod Bononiæ extra portam extate dicitur, Com-

mentarios plerique ſcripſerunt viri eruditi, atque in varias, vt fit, abierunt interpretationes, quas omnes retulit ac refutare molitus eſt, vt ſuas deinde haud paulo meliores adſtrueret Fortunatus Licetus, Genuenſis, Philoſophus perinſignis, libro in eam rem edito Patauij in 4. apud Gaſparem Ciuellarium anno Chriſti 1630 Marcus Michaël Angelus aquam pluuiam ex mari deductam interpretatus eſt: Richardus Vitus Baſinſtochius Anglus poſt Agathiam ſcolaſticum de Niobe in lapidem conuerſa primum; tum de Anima rationali ac tamdem de idea Platonica: Ioannes Turrius de Materia prima: Nicolaus Barnaudus & Franciſius Schillus de Eunucho, idemque Barnaudus rurſus de lapide Philoſophico: Zacharias Pontinus de tribus in eodem ſepulcro poſitis: Gaſpar Geuartius I C. & Antuerpienſis Archigrammateus in electis de Amore explicare conatus eſt: ipſe denique Fortunius Licetus in illa ingeniorum cruce ac dulci tormento deprehendiſſe ſibi viſus eſt Generationem, aut Amicitiam, aut Priuationem.

*Apud Minores Tornacenſes,*

*Cy giſt le Pere, cy giſt la Mere:*
*Cy giſt la Seur, cy giſt le Frere:*
*Cy giſt la Femme & le Mary:*
*Et n'y a qu'e deux corps icy.*

De pari conjugum poſtea ad Religionem tranſeuntium & in ea præfectorum: quorum alter fuit Minorita, altera Clariſſa. Ita Franciſcus Suuertius in Monumentis Tornacenſibus. Quæ ſanè interpretatio longè commodior eſt eâ quam in Horto habes Epitaphiorum.

*Aliud auctore Tito Stroza.*

VIr, conjux, genitrix, natus fraterque ſorórq;
Hic duo; ſint quamuis nomina plura iacent.
Error enim ſceleri cauſam dedit, inſcia nupſit
Illi, quem peperit filia miſta patri.

*Alterum haud abſimile.*

HOc Auia, hoc Neptis, Nata, Materq; ſorórq;
Frater, vir, conjux, Filius atque Pater
Marmore contegimur. Tot in vno condita? dicis,
Ne credas. Solum corpora trina ſumus.

*Auctor huius eſt Stephanus Paſchaſius.*

Hoc Auia, hoc Neptis, Nata hoc Materq. ſorórque,
Frater, Vir, Conjux, Filius, atque Pater,
Marmore contegimur. Tot, in vno condita? Dicis,
Ne credas: Solùm *corpora trina ſumus.*

Polæ in Iſtria.

PAter cum filiâ,
Frater & ſoror,
Socer & nurus,
Hic tantùm duo iacent.

*Addi poterit quod ſequitur.*

Veruex, & pueri, puer vnus, ſponſa, maritus:
Cultello, lymphâ, fune, dolore cadunt.

*Hanc diſtichi expoſitionem legi apud Claudium Pratũ.*

DVo pueruli vna cum veruece arietabant. Euenit vt veruex cornu feriendo vnum ex ipſis grauiter læſerit, cuius ictus dolorem ipſe ſentiens gladiolo, quo ad enucleandas nuces vtebatur, veruecis pectus transfixit. Alter puerulus veruecis mortem lugens, in fratrem indignatus, ſuum cultellum è vagina eduxit, fratríſque pectus tranſfodit. Interim mater, quæ alterum infantem adhuc in cunis lactabat, interfectorum extrema ſuſpiria audiens, eò loci ſubito accurrit, ſuſpicata ni-

Digitized by Google

mirum quid eis mali eueniſſe. Vbi illic adfuit, videns veruecem & puerum interfectos & rata horrendam hanc necem à puero ſuperſtite perpetratam fuiſſe, quod ipſe conſortis impatiens eſſet, cultello ex pectore mortui pueri educto ſuperſtitem trucidauit. Quibus peractis domum rediens non abſque pœnitentiâ reperit infantulum in lebetem aquâ calidâ repletum caſu lapſum occidiſſe. Quorum infortuniorum nimio dolore affecta laqueo trabi domus illigato ſuſpenſa vitam miſerrimè finijt. Poſtremò maritus domum reuerſus, & hæc funeſta videns, nihilque viuum ſupereſſe, prægrandi dolore perculſus diem clauſit extremum. *Hæc ille.*

## IV.

## ALANI CALVI.

Alanus *Caluus* iacet hic ſub marmore *duro.*
Vtrum ſit *ſaluus* neque curauit, neque *curo.*

## V.

## ALPHII FVRCA DIGNI.

Alphius hîc ſitus eſt. Crux inuidet alta ſepulto:
Debitus ex merito nam fuit ille cruci.

## VI.

## AMANTIS IVVENIS.

*Apud Pithœum p.* 109.

FActus Amor mitis transfixo clauſit amanti
Lumina, conlegit corporis oſſa Charis,
Tradidit inferias pia Cypris, carmen in ipſâ
Vrnâ Erato ſcripſit: tu lege, quiſquis amas.
Non hic corpus ineſt, non hic cinis ater: at vna
Flamma calens: cremat hæc flamma: Viator, abi.

VII.

ANTONII COCI.

ANtoni tibi pro tumulo ſint arma culinæ,
Olla, lebes, ligulæ, trullæ, patella, veru.
Vngere non opus eſt, vnctum nec adurere corpus;
Cum ſatis ad Manes vnctus & vſtus eas.

*Alterius Coci epitaphium auctore Io. Matth. Toſiano.*

HIc dum fortè cani fugienti feruidus inſtat,
Altiùs impreſſo ſe necat ipſe veru.
Illud credibile eſt aliquam rexiſſe ſororum
Eumenidum & miſeri pectus ..diſſe coqui,
Tartarei imperio Regis, cum fortè deeſſet
Qui coqueret ſtygio fercula nigra Ioui.

VIII.

ALARDI MILLENI.

*Louanij in Abbatia S. Gertrudis.*

HIc iacet *Alardus* non mentis acumine *tardus*
Dictus *Millenus* cognomine, qui bene *plenus*
Omni *doctrina*, necnon variâ *Medecina*,
Mille ſciens *artes*, pueros docuit bene *partes*.
Nobilis vt *pictor*, vitrorum ſic quoque *fictor*,
Preſbyter, & *rector*, verbi ſacri quoque *lector*,
Cantor, & in *Sacris* illi vox ſtridula & *acris*,
Vtque *moderator* puerorum, ſic bene *amator*
Sanctæ *Gertrudis*, quæ munera mille *retrudis*.
Omnia & *emebat*, placuit quodcumque *videbat*,
Atque domi *vixit*, ſolus menſæ & *benedixit*.
Hic nouit *Latias*, *Gracas*, necnon & *Hebraas*.
Omnia cum *ſciuit* Mortem ſuperare *nequiuit*.

*De eodem hoc ferebatur diſtichon.*

Nil ipſum latuit, cunctas pernouerat artes,
Nullius ille hominis viuus egebat ope.

Digitized by Google

IX.

ALEATORIS.

MVltos *Sica* necat, plures *Venus*, & *Gula* plures,
Verna triplex *Stygiæ* nil miſerantis heræ.
At non iſta mihi, non illa perire, nec illa
Cauſa fuit, quamuis hæc quoque cauſa fuit.
Me præceps ſcopulus detriuit in æquore ſicco
*Alea* naufragij cauſa pudenda mei.
Quas non *Scylla* rates & ſaxa *Ceraunia* perdant,
Tam leuis euertit ſi mea cuncta *lapis*?

X.

ANACREONTIS.

*A Cœlio Calcagnino.*

AT te, docte Senex, acinus ſub tartara miſit;
Cycneæ clauſit qui tibi vocis iter.
Vos hederæ tumulum, tumulum vos cingite lauri,
Hoc roſa perpetuò ver nec odora loco.
At vitis procul hinc, procul hinc odioſa faceſſat,
Quæ cauſam diræ protulit vua necis.
Creditur ipſe minus vitem iam *Bacchus* amare,
In Vatem tantum quæ fuit auſa nefas.

XI.

ANNÆ CVIVSDAM.

*Claudio Verderio auctore.*

DIogenes captâ fertur petijſſe lucernâ
Clarâ luce probum, nec reperiſſe, Virum.
Si bona quæratur Mulier, labor omnis inanis:
Mortua cum ſit, in hoc *Anna* ſepulta ſolo.

XII.

ANDREÆ FABRI

*Ex Muſconio.*

ORbibus *Andreas* cingebam vaſa rotundis
Impiger, & celeri dolia multa manu.
*Atropos* inuidit, filum ſecat: *Orcus* adegit

Digitized by Google

Fracta *Charontea* ligna dolare ratis.

XIII.

ANONYMI.

*Mechlinia referente Suuertio.*

MOnumentum non poſitum, qui ſtare etiam potui, hîc iaceo. Nil anni aut vires profuerunt: nec ſcio quî extinctus ſim, homo parumper fui, etiam rogas? rem feci; nec reliqui, quibus volui. ſic fortuna fauit, vt noceret. Viuere etiam viuus deſij, vi curarum & morbi, quem ignoro. ſed nunc extinctus viuo; nunc ſepultus loquor, & te, Lector, rogo, mori cogites priuſquam moriaris.

XIV.

ANONYMI.

*Auguſta, & pluribus alijs locis.*

QViſquis *ades*, qui morte *cades*, ſta, reſpice, *plora*. Sum, quod *eris* modicum *cineris*: pro me precor *ora*.

*Aliud ibidem.*

Nunc quod es, ipſe fui: nunc ego ſum quod eris.

XV.

ANONYMI.

*Extat inter Epigrammata Ioannis Rauiſij Textoris Niuernenſis, mihi paginâ 225.*

*Natan Chytræus, aliique ex eo aſſerunt eſſe cuiuſdam Regis Franciæ, ſed non probant*

RIſi, ploro: fui, non ſum: ſtudui, requieſco:
Luſi, non ludo: cecini, nunc mutio: paui
Corpus, alo vermes: vigilaui, dormio: dixi
Salue, dico vale: rapui, rapior: ſuperaui,
Vincor: certaui, pace vtor: iure ego vixi,
Iure igitur morior: non obſto, obſtare nequirem.
Terra fui quondam, rurſum ſum terra: nihil ſum.
Terra caduca vale, vermes ſaluete, recumbo.

XVI.

Digitized by Google

## XVI.

## ANONYMI.

*Hamburgi in Templo Cathedrali.*

O MORS CVR DEVS NEGAT VITAM
SVPER
BE TE BIS NOS BIS NAM.

*Canon.*

ORdine da primam mediæ, mediámq; ſequenti,
Debita ſic noſces fata *ſuperbe* tibi.
Quid mortalis homo iactas te? quídue *ſuperbis*?
Cras forſan fies puluis & vmbra leuis.
Quid tibi opes proſũt? quid tũc tibi magna poteſtas?
Quídue honor? aut præſtãs quid tibi vita? NIHIL.

*Iactatur & hoc diſſimile.*

O QVID TVA TE
BE, BIS. BIA, ABIT.

## XVII.

## ANONYMÆ PVELLÆ.

*Monte Regali in Subalpinis.*

FOrma, ætas, vires, ſanguis, ſpes, gaudia, mores
Heu valeant, poſtquam morte caduca ruunt.
Deſerui matrem, Mater tenet horrida natam:
A matre ad Matrem ducitur omne genus.

*Petrus Andreas Canonherius pag.* 71. *Editionis ſecundæ, quam percurro inuitus, præterquam quod primum verſum fœdè corrupit, hoc lemma epitaphiũ huic adſcripſit,* DE SEIPSA PATHOS.

## XVIII.

## ANTONIÆ CVIVSDAM.

*Romæ in Hoſpitali S. Mariæ de Conſol.*

Sceletos Viatori.

CArnibus oſſa ſuis cur ſint hęc, fortè requiris,
Iuncta tamen iuſto corporis oſſa ſitu?

Sic mandata dedi viuens *Antonia* quondam,
Et moriens eadem iuſſa ſuprema dedi.
Vt ſceletos fierem, *Medici* quo diſcere poſſent,
Quanta forent, quot, quo, quælibet oſſa loco.
Quod iuſſi, fecit *Giſbertus*, gratia magna
Hinc maneat, ſatis eſt lux mihi perpetua.

Quod hoc vides, Amice, corpus ſine corpore, ne ſtupeas, aut damnes quiſquis es. Teſtamento ſic ipſa caui, vt hoc, quod cernis, fierem Philoſophis ac Medicis ſacrum. Horum ſi es de numero, ſacro legato vtitor: ſin profanus indoctus, hinc ocyus abſcedito.

## XIX.

## ANONYMI ALTERIVS.

Vermibus hîc *donor*, & ſic deſcendere *conor*.
Qualiter hîc *ponor*, ponitur omnis *honor*.

*Corrupit vltimũ verſum Petrus Andreas Canonherius pag. 3. Farraginis inconditæ quam inſcripſit, Flores illuſtrium Epitaphiornm.*

*Romæ in Xenodochio.*

Hoſpes diſce nouum mortis genus: improba felis,
Dum teneo digitum mordet, & intereo.

*Neſcio ex quo loco.*

Quem niue nocte peto, nucis hic me ſtipite cædit:
Sic mihi Nix, Nox, Nux, mors fuit ante diem.

*Neapoli ad S. Ioannis Majoris.*

Cùm tumulum *cernis* cur non mortalia *ſpernis*?
Tali namque *domo* clauditur omnis *homo*.

*Piſtorij in ſummo Templo.*

O Vos quid *cupitis* mortem euitare *ſeueram*?
Qui ſum, Vos *eritis*: quippè quod eſtis, *eram*.

*Aliud.*

Quem lapis iſte *tegit* ſaluet qui Tartara *fregit*.

Digitized by Google

*Aliud.*

Vixi quod volui; volui quod fata volebant
Nec mihi vita brevis, nec mihi longa, fuit.

## XX.

## M. ANTONII COCCII SABELLICI,

*Ioanne Latomo auctore.*

MAgnus in hoc tumulo iacet ille *Sabellius*, orbis
Cuius ad ingenium non ſatis vnus erat.
Tempora permodicis incluſerat omnia chartis
Seruire exemplo quæ potuere aliquo.
In Venere incertâ tamen hic extabuit: atque
Maluit *Italicus Indica* Fata pati.
Quid iuuat humanos ſcire atque euoluere caſus,
Si *fugienda* facis, & *facienda* fugis?

## XXI.

## ARNOLDI TERAETS ADOLESC.

*Bruxellæ in D. Gudulæ Templo.*

NVnc iaceo, ſtabam qui nuper flore iuuentæ,
Sic æui flores inuida *Parca* legit.
Sic *Charitum* ſegetes inuida *Parca* metit
Sic ſummos titulos inuida *Parca* ruit.
Sic cœptis laqueos inuida *Parca* ſtruit.
*Obijt anno* M. D. XCV. X *Iunij*.

## XXII.

## ANTONII IVVENIS.

*Auctore Antonio Viſdomino.*

CLaudor in hoc tumulo raptus iuuenilibus ânis
Dilectus *Muſis Aonióque* iugo
Hoc quicumque vides, *Antoni*, dicito, Salue,
Salue, inquam; ſolitum non ego curo Vale.



Digitized by Google

XXIII.

## ANTONII MILITIS.

*Auctore Vulſejo.*

INuidere Orbi Tria Numina Numen ademptũ.
Mars, Mors, Sors: in Tres quis ferat arma Deos?
Quòd ſi Mars ſolus, vel ſi Mors ſola fuiſſet,
Iam ſine Marte Orbis vel ſine Morte foret.

XXIV.

## APIDANI PISCATORIS.

*Ant. Io. Bapt. Amaltheo.*

CAptiuos vt forte ſenex relegebat echinos,
Apidanum hibernis obruit vnda vadis.
Tum quoque verſa ratis perijt, prædámque recentẽ
Naufraga piſcoſis reddidit æquoribus.
Quámque habuit ſociãque viæ victúſque miniſtrã,
Illa eadem extinctum trans Styga vexit herum.

XXV.

## ARDELIONIS ANONYMI.

*In Prato Claudij Prati.*

Nulla quies mihi viuo: at nunc eſt tanta ſepulto,
Vt pigeat citiùs non potuiſſe mori.

XXVI.

## ARETINI.

COndit Aretini cineres lapis iſte ſepultos,
Mortales atro qui ſale perfricuit.
Intactus Deus eſt illi, cauſámque rogatus,
Hanc dedit, ille inquit, non mihi notus erat.

XXVII.

## ARNVLFI CORNEBOVTII.

*Villarienſis monachi in Brabantia.*

PAuſat in hac *tumbâ* vir ſimplicitate *columba*
Qui leo *virtute*, iubilis ſimulatur *alauda*:
Qui turtur *gemitu*, viſu ſimul atque volatu
Par aquilæ, ſalamandra nouo qui vixit in igne.

Digitized by Google

Vis breuius iuſti laudes in fine probare?
Nũc canit in *delà ſol*, qui quondam fleuit in *Alle*.

XXVIII.

ASTROLOGI.

*Michale Marullo auctore.*

Dum cauet Aſtrologus perituris ſidera amicis,
Dum ſibi boletos non cauet, ipſe perit.

XXIX.

ATHEI.

*Extat libro primo Epigr. Io. Andoënj.*

Mortuus eſt quaſi victurus poſt funera non ſit;
Sic vixit tamquam non moriturus erat.

XXX.

AVARI PATRIS ET FILII.

*Ex Grutero* DCCCXXIII. 2. *Pithao pag.* 100.

QVi dum vita data eſt, ſemper viuebat auarus,
Heredi parcens, inuidus ipſe ſibi,
Hic accumbentem ſculpi genialiter arte
Se iuſſit doctâ poſt ſua fata manu:
Vt ſaltem recubans in morte quieſcere poſſet,
Securáque iacens ille quiete fruj
Filius à dextro reſidet, qui caſtra ſecutus
Occidit ante patris funera mœſta ſui.
Sed quid defunctis prodeſt genialis imago?
Hoc potius ritu viuere debuerant.

XXXI

AVARI ET AMDITIOSI.

*Tribuitur Stephano Doleto.*

CVjus cupiditatem bonorum extinguere
Bona nulla poterãt, mors quidẽ extinxit ferox:
Illum quoque expleuit, quem honores antea
Explêre nulli. adeò nec ipſe orbis ſatis
Fuit, nec omnes fumi honorum, cui breue
Satis eſt modo ſepulcrum & oſſa tegens lapis.



Digitized by Google

## XXXII.

## AVI CELTICI.

*Malarum cauſarum vt aiunt, Patroni.*

CEltiſcus expirauit *Auus*, plorate nepotes,
Ad reſtim vobis res modo veſtra redit.
Publica res veſtra eſt, merx, & mangonia honorum
Veſtra, nefas veſtrum, veſtra, rapina fuit.
Sic bonus illi indulſit *Auus*, per mille ſalutes
Epotas toties ille benignus *Auus*.
Quo modò morte malâ, bonus an malus, haud ſcio
obiuit,
Vt mala cauſa crucem poſſit adire malam.

## XXXIII.

## AVFIDI BIBONIS.

*Ab Hieronymo Amaltheo.*

BAcchi ſatelles cum periret *Aufidus*,
Supplex rogauit, vt cadauer illius
Quieſcat hoc in dolio, quod antea
Plenum Falerno millies inanijt.

## XXXIV.

## AVREOLI.

*Apud Pithœum p. 185.*

DOna ſepulcrorum victor poſt multa tyranni
Prælia, cùm fœlix *Claudius Aureolum*
Munere proſequitur mortali, & iure ſuperſtes,
Viuere quem vellet ſe pateretur amor.
Militis egregij vitam qui iure negauit
Omnibus indignis, & magis *Aureolo*,
Ille tamen clemens qui corporis vltima ſeruans,
Et pontem *Aureoli* dedicat & tumulum.

Digitized by Google

XXXV.

BAPTISTÆ STABILINI.

*Ferrariæ in D. Maria.*

HOc *Baptiſta* iacet *Stabilinus* marmore: viuus
Numquam quieuit, at quieſcit mortuus.

XXXVI.

BARILETI.

HIc *Barilletus* iacet omni tempore *lætus*:
Sit felix *cælum* ceu fuit ante *ſolum*.

XXXVII.

*Bibaculi Ebrionis.*

HEIC iacet Amphora vini.

*Bibonis alterius.*

ROMÆ.

Hoſpes ad hunc tumulum ne mejas, oſſa precantur,
Tecta hominis; ſi gratus homo es, miſce, bibe, da mi.

Ebriorum aliorum vide *infra*.

XXXVIII.

BIS SACERDOTIS.

BIs fuit hîc natus, puer & *Bis*, *Bis* iuueníſque,
*Bis* vir, *Bíſque* ſenex, *Bis* Doctor, *Bíſq;* Sacerdos.

XXXIX.

BVPHORI DVCIS.

*Auctore Raphaële Placentino.*

PEremptus eſt Bos. Largius cœnabitur.
Sed eius, inquam, nominis magnum virum.
Quid ergo Mors noui dedit? Mortis genus
Crudele. Plurimæ viæ: ſed exitus
Eſt vnus omnibus, tyrannique hoc fuit.
Fleamus. Eſt fletum ſatis dum viueret.



Digitized by Google

## XL.
## CÆSARIS BORGIÆ DVCIS VALENTINI.
*Incerto Auctore.*

BOrgia Cæſar erat, factis & nomine *Cæſar*
Aut *Nihil*, aut *Cæſar*, dixit: *Vtrumque* fuit.

*Aliud.*

Aut *nihil* aut *Cæſar* vult dici Borgia: quidni?
Cum ſimul & *Cæſar* poſſit & eſſe *nihil*.

*Aliud.*

Omnia vincebas, ſperabas omnia *Cæſar*,
Omnia deficiunt, incipis eſſe *Nihil*.

## XLI.
## CAII IOCVNDI.
D. M.

C. Iocundo C. F. exq. qui XXII. annis vixit & ſepties ſpectantibus pub. Imperatoribus Ser. Galba, Othone Siluio, Aulo Vitellio & P. R, ſaltauit, cantauit, & placuit. Pro jocis quibus cunctos oblectabat, ſi quid oblectamenti apud vos eſt, Manes, inſontem reficite animulam. Fauſtus nunc infauſtus puero & ſibi fecit.

## XLII.
## CAMILLI BOCATII
*Cremonæ.*

ARte fuit [illegible]ato prior, & pater arte ſecundus,
Ergo erit arte minor, qui fuit arte prior.

*Aliud.*

Hic jacet *intus*
Camillus *Quintus*:
Dic pro eo bis *aut ter*,
Aue Maria Pater *noſter*.

Digitized by Google

## XLIII.

## CAROLI BORBONII

*Qui captâ Româ interfectus eſt.*

VIctorem, victúque eadem complectitur vrna,
Et tamen hoc victi non niſi corpus habet.
Hoccine miraris? mirari deſine; vicit,
Qui jacet hîc, alios; ipſe ſibi perijt.

## XLIV.

## CAVSIDICI RABIOSI

*Incerto Auctore*

CAuſidicus moritur, tumulo datur, & triduo inde
Erutus à canibus factus hirudo fuit,

*Alterius nomine Bauij.*

Fæx hominum, fraus totus homo, nequiſſimus olim
*Bauius*, ad cauſas optima lingua malas,
Obſitus vrticis vrentibus hîc jacet: illi
Nocte Stryges vlulant, luce patente canes.

*Principium ac finis deſumpta videntur ex diſticho quod primâ Parte numero CXIV. produximus ex Pithœi collectaneis.*

## XLV.

## CERBERI LVDIMAGISTRI.

*A Tito Veſp. Strozâ*

IAm malè ſeruabat *Stygius* tot millia *cuſtos*,
Nec ſatis in foribus *janitor* vnus erat.
*Cerberus* aſt illi ſuperbis modo raptus ab oris,
Additur & pariter limina dira tenet.
Verberibus pueros olim vexauit acerbis,
Nunc rabido terret pallida regna ſono.

*Cerberum alterum, ſed furaciſſimum hominem, exhibet nobis Io. Iouianus Pontanus hoc eleganti octaſticho.*

*Cerberus* hîc ſitus eſt, latrat ſed ad oſtia nullus,

Scilicet indicio ne ſit id ipſe timet.
Fur erat, & furtis vitam dicebat; at illum
Deuorat in tenebris improba turba canum.
Vmbra petit *Manes*, quam *Cerberus* ore trifauci
Deuorat, haud *Stygias* paſſus inire domos.
Furibus hæc pœna eſt: furti reus oſtia *Ditis*
Non intret, rabido præda ſit ille Cani.

XLVI.

CERDONIS

*Stephanus Paſchaſius ſcripſit.*

NVſquam tantillum viuus poſſedit agelli,
Quo poſſet miſerum ponere *Cerdo* pedem:
More ſed *Æthiopum* terras vagus hoſpes obiuit,
Donec mortuus hac jam requieſcit humo.
Extincto dat Mors, viuo quod vita negarat,
Scilicet & terram, ſcilicet & requiem.

XLVII.

CHIAPPINI VITELLI.

COrpus habet *Latium*, tenet inteſtina *Brabãtus*,
Aſt animam nemo: cur? Quia non habuit.

XLVIII.

CHVNONIS MINISTRI.

*Ab Henrico Fabritio.*

HIc *Chuno* ſitus eſt operarius iſte *Miniſter*,
Non rudis ad furti qui fuit omne genus.
*Puluere* nitratô huic facilíque repleta *papyro*
Igniuomo lethum *canna* fragore tulit.
Vna vel hæc ſignis tibi mors demonſtrat apertis,
Qui ſcelus in terris vendicet eſſe Deum.

XLIX.

CICCHI EBRIOSI.

HIc ſitus eſt *Cicchus*, quem teſtas inter & vtres
Mactaſti *Græco* palmite *Bacche* furens.

Digitized by Google

L.

CLARÆ PVELLÆ.

CLaram præclaram rapidè ipſa rapax rapuit
Mors,
Clara tamen *Clara* fama perennis erit.
*Clara* ſuo clarum fecit quæ nomine mundum,
*Clara* magis clarum nunc facit ipſa polum.

L I.

CLAVDII CVIVSDAM

*Qui obijt Decembris vltimo die.*

CLaudius hîc *claudor*, morior dum *clauditur*
annus.
Tali *clauſurâ clauditur* omnis homo.

L I I

CLAVDII MAROTI

*A P. Fuluio*

BVcolicos verſus, Elegos, Epigrammata luſit,
Dauidem Gallos juſſit inire ſonos:
Sarcophagos planxit, mutatas vertere formas
Auſus: ſed perijt, dum fera bella parat.

L I I I.

COMEDONIS TERMAXIMI.

ADſta viator, te niſi fortè auocat
Repentè nata propter hoc buſtum fames.
Amor enim edendi conditus mecum hîc cubat:
Hæc vna menti cura, dum vixi, fuit:
Adeò vt viderer veſtri in oras luminis
Miſſus ad edendum, planè iners ad cetera.
Dum ſuppetebant ergo fortunæ mihi,
Pudore victo, feruidè hoc vrgens opus,
Id cujus ergò veneram, feci libens,
Genium ſecutus atque Naturam ducem.
Me Sol edentem vidit, & cùm pelleret
Noctis tenebras, & tenebris inuicem

Cùm pelleretur, nec puſillum temporis
Punctum remiſi, quin vacarem muneri.
Neu liberorum cura alendorum patrem
Edacitate ab inſtitutâ auerteret;
Vitam peregi cœlibem inter fercula.
Tandem quod ederem cùm nihil reliqui foret,
Et ſic quod agerem nil mihi reliqui foret,
Abſumpto obiui patrimonio diem,
Inutilíſque ne forem, eſſe deſij.

*Aliud Guloſi Ventris.*

Vis aliquándo mori? Tumulum compone libenter:
Nolo mori: tumulus nam mea menſa meus.
Hanc dico, immò mea terram ecce proboſcide fodi:
In foueâ hâc ſaturo ventre perinde cubo.

LIV

P. CORNELIÆ ANNIÆ.

*Fictum à F. Franc. Columnâ in Poliphilo.*

D. M

P. Cornelia Annia, ne in deſolata orbitate ſuperuiuerem miſera, viuam me vltro in hanc arcam cum viro defuncto incomparabili amore damnatam dedo: cum quo vixi annos XX. ſine vllâ controuerſiâ, libertis libertabúſque noſtris mandans, vt quotannis ſupra arcam noſtram Plutoni & vxori Proſerpinæ, Manibúſque omnibus ſacrificent: roſiſque exornent: ac de reliquis ibi epulentur. Dono dedi, præcepi, mandaui dari HS. X. atque teſtamentum faciundum delegaui. Vale vita.

L V.

CORNELII AGRIPPÆ.

*A Io. Baptiſtâ Poſſeuino Mantuano.*

Viuens quem cernis, ne te fortaſſe moretur
Os placitum, *Stygij* Rex fuit iſte Lacus.
Quare etiam cuſtodem habuit dum viueret *Orci*,

Cui nunc in tenebris præda daret comitem.
Aſt hic, ſi ingenium moderari ſciſſet, ad auras
Tantùm iſſet, quantùm *Tartara* nigra ſubit.

*Eiuſdem.*

Inter Diuos nullos non carpit *Momus*: Inter Heroas monſtra quæque inſectatur *Hercules*: Inter Dæmones Rex Erebi *Pluto* iraſcitur omnibus: vmbris: Inter Philoſophos ridet omnia *Democritus*, contra deflet cuncta *Heraclitus*: Neſcit quæque *Pyrrhon*, & ſcire ſe putat omnia *Ariſtoteles*: Contemnit cuncta *Diogenes*: Nullis his parcit *Agrippa*, contemnit, ſcit, neſcit, flet, ridet, iraſcitur, inſectatur, carpit omnia ipſe *Philoſophus* Dæmon, Heros, Diuus & omnia.

LVI.

CORRADI SALÆ.

*Patauij refer. Scardeonio, Suuertio, alijſque:*

SAla, fuit *genti* cognomen: *Sal* neque *menti*
Defuit: heu! *fato* minuuntur cuncta *parato*.
*Corda duo geſsi Corradus*, inania *preſsi*.
Me fidei *meritum* luſtrauit gloria *legum*:
Nec ſolus *perſto* hîc, *Daniel* mihi filius *eſto*
Concluſus *totidem* fultus virtutibus *idem*.

LVII.

CORYDONIS I.C.

*Nondum auctorem reperi.*

EXpers conſilij, legúmque, & iuris inanis
Hic ſitus eſt *Corydon*, ſus mera, ruſq; merum.
Si piper ad Praxim, ſi iura ad Iura valerent:
Cedat ei *Deinus*, *Bartolus*, atque *Cynus*.

CRASSI PINGVISSIMI.

*Ludebat Ioannes Giraldus.*

QVi cito pingueſcit, moritur citò; dixit *Ariſto.*
Confeſtim moritur *Craſſus*, obeſus erat.

Digitized by Google

Craſſi craſſitiem macra mors depaſcit, eritque
Pinguior: annoſa eſt, viuet, obeſa licet

## LIX.

### CRVCIARII E PATIBVLO PENDENTIS.

*Refertur in Appendice ad Canonherium.*

FVrca mihi tumulus Quid tum? tegit omnia cælum,
Defoſſos terrâ nox tenebroſa tegit,
Arrodunt vermes, complet caua lumina bufo,
Fæda fames colubri patria membra vorat;
Immingunt tumulóque canes, & tecta reuellunt
Oſſa, cadaueribus mox oneranda nouis:
Vexat humum veſpillo, lapis ſuper vrget, & ipſo
Pondere depoſitos Tartara ad ima premit.
At mihi ſublimi cruce pendulo ad ardua cæli
Culmina liberior proximiórque via eſt.
Non canis, aut ſerpens, non eſt mea viſcera vermis,
Quin magis alitibus dapſilis eſca legor;
Me circumſiliunt, alarum verbere plaudunt,
Et roſtro admoto baſia adunca ferunt.
Demulcent auræ, luſtrat Sol, irrigat imber,
Submittit flores terra benigna mihi.
In me præteriens ſua lumina conijcit hoſpes,
Atque aliquis de me, quàm bene pendet! ait.
Quoſlibet ex alto protensâ irrideo linguâ,
Et nulli inuideo me penes eſſe locum.
Ex merito primum Tortori exopto, ſecundum,
Altius elatum quem iuuat eſſe, ferat.

## LX.

### CVRIONIS ANNOSI.

*Incerto auctore.*

COnditur hîc *intro* qui multos condidit *antro*
Nam Curatus *erat*, nunc nullũ condere *curat*.

Digitized by Google

## LXI.

## DAVIDIS PHILOSOPHI.

HIc iacet Magiſter *Dauid*
Qui ſæpe Philoſophauit
In *Barbara* & *Celarent*.
Vt omnes admirarent;
Et in Friſeſomorum
Quieſcat in ſecla ſeclorum.

## LXII.

## DEPICTÆ AB APELLE MVLIERIS.

*Auctore incerto.*

ME pater obſcuram, claram me finxit *Apelles*
Hæc mihi nobilitas poſt mea fata venit.
Plus mihi quam genitor benefecit pictor, & atra
Mors mihi plus lucis quàm mea Vita dedit.

## LXIII.

## DESIDERII ERASMI.

*Auct. Steph. Paſchaſio.*

QVæ *Deſiderio* mors terram orbauit *Eraſmo*,
Heu *deſiderium* quàm longum liquit *Eraſmi*.

*Eiuſdem, in triuijs decantatum.*

Hic iacet *Eraſmus* qui quondam bonus *erat mus*,
Rodere qui ſolitus roditur à vermibus.

*Alterum Io. Audoëni.*

Cum verbum ſit *Eras*, *Mus* nomen: quid ſit *Eraſmus*
Ingenio lector colligat inde ſuo.

*Ad prius Diſtichon reſpexiſſe viſus eſt Andreas Fruſius S. I. Epig. 20. in Hæreticos.*

CVr Monachus Fratres & Clauſtra relinquis
*Eraſme*?
Non miſerâ factum hoc ambitione caret.
Namque latens illic velut in ſcrobe, vilis eras mus:
In lucem, vt videas, & videare, ſalis.
Ridiculum at murem mons parturijſſe videtur,

*Theologum* dum te *Rhetor* inepte facis.
Quinetiam temerè per per ſcrinia ſacra vagantem
*Muſcipulam hæreſeos* te ſubijſſe ferunt;
Dum ſtrepis, & rodis *Sanctorum* dogmata *Patrum*,
*Tartarei* ſæuo *Felis* ab vngue caue.

LXIV.

DIVITIS AVARI.

*Auctor eſt Petrus Andreas Canonherius.*

PAſcere nolebat miſeros, jam corpore vermes
In modicâ paſcit contumulatus humo.

LXV.

DONNIÆ ITALIÆ.

*Lactorate in Nouempopulania.*

D. I. M.

NOn fui. fui. memini. non ſum. non curo. Donnia Italia annorum 20. hic quieſco C. Munatius, C. Donnia Calliſte libertæ pijſſimæ.

*Pene ſimile refert Gruterus* DCCCCL. 6.

LXVI.

EBRIORVM.

*Auctore Hippolyto Capilupo.*

VIta mihi iucunda fuit: mihi dolia cordi,
Et cyathi & plenis vina fuere cadis
Nec mihi amara dies, cum noſtra ad limina venit,
Et pede percuſſit Mors violenta fores.
Namque pedum ſtrepitus noſtras non attigit aures,
Corpus erat ſomno, menſque ſepulta mero.

*Aliud.*

DVm vixi, ſine fine bibi. Sic imbrifer arcus,
Sic tellus pluuias Sole peruſta bibit.
Sic bibit aſſidue fontes & flumina pontus,
Sic ſemper ſitiens Sol maris haurit aquas.
Ne te igitur iactes plus me, Silene, bibiſſe;
Et mihi da victas tuquoque, Bacche, manus.

*Aliud.*

Digitized by Google

*Aliud.*

Iactabunt alij partum ſibi ſanguine nomen,
Regiáque audaci colla ſubacta manu
Et tumulo inſcribent depulſos mœnibus hoſtes,
Milléque disjectas Marte fauente rates.
Maxima Palma mihi, Baccho duce, pocula mille
Grandia, cum multo ſæpe bibiſſe mero.
Gloria nec tenuis ſi Cantharus ante ſepulchrum
Pendet, & immenſi, noſtra trophæa, Cadi.

*Aliud.*

Nil mihi cum Florâ dum felix vita manebat,
Sed mihi cum Baccho plurimus vſus erat.
Non igitur ſit ſparſa nouis mihi floribus vrna;
Sed potius dulci ſparſa ſit illa mero.
Vt fuit huius odor viuo mihi floris odore
Suauior, extincto ſic erit ille mihi.

LXVII.

EDMONDI RIABVLÆ.

*Incerto auctore.*

HIc iacet *Edmondus*, telluris inutile *pondus*;
Dilexit rabiem, non habeat *requiem*.

LXVIII.

ELDERTOMI BIBONIS.

HIc ſitus eſt ſitiens atque ebrius *Eldertomus*
Quid dico: hîc ſitus eſt? hîc potius ſitis eſt.

LXIX.

EOBANI HESSI POETÆ.

*Theod. Beza ſcripſit.*

VEnerat exutus mortali corpore nuper
*Heſſus* vt infernis exciperetur aquis:
Quem toruè intuitus ſqualentis *Portitor Orci*,
Hic, ait, hîc gratus *Manibus* hoſpes erit.
Túne *Syracoſij* calamos impunè Poëtæ,
*Mæonidæque* tubam peſſime ſurpueris?

Dixerat: & media vates iam puppe ſedebat,
Quum vetuit nautam pergere *Mercurius*.
Ne ſæuito, *Senex*, inquit: nam vendicat iſtum
*Iuppiter* & *Superûm* cetera turba ſibi.
Extinctis alijs potuit qui reddere vitam,
*Ditis* in hunc poſſunt iura ſeuera nihil.

## LXX.

### ERASINI BIBERII

*Antonio Panormitâ auctore.*

QVi legis, *Eraſini* ſunt contumulata *Biberi*
Oſſa ſub hoc ſicco non requieta loco.
Eripe, vel ſaltem vino conſperge cadauer:
Eripe, ſic, quæſo, ſint rata quæque voles.
Oſſa ſub œnophoro poſthac erepta madenti
Conde, natent temeto fac, requietus ero.

## LXXI.

### ERRIS NANI.

*Auct. Iouiano Pontano.*

ET tumulus *Breuis* eſt, titulus *breuis*, & *breue* nomen,
Et iacet hic *Nanus*, *nanula* teſta tegit.

## LXXII.

### EXVLIS ANONYMI.

*Incerto auctore.*

FOrtunam hîc fatûmque domat: non exulat exul:
Nil habet omnia habens, nec moritur moriens.

## LXXIII.

### FAVSTI POETASTRI.

MOrs *Fauſtum* rapuit Gallis *fauſtiſſima* vatem,
Quem iuſſit *fauſtas* protinus ire vias.

Digitized by Google

LXXIV.

FLACCILLÆ MERO BIBVLÆ.

*Iano Lernutio auctore.*

DVm bibit, & crebris Faccilla trientibus inſtat,
Obruit immodico viſcera, ſeque Deo.
Quò Mors nō penetrat? Fruſtra fugis ęquora, in ipſâ,
Cum volet hæc menſâ naufragium facies.

LXXV.

FLORENTIÆ CVIVSDAM.

HÆc *florens* habuit nomen, ſed *floruit* omni
Virtutum illuſtris fœmina *flore* ſimul.
Sideribus radiata caput nunc *floret* olympo,
*Florebit* toto nomen in orbe diu.

LXXVI.

FLORIS IVVENIS.

F*los* fueram factus, *Florem* fortuna fefellit,
Fulgentis *Floris* funera *Flora* fleat.

LXXVII.

FLORIDI PVERI

QVod vixi *Flos* eſt: ſeruat lapis hoc mihi nomē,
Nolo mihi Manes. *Flos* ſatis eſt tumulo.

LXXVIII.

FRANC. CHIZOLÆ.

*A Io. Thomâ Muſconio.*

QVi coquere es ſolitus panē, *Franciſce* popello,
Nunc tibi cærulea eſt *Styx* ſuperanda rate.
At nullam quare meminiſti ferre placentam
Mellitam, crudo munera grata ſeni?
Quid facies? parcat vector: tamen offa relicta eſt,
Quâ *Canis* obſtrueres guttura *Tartarei*.
Spes tamen vna tibi, video: *Proſerpina Diti*
Illic Piſtorem quod volet eſſe, ſuo.

## LXXIX.

### FRANCISCI DRAKI THALASSIARCHÆ.

*Ioannes Oüenus ſcripſit.*

DRake, pererrati nouit quem terminus orbis;
Quemque ſemel mundi vidit vtrumque latus.
Si taceant homines, facient te ſidera notum,
Atque polus de te diſcet vterque loqui.
Plus vltra *Herculeis* inſcribas, *Drake*, Columnis,:
Et magno dicas, *Hercule* major ego.

*Alterum.*

REligio quamuis *Romana* reuiſeret Anglos,
Effoderet tumulum non puto, *Drake*, tuum.
Non eſt quod metuas, ne te combuſſerit vlla
Poſteritas, in aquâ tutus ab igne iaces.

## LXXX.

### FRANCISCI GISLERI ADVOCATI

*Bononiæ in S. Franciſci.*

FRanciſcus iacet hoc *Giſlerus* marmore, cuius
Nulla vmquam in ſanctis lis perijt manibus.
Perdidit hanc tantùm litem, quam ferrea mouit
*Atropos*, aſt extra lis fuit iſta forum.

## LXXXI.

### FRANCISCI HIACHINI GRAMM.

NOn tibi certa domus fuerat, nō culta ſupellex
Menſáque, vix tenuis, docte *Hiachine*, focus.
Hoc ex morte tibi lucri eſt, quod nulla ſupellex:
Non focus ipſe opus eſt: nam eſt tibi certa domus.

## LXXXII.

### FRANCISCI OLIVÆ.

*Nicolao Sicrio auctore.*

QVæ iaceo injuſtâ mortis ſuccîſa bipenni,
Culta per *Inſubres Palladis* arbor eram.
Teſtis erit, quàm vena mei ſit dulcis *oliui*,
Quæque per ora virûm fama ſuperſtes erit.

Digitized by Google

Tu qui ſucciſo veneraris ſtipite truncum,
Dic lachrymans; Arbor, ſit tibi mollis humus.

## LXXXIII.

## FRANCISCI PROTEI ADVOCATI.

TVmulo ſub iſto *Proteus* ſepultus eſt,
Non ille nodo quem teneri neſcium,
Mutari in horas *Graja* perſonat Chelys:
Sed alter, vno qui manebat in Statu;
Vt cui perennis membra mulceret ſopor.
Res mira dictu, ſeu dies, ſeu nox foret,
Quodcunque agebat hoc agebat dormiens.
Nec interim illi defuit vis maxima
Mentis ſagacis, qua ſuis clientibus
Ferret patronus rebus in dubiis opem:
At fuerit ille quamlibet ſagax, tamen
Vitalis iſta vita non eſt, inquies,
Sed vera imago mortis. immò falleris,
Humana vita cum merum ſit ſomnium
Bene dormiendum eſt; viuere vt poſſis bene.

## LXXXIV.

## FRANC. RABELASII MEDICI.

*Sub Pamphagi nomine: auctore Ioachimo Bellaio Andegauenſi.*

HOc tumulo tumulus tegitur: miraris? at ipſe
Plus etiam audito nomine credideris.
*Pamphagus* hîc jaceo, vaſtâ cui mole grauatus
Pro tumulo venter ſeſquipedalis erat.
Sōnus, & ingluuies, Bacchúſque, Venúſque, Iocúſq;
Numina, dum vixi, ſola fuere mihi.
Cetera quis neſcit? Fuit ars mihi cura medendi,
Maxima ridendi ſed mihi cura fuit.
Tu quoque nō lacrymas, ſed riſum hic ſolue Viator,
Si gratus noſtris Manibus eſſe velis.



Digitized by Google

*Addidit etiam & diſtichon quo melius impium illum nugiuendulum deſignaret.*

Si quid erat, viuum de quo dubitaſſe queraris,
Parce Hoſpes, nunc id mortuus experior.

LXXXV

FRATRIS SORORISQVE.

COndidit vna domus venter quos edidit vnus
Fœmina ſunt & mas, Frater hic, illa Soror.
Ille obiens menſes vix dum compleuerat octo,
Hæc letho ſubito capta biennis erat.
Jejuni vermes infantum corpora rodunt,
Rodit ſed ſæuus corda paterna dolor.

LXXXVI.

FRIDERICI SPIRENSIS EP.

*In Monaſterio Vallis Vtrina.*

COntinet hæc *foſſa Friderici* Præſulis *oſſa*,
Quondam *Spirenſis*: Deus illum paſcere *menſis*
Cæli *digneris*, epulis quoque jungere *veris*,
Anno *milleno* tricentenóque *ſecundo*,
Atque Kalen *quinto* Februi datur is pius *antro*.

*Ejuſdem alteriuſ Friderici.*

Si probitas, *ſenſus*, virtutum gratia, *Cenſus*
Nobilitate *orti* poſſent obſiſtere *morti*;
Non foret *extinctus* Fredericus, qui jacet *intus*.

LXXXVII.

FVSCI FACTIONIS VENETÆ AGITAT.

*Gruterus* CCCXXXIX. 4. *Pithœus p.* 139.

D. M.

FActionis *Veneta Fuſco* ſacrauimus aram
De noſtro, certi, ſtudioſi, & bene amantes,
Vt ſcirent cuncti monimentum & pignus amoris.
Integra fama tibi, laudem curſus meruiſti;
Certaſti multis, nullum pauper timuiſti:
Inuidiam paſſus, ſemper fortis tacuiſti;

Digitized by Google

Pulcrè vixiſti, fato mortalis obiſti.
Quiſquis homo es, quæres talem: ſubſiſte, Viator,
Perlege, ſi memor es, ſi noſti, quis fuerit vir.
Fortunam metuant omnes dices: tamen vnum,
*Fuſcus* habet titulos mortis, habet tumulum.
Contegit oſſa lapis; bene habet, Fortuna valebis.
Fudimus inſonti lacrymas, nunc vina precamur
Vt jaceas placidè: nemo tui ſimilis.

ΤΟΥϹ ϹΟΥϹ ΑΓΩΝΑϹ ΑΙΩΝ ΛΑΛΗϹΕΙ.

## LXXXVIII.

## GALEOTTI DE PETRAMALA CARD.

*Tribuitur Nicolao de Clamengis.*

CVi *Mala-Petra* dedit nomen, *petra morbida* lethum,
Nunc *petra* dat tumulum, da *petra Chriſte* polum.

## LXXXIX.

## GALESII.

*Innominato auctore.*

OMnia contempſit *Galeſius*, omnia riſit,
Mors illi vna fuit ſeria, vita jocus.

## XC.

## GALLÆ STERILIS FOEMINÆ.

*A Iouiniano Pontano.*

GAlla fui, Gallo conjux bene juncta marito:
Verùm nec pullos, oua nec vlla dedi.

## XCI.

## GEMMÆ FRISII.

*Auct. Maximiliano Vrientio.*

QVis lapis hîc? *Gemma.* Gemmam lapis hic tegit inquis,
At condi in gemmâ debuerat potius.

Non ita. nam quævis minor illo gemma fuiſſet,
Et poſito hîc *Gemma*, gemma fit iſte lapis.

XCII.

GEORGII TRAPEZVNTII.

*Romæ in Sanctæ Mariæ in Via lata, ſi qua fides Franciſco Swertio.*

HAc vrna *Trapezuntij* quieſcunt
*Georgi* oſſa, parum *Deis* amici,
Quod acri & nimium procace linguâ
*Platonem* Superis parem petiuit.
*Obijt decrepitus & quaſi repuerascens.*

XCIII.

GERMANI BIBONIS.

*Senis in Hetruriâ ad S. Dominici.*

VIna dedere neci Germanum, vina ſepulto
Funde, ſitim nondum finijt atra dies.
*Haud diſſimile hoc Tetraſtichon ibidem.*
Vina dabunt vitam, mortem mihi vina dedere;
Sobrius auroram cernere non potui.
Oſſa merum ſitiunt, vino conſperge ſepulcrum,
Et calice epoto, care Viator, abi.

XCIV.

GERMANI MVSARVM HOSTIS.

*Extat ad calcem Canonherij.*

HIc obijt vnum ſolemniſſimum ſuppoſitum
A multis annis Vniuerſitati datum;
O ſi potuiſſet diutiùs viuere,
Et plus in gloſsâ notabili ſcribere!
Tunc adjuuiſſet noſtram Vniuerſitatem;
Et docuiſſet Scholares bonam Latinitatem;
Sed nunc poſtquam deceſſit,
Et *Alexandrum* non ſatis expreſſit,
Vniuerſitas luget ſuum membrum,
Tanquam lucernam vel candelabrum,

Digitized by Google

Quod longè latéque luxit,
Per doctrinam quæ ab eo fluxit
Nemo tam bene ſcripſit conſtructiones,
Et confundebat *Poëtas* illos buſones
Qui non rectè diſcunt Grammaticam
Per Logicam ſcientiarum ſcientiam;
Et in fide non ſunt illuminati,
Ideò à Sanctâ Eccleſiâ alienati:
Sed tu audi *Deus* omnipotens,
Quod ego oro ſupplex ac flens.
Da mortuo fauorem ſempiternum
Et mitte *Poëtas* omnes ad infernum.

*Sapiunt hæc enimuerò tempora M. Orthuini de quo plura riſu an ſcitu digna in Epiſtolis obſcurorum virorum aliiſque libellis famoſis iure an injuria aduerſum eum ſimileſque vulgatis.*

## XCV.

## GERTRVDIS MAIERIÆ

MEnſe fuit virgo *Majeria* mortua *Majo*:
Quæ *Nymphas* inter, ceu *roſa* verna fuit.
Me miſerū! quæ fata manent! quæ tempora reſtant!
Quo ſolet enaſci ſi *roſa* menſe perit?

## XCVI.

## GRILLI EBRIOSI.

EBrietate madens tibi viuus, *Grille*, ſepulcrum
Exſtruxti: viuus nempe cadauer eras.

## XCVII.

## GRVNNII.

EXuit hîc hominem toto qui tempore vitæ
*Grunnius* inſulſus nil niſi porcus erat.

## XCVIII.

## HELIODORI CARTHAG.

*Apud Gades ad extremum orbis.*

D. M. S.

SI LVBET LEGITO.

HEliodorus inſanus Carthaginenſis ad extremum orbis Sarcophago teſtamento me hîc iuſſi condier, vt viderem, ſi quiſquam me vnquam inſanior ad me viſendum ad hæc vſque loca penetraret.

## XCIX.

Henrici Abingtonij Cantoris.

*Thomas Morus Cancellarius Angliæ Ridiculum hoc Epitaphium ſcripſit, quum hæres alterum melioris notæ neglexiſſet.*

Hic iacet *Henricus* ſemper pietatis *amicus*,
Nomen Abington *erat*, ſi quis ſua nomina quærat:
Millibus in *mille* Cantor fuit optimus ille,
Præter & hæc *iſta* fuit optimus Organe *niſta*;
Nunc igitur *Chriſte*, quoniam tibi ſeruijt *iſte*,
Semper in orbe *ſoli* da ſibi regna *poli*.

*Alterum erat eiuſmodi, ne quid hîc meritò de nobis expoſtulare poſſis.*

Attrahat huc oculos, aures attraxerat olim
Nobilis *Henricus* Cantor *Abingtonius*,
Vnus erat, nuper mirâ qui voce ſonaret,
Organa qui ſcite tangeret, vnus erat.
*Vellenſis* primò templi decus; inde ſacellum
*Rex* illo voluit nobilitare ſuum.
Nunc illum *Regi* rapuit *Deus*, intulit aſtris,
Ipſis vt noua ſit gloria Cælitibus.

## C.

## HENRICI ARCH. MOGVNTINI EX FRANC.

*Per Moguntinos Canonicos, vt aiunt.*

NVdipes *Antiſtes* non curat Clerus vbi *ſtes*;
Dum non in *cælis*; ſtes vbicumque *velis*.

## CI.

## HERBRANDI CVIVSDAM LVTHERANI

*Alteriuſve Religionis deformatæ Miniſtri*
*Habetur in Additionibus ad Canonherium.*

HIc jacet *Herbrandus Stygis* in fornace *cremandus*,
Cujus in hac *foſſa* fœtent enormiter *oſſa*:
Spiritus in *nigrum* volitauit Dæmonis *antrum*,
Qui facis hac *greſſum*, dic hunc tantummodo *verſum*:
In pice *voluaris*, & nunquam pace *fruaris*.

## CII.

## HERSILI ET MARCELLÆ.

*Romæ in domo Bruti de Valle,*
*Ex Metello & Pyrrho Ligorio Gruterus*
DCCLXXXIX. 6.

SEmicapri quicumque ſubis ſacraria *Fauni*
Hæc lege Romanâ verba notata manu.
*Herſilus* hic jaceo, mecum *Marcella* quieſcit:
Hæc ſoror, hæc genitrix, hæc mihi ſponſa fuit.
Ficta putas, frontem trahis, ac ænigmata *Sphyngis*
Credis? ſunt Pythio vera magis tripode.
Me pater è natâ genuit, mihi jungitur illa:
Sic mihi ſponſa parens, ſic fuit illa ſoror.
Bene precare qui legis.

*Alij Euphorbum & Mercalam vocant, docentque monumentum hoc vetus extare in Luſitaniâ prope Viſeum: ſed quæ protulimus certiora.*

Digitized by Google

## CIII.

## HERMAPHRODITI.

*Pulici antiquo Poëtæ tribuitur.*

QVũ mea me genitrix grauidâ geſtaret in aluo,
Quid pareret fertur conſuluiſſe *Deos.*
Mas eſt *Phœbus* ait: *Mars*, fœmina, *Iunóque* neutrũ,
Quúmque forem natus, *Hermaphroditus* eram.
Quærenti lethum, *Dea* ſic ait; occidet armis:
*Mars*, cruce; *Phœbus* aquis. Sors rata quæque fuit.
Arbor obumbrat aquas: aſcendo, decidit enſis
Quem tuleram, caſu labor & ipſe ſuper,
Pes hæſit ramis, caput incidit amne: tulíque
Fœmina, vir, neutrum: flumina, tela, crucem.

## HERMAPHRODITI ALTERIVS.

*Stephano Paſchaſio tributur.*

IN binis vnum, duo corpora corpore in vno
Hoc tumulo, his tumulis conſociata jacent.
Fœmina, vírque, at enim quid ſi nec fœmina nec vir,
Iſtorum neutrum, ſint quod vtrumque ſimul?

## CIV.

## HIER. GVIDOBONI.

*Dertonæ in Liguriâ.*

Hic ſitus eſt cumulus virtutum, clarus & idem
Et Latiæ & Thuſcæ fama, decúſque lyræ.
Verùm ipſe is nuſquã non eſt: Nam non bene cũctis
Virtutum cumulus conditur in tumulis.

## CV.

## HOSTIVM SIMVL SEPVLTORVM.

*Petro Andreâ Canonherio auctore.*

QVorum tecta jacent deformi hoc oſſa ſepulcro,
Hoſtis vterque fuit, rixæ manſere ſepultis:
Amborum vermes & nunc noua prælia tentant,
Bellantéſque putri pœnas de corpore ſumunt.

Digitized by Google

CVI.

HVBERTI FORTII MERCATORIS.

*Habes in Appendice Canonerij.*

FOrs, Sors, Mors, *Forti*, tecum miſcentur in vnum:
*Fors* tibi læta fuit, *Sors* tua honeſta fuit.
Immatura tuæ ſecuit *Mors* ſtamina vitæ,
Hei mihi! te *Forti*, fortior illa fuit.

CVII.

HVLDRICHI ZASII I. V. D.

*Fribusgi Briſgoiæ.*

ZAzius hîc ſitus eſt cuius ſchola *Iureperitos*,
Tot dedit, armatos *Troes* quot equus *Danaos*.

CVIII.

HYANTIS INERTISSIMI.

*Io Iou. Pontanus ſcripſit.*

NVmquam vixit *Hyas*, ſed *Hyas* hoc conditur antro,
Si vixit nunquam, mortuus eſt nec *Hyas*.

CIX

HYPOCRITÆ MENDACIS.

*Ad imitationem plani Horatiani.*

QVi iacet hîc illi mendacibus omnia fucis,
Perdere ſola diu cura laborque fuit.
At dum cuncta tegit, dum fraudibus omnia velat,
Mors ſimulatorem non ſimulata rapit.

CX.

IACOBI BELNENSIS SAMBLANCATI.

*Auctore Theodoro de Beza Vezelio.*

HVnc ſibi *Belnenſis* tumulum, quem cernis inanem,
Struxerat, inuidit cui laqueus tumulum.
Debuerat certè, ſors ſi foret omnibus æqua,
Tardiùs hic fieri vel priùs ille mori.

Digitized by Google

*Hæc impius ac maledicus Poëta, in virum cujus fama dicitur in integrum poſtea reſtituta.*

## CXI.

## IACOBI GHENTII IC.

*In D. Iacobi Antuerpiæ.*

HOſpes quod dico paullum eſt aſta ac perlege.
Bonis probatus, oſus ſum nullum probrum.
Legum peritus, juris at morum ſcius,
Stilo atque voce creperis adfui reis,
Dum *Morta*, quoi præſcribier non eſt quitum,
Mihi ſupremam dixit, & duxit domum.
Sic ego denatus, heic quieſco, heic ſum ſitus,
Manens benignam iudicis ſententiam
Quod vt potenti prouoces à Numine
Ore adlabora, ac Manibus meis bene
Precare Tantum eſt Ilicet. Ætatem vale.
*Hoſpes Manes meos ne lade, viuus læſi neminem.*

## CXII.

## IACOBI SILVII MEDICI.

*Georgio Buccanano maledico poëta Scoto virum eruditiſſimum immeritò arrodente.*

S*Iluius* hîc ſitus eſt, qui gratis nil dedit vmquam,
Mortuus & gratis quod legis iſta dolet.

## CXIII.

## IANI ANISII.

*Neapoli in S. Ioanne Majore.*

ONuſtus æuo *Ianus* hîc *Aniſius*,
Quærens melius iter, reliquit ſarcinam:
Quà prægrauato nulla conceſſa eſt quies.
Tum, ſi qua fulſit, cum *Camœnis* hæc ſtetit,
Quæ mox faceſſiuere plus negotij,
*Hoc de ſuo ſumpſit, Sacrum eſt NE tangito.*

Digitized by Google

## CXIV.

## ICHTHYPHAGI.

PRo tumulo ſcopulus: pars eſt mihi funeris alga:
In reino titulus: *Hic riget Ichthyphagus.*

## CXV.

## IGNAVI HOMINIS.

VIxi, edi, atque bibi, lurco merus, atque popino:
Heu mihi quot curis vita peracta fuit!
Qui legis hæc, *Diua* bona verba precare *Vacuna*,
Nunc ſaltem vacuo donet vt eſſe mihi.

## CXVI.

## DE ILLVSTRIS VIRI CALVA.

*Ab Hercule Stroza Titi filio.*

HOc caput, in gyrum quod nunc puer incitat, olim
Pars erat illuſtris, magnanimique viri.
Cetera mors tulit atque eadem hæc ludibria liquit,
Mortales ſortis commonitura ſuæ.

## CXVII.

## IMPERIÆ ROMANÆ.

*Blaſius Palladius auctor eſt teſtibus Ioanne Mathæo Toſcano & Rannutio Gheroin Collectaneis.*

DIj duo magna duo tribuerunt munera *Romæ*,
Imperium *Mauors*, at *Venus Imperiam.*
Ac pariter totis nixi ſunt viribus ambo,
Condendo imperium *Mars*, *Venus Imperiam.*
Hos contra ſteterunt *Mors & Fortuna*, *rapitque*
*Fortuna* imperium, *Mors* rapit *Imperiam.*
Imperium luxere patres: nos luximus ipſi hanc,
Illi orbem: nos nos cordaque perdidimus.

Digitized by Google

## CXVIII.

## INFANTIS NONDVM NATI

*Matre moriente. Auct. Daniele* Heinſio.

HIc tumulus matrem tegit, at natum illa; ſepulchrum
Terra tuæ matri eſt, nate, ſed illa tibi.
Mortuus in tumulo es, quo vixti molliter ante:
Eſtque tibi tumulus, qui fuit ante domus.
Si tumulúſque domúſque fuit tibi mater: & ante
Quàm poteras natus eſſe, ſepultus eras.

*Io. Iouianus Pontanus infantulum bis mortuum & numquam editum hoc tetraſticho extulit.*

Mortuus ipſe bis, & numquam editus inferor vrnæ,
Nam ſemel extinctâ matre quidem morior,
Mox vtero matris cæſo diuellor, & infans
Rurſum obeo: infelix nomine quòd careo.

## CXIX.

## INNOCENTII FONTANI.

Burdegalenſis Poëtę & Cauſidici.

*Georgio Buchanano auctore.*

A *Fonte* nactus nomen *Innocentius*,
Diéque natus *Innocentibus* ſacro,
Legatus à republicâ *Lutetiam*
Miſſus, parœciæ hoſpes *Innocentium*.
Viuos reliquit *Innocentibus* die
Sacro: *Innocentum* corpus in fano iacet,
Fontem ſepultum propter *Innocentium*
Vitæ peractæ propter *Innocentiam*,
Cælum *Innocentes* inter animus incolit.

## CXX.

## IOACHIMI CHALYBÆI.

COrpore ſunt *duro* ſilueſtria robora, *dura*
Marmora & æs *durum*, *durior* ære chalybs.

*Durior*

*Durior* his Mors eſt, quæ robora, marmora, & æra,
Et Chalybem victo te, *Chalybae*, domat.

## CXXI.

## IOANNÆ LAVTÆ.

SIſte hoſpes, dum pauca legas. Componor in iſto
Quem pede tu calcas *Lauta* puella loco.
Alta domi lautè, *Lauto* genitore, marito
Nupta *Canj*, lauto pignore lauta parens.
Tot lautam numeris me *Mars* ratus eſſe *Dionem*
Menſe ſuo vitæ ver rapit ille meæ.

## CXXII.

## IO. BAPT. FERRARII C.

***Quem exoſum omnibus fecit auaritia.***

F*Errarij* hîc tumulum quem ſic ſitis vſſit habendi
Vt tumulus dici poſſit Auaritiæ.
*Tantaleam* patitur pœnam, & quia parua fuiſſet,
Impendent auidis aurea poma labris.

*Aliud.*

HIc *Baptiſta* tegor Medici quem culpa peremit,
Naturæ fuerat neſcius ille meæ.
Herbarum mihi pro ſuccis dare debuit aurum,
Sola erat apta meis hæc medicina malis.

*Aliud*

Inijce, qui tranſis terram: rurſum inijce, nequa
Hîc tegitur peſtis proferat atra caput.

*Aliud.*

Non iacet hîc corpus, petijt nec Spiritus aſtra,
Rex *Superûm* in *Stygios* merſit vtrumque lacus.

*Aliud.*

Ne dicas; ſit terra leuis, ne ſpargito flores;
Nummos, ſi requiem mî dare vis, numera.

CXXIII.

IOANNIS BAPTISTÆ VILLANI.

QVam viuus nequiuit mortuus inuenit requiē.

*Item alterius inquieti*

Quiſquis es, hoc te ſepultus rogat, ſua ne moueas ſeu inquietes oſſa, vt qui viuus numquam quieuit, ſaltem quieſcat mortuus.

CXXIV.

IOANNIS CALVINI HÆRESIARCHÆ,

QVem tegit hic ceſpes, mūdi fuit impius hoſpes:
Dilexit rabiem, non habeat requiem.

*Eiuſdem aliud.*

*Extat in ſelectis delicijs Fr. Suuertij.*

Sic *Caluine* quieſcas; atque *lenis* tibi *terra*
Sit, *tua* quo poſſint eruere *oſſa* canes.

*De eodem hæc legi in Additionibus ad flores Epitaph. Canonberij.*

HIc iacet in tumba Vitulus tam nomine, quā re,
Qui bipedes multos vidit in orbe boues.
Inteſtina canes, omentum & viſcera corui
Diſcerpant, rabidæ cetera membra lupæ.

*De Caluini caluitio vide Epigr.* 18. *Andreæ Fruſij: necnon* 143. *de die Dominico in diem Veneris transferendo.*

*Quadrat & in illum quod de Attilio quodam cecinit Chriſtophorus Aulaus.*

Nil tegit hoc Saxum, nam Cerberus oſſa vorauit,
Addita Tartareis Manibus vmbra gemit.

CXXV.

F. IOANNIS DAMPETRI.

*Scripſit Theodorus Beza.*

CLauſus cœnobio latebat olim
Ille *Dampetrus* optimus virorum,
Princépſque *Hendecaſyllabon* Poëta;

Et clauſus pariter latebat idem,
Mole corporeâ haud quidem fatemur,
Obesâ nimis, aut tenebricosâ,
Verum corporeâ, & proinde tali,
Vt diuinum animum velut quibuſdam
Nexum compedibus tenêre poſſet.
At nunc cœnobijſque, corporiſque
Vinclis *Dampetrus* exolutus exit,
Doctorúmque volat per ora liber,
Qui tamen moriens, ſuis amicis
Heu quot millia lacrymationum,
Heu quot attulit anxios dolores!
Ergo haud *occidit* ipſe, quod putâram,
*Occidit* potiùs ſuos amicos.

CXXVI.

IO. DESPAVTERII NINIVITÆ.

G*Rãmaticem* ſciuit multos docuítque per annos,
*Declinare* tamen non potuit *tumulum*.

CXXVII.

IOANNIS FITZERI.

*Coloniæ in Collegiata Eccleſiâ S. Cuniberti.*

HOſpes ſta paullùm, quod deico pellege, quoius
Oſſua ſont iſteic maiſtiſſima conſita, raptom
Veitæ eius moltum doctæ fleuere Camœnæ.
Heicce touam erodijt Præſes Montane iuuentam
Et ſacra Thoulogiæ nactus diademata, clerom.
Atque gregem Cuniberte tuum rexit, docuítque.
Sceitus erat, nũquam leuis, haut malu, doctu, fidelis,
Commodu, Iouſtitiæ cuſtos, ambitor honeſti:
Ingénium, quoi nulla malum ſententia ſuaſit.
Sarcophago hoc illum Collegæ depoſierunt.
Mens Diuom endo domu perpes laitatur in æuom.
Thomanæ exequias memores iuere Camœnæ
Carminis has olli Hoc volui, ne neſcius eſſes.



Digitized by Google

## CXXXVIII.
## IOANNIS FOSSÆ POETÆ.
*Quod ſibi ſcripſiſſe dicitur.*

HAc ſunt in *foſſa* Foſſæ mirabilis *oſſa*,
Qui ſibi cōdendo verſus cere-cōminuit-brum.

## CXXXIX.
## IOANNIS HVESDENI.
*Brugis in Flandriâ.*

DVm multis annis vixiſſet hic *graduatus*
Tandem *Prælatus* huius templi bene *gratus*,
Vitam *finiuit*, & regna ſuperna *petiuit*,
Anno *milleno* Domini D. quater quoque deno,
Bis menſis *Februi*: ſis memor, Alpha, *ſui.*

## CXXXX.
## IO. IACOBI TRIVVLTII.
*Mediolani in S. Nazarij refert Sunertius.*

IOannes Iacobus Triuultius Magni filius, qui
Numquam quievit, nec alios quieſcere paſſus eſt,
Hic tandem quieſcit ipſe. Tace.

## CXXXXI.
## IOANNIS ROMERII MEDICI.
*Ex Rolando Betelando.*

QVamvis quęque probēt aliena negotia *Lynceū*
In re quiſque ſuâ neſcimus cernere acutum.
*Romerius* celebri notiſſimus arte medendi,
Quâ reliquos ſolitus, ſeipſum ſeruare nequiuit.

*Eadem ſors alterius fuit, de quo Nicolaus Borbonius ſenior ſic cecinit.*

*Taltibius* jacet hîc *Medicâ* clariſſimus arte,
Qui fuit ætatis dictus *Apollo* ſuæ.
Ægros omne genus curabat, & arte leuabat:
Aſt alijs *Medicus* defuit ipſe ſibi.

Digitized by Google

## CXXXII.
## IOANNIS PASSERATII.
*Quod ſibi ſcripſit.*

QVi ſim, Viator, quæris? ipſe neſcio,
Niſi quod ſepultus pulvis, vmbræ ſomnium,
Audire nomen fortè ſi meum voles,
Mutum rogato, dicet hoc tibi lapis.
Sub hoc quieſcit lapide *Paſſeratius*
Olim *Latinæ* doctor eloquentiæ.
Hoſpes memento, dum licet, vitâ frui:
Id oſſa noſtra te monent, non ſum, fui.
Saluere ſi quis me, Viator, juſſeris,
Perdes ſalutem, quæ tibi reddat vicem,
Bene adprecanti mortuo non eſt ſalus.
Saluete viui, vos valete mortui.

## CXXXIII.
## IOANNIS SINE TERRA ANGL. R.
*VVorceſtriæ in Angliâ.*

HOc in *ſarcophago* ſepelitur Regis *imago*
Qui moriens *multum* ſedauit in orbe *tumultũ*.
Et cui connexa, dum vixit, probra manebant;
Hunc mala poſt mortẽ timor eſt ne facta ſequantur.
Qui legis hæc, metuens dum cernis te moriturum,
Diſcitó quid *rerum* pariat tibi meta *dierum*.

## CXXXIV.
## IOANNIS VISCHERI.
*Brugis in D. Donatiani.*

SIſte gradum; heus Viator, & quid mundus eſt;
Audi: Theatrum, in quo peragitur fabula,
Perſonæ vbi nunc vna, nunc eſt altera.
Abi. *Ioannes Viſcher* hoc dixi. Vale.



Digitized by Google

## CXXXV.

## IODOCI GERMANI. I. C.

*Romæ in Xenodochio.*

HIc jacet *Iodocus*
Qui fuit *Romæ coquus:*
Doctor in *partibus*,
Magiſter in *Artibus*,
De gratia *ſpeciali*,
Mortuus in *Hoſpitali.*

## CXXXVI.

## LATINITATIS OBSOLETÆ ET CAtioſæ Putidi Affectatoris.

ROma dole, perijt bucco tuus ille *Latinus*,
Cumque illo pariter *Suada Latina* perit.
*Suada* Canina putri fœdè depromptâ Latrinâ
Quæ *rauco Laij* ſemper ab ore Asini
Vberior ſtagno, ſiccâque palude fluebat,
Copia tanta illi víſque *Latina* fuit:
Nomine vt addubites fuerit potiore vocandus
An *Latiale* decus, *an Latiale* pecus.
Quin quoque nunc tumulo ſi pronam aduerteris aurem,
Percipies *Latios* oſſa crepare ſonos.

## CXXXVII.

## LAVRENTII VALLÆ.

*Lippis ac tonſoribus notiſſimum.*

OHe! vt *Valla* ſilet! ſolitus qui parcere nulli eſt.
Si quæris quid agat nunc quoque, mordet humum.

*Aliud.*

Nunc poſtquam *Manes* defunctus *Valla* petiuit,
Non audet *Pluto* verba *Latina* loqui.
*Iuppiter* hunc cæli dignatus parte fuiſſet,
Cenſorem linguæ ſed timet ipſe ſuæ.

Digitized by Google

*Dum Bartholomæus Facius Vallæ inuiſus mox quoque moreretur, quidam ſalsè in vtrumque hoc carmen luſit.*

Ne vel in *Elyſijs* ſine vindice *Valla* ſuſurret,
*Facius* haud multos poſt obit ipſe dies.

CXXXVIII.

LENTVLI DVCIS.

VEnit, rexit, obit *Dux* Lentulus, hoc celer vno,
Cetera, teſtudo, torpor, & *Endymion*.

CXXXIX.

LEONARDI ARETINI.

*Florentiæ.*

POſtquam *Leonardus* è vitâ migrauit, Hiſtoria luget, Eloquentia muta eſt, fertúrque *Muſas* cum *Græcas*, tum *Latinas* lacrymas tenere non potuiſſe.

*Sunt & alia jactata in eiuſdem nominis virum maledicentiſſimum nullíque vix incognita, quæ non pigebit hic appingere.*

Condit *Aretini* cineres lapis, &c. ſupra p. 370.

*Aliud.*

Amarus jacet hîc, Viator, hoſtis
Viuorum ſimul atque mortuorum.
Dijs conuicia nulla dixit, & ſe
Excuſans, ſibi cognitos negauit.

*Aliud.*

Hic jacet ille *Canis*, qui peſſimus iuit in omnes;
Dempto vno, quem non nouerat ille, *Deo*.

CXL.

LESBIÆ.

*Valerio Martiale auctore.*

TRes habuit quôdam *Furias*, ſed *Leſbia* Manes
Vt petijt, *Furias* quatuor *Orcus* habet.



Digitized by Google

CXLI.

LOCARINI DECOCTORIS.

*Auctore Ioanne Thomâ Muſcouio.*

QVid clamas *Locarine*? Vetat mea creditor vrnâ
Oſſa tegi, donec debita perſoluam.
Addicas illi tua prædia, Non ſatis: Vxor
Spondeat. At dotis nomine & illa petit.
Quid facies? Viuens eluſi debitor omnes,
Nunc magis eludam mobilis Vmbra manus.

CXLII.

LVCII TABELLARII.

*A Ioanne Secundo*

ET tumuli & mortis ſedem ſortitus eamdem
Hac ſitus eſt moriens quam rubefecit, humo,
Nuncius infelix, vitâ ſpoliatus & auro.
Securum vacuus carpe Viator iter.

CXLIII.

LVD. PINCIERI NOCTAMBVLI.

*Auctore Ioanne Pincierio.*

SI nocturna quies quæ ſenſus vinxerat, vnâ
Brachia vinxiſſet, cruráque feſſa mihi:
Non me deciduum celſæ per aperta feneſtræ,
Mors in ſubjectam præcipitaſſet humum.
Heu nimis irrequieta quies, quæ ſenſibus altum,
Torporem inducis; membra agis, acta necas,
In tenebris cecidi, ſed clarâ luce reſurgam:
Pro falſa oblata eſt nunc mihi vera quies.

CXLIV.

LVDOVICI VIVES.

*Ex Franciſco Sciltio.*

MOrtuus eſt *Viues*. Non eſt ita, *Vita* relicta eſt,
Quî ſic? Poſt *Vitam viuida vita venit.*

Digitized by Google

Nonne vides cinerem, tumulúmque, & jura ſepulti?
Quid tum? Non moritur, *Viuida vita venit.*
Ergo non moritur *Viues?* Non. *Vita* perennis
Nec moritur, cui ſic *viuida vita venit.*
Quiſquis ades, *viuas* ſic, vt modò *viuere* cogit
*Viuentem Viuem*, *viuida vita venit.*

CXLV.

MACARDI POTATORIS.

*Auctore M. Monerio*

QVod numquam *Hippocrates*, numquam *Ægineta* putauit,
Numquam *Pergamei* gloria magna ſoli,
Nec quos diues *Arabs* Medicos, aut *Græcia* vidit,
Nec qui *Romanâ* pòſt nituere togâ;
Noſtra tulit vini mirandam hydropiſin ætas,
Dicere quam poſſis verius Oenopiſim.
Prima nocens intercute aquâ, hæc intercute vino;
Prima ſiti indulgens, hæc quoque plus ſitiens.
Exſtinctum videas morbi nouitate *Macardum*
Addubites homó-ne, an amphora mortua ſit.

*Idem alteri meribibulo ſic parentauit.*

Dolia, labra, cadi tibi ſunt, *Baudete*, ſepulcrum:
Non poteras tumulo commodiore tegi.
Noluimus Saxis inter pia buſta locare,
Ne tibi cum reliquis ſpargeret vllus aquam.

*Alterius potatoris.*

Deliciæ *turbis* iacet hic ſub mœnibus *Vrbis*:
Plenus erat *fumi* cùm requieuit *humi*.

CXLVI.

MÆONIS BIBONIS.

*Auct. Ioanne Bapt. Amaltheo.*

SParge hedera tumulū, & veteris carcheſia *Bacchi*
Arida *Cinyphij Mæonis* vmbra bibat.
Cantat adhuc *Mæon*, & adhuc niſi terra vetaret.

Et raucum obſtrueret guttur anhela ſitis,
Laſciui obſtreperent congeſto è ceſpite cantus,
Et ſiſtra, & calami, tympanáque & crotalum.
At tibi ſi thyaſum inſtituit, ſi potus ad aram
Ludebat tremulo ſemper *Iacche* pede,
Tu face, vt ex humili ſurgens labruſca ſepulcro
Sufficiat bibulo dulcia vina ſeni.

*Aliud.*

Nemo me lacrymis ſpargat, neque flumine ſacro;
Vinibibæ ad tumulum ſola Falerna placent.

## CXLVII.

## MÆONIS VENATORIS.

*Auct. Ioanne Bapt. Amaltheo.*

VT pharetram & caſſes, armatáque tela veneno
Mæonis ad tumulum contulit ægra parens,
Si toties tibi, nate, inquit, ceſſere leonum
Agmina, & ærata cuſpide foſſus aper.
Nunc etiam Stygias claudes indagine valles,
Et tua Tartareum proteret haſta canem.

## CXLVIII

## MAGDALENÆ MONAVIÆ.

*Simone Grunæo auctore.*

Anagr. O ANIMA VERE MAGNA.

MAgdalis hic jaceo *magni* vnica nata *Monaui*
Surrectura bene hâc, quâ bene condor humo.
*Paruula* eram, in vitæ ancipites cum naſcerer auras;
*Paruula*, mi donec vita manebat, eram.
*Paruula* eram, de me cùm ſpes foret ampla parenti;
*Paruula* cùm raperet ſpem via mortis, eram.
At nunc cælicolûm *magna* ad ſociata coronæ,
Poſtquam depoſui flebile carnis onus.
*Magna* feror, *magni magno* ſub nomine. *Ieſu*
*Magna* ſuper *magnos* orbe leuata polos.

Digitized by Google

*Magna* feror, capiti membrum inſita nobile *Chriſto*,
*Magna* ſub electis Angelicíſque choris.
*O Anima ! ô valdè magna ! ô* bene *paruula* quondã!
*Paruula* humi, cælo *magna*. Quid inde mali eſt?

## CXLIX.

## MARCI TVLLII CICERONIS.

Ille Oratorum princeps & gloria linguæ
*Romanæ*, jacet hâc cum Conjuge *Tullius* vrnâ;
*Tullius* ille, inquam, de ſe qui ſcripſerat olim,
*O Fortunatam natam me Conſule Romam.*

## CL.

## MARIÆ ET MAGDALENÆ FILIÆ.

*Viennæ in Auſtriâ extare dicitur in Cœmeterio nouo extra portam Scotorum.*

Maximo mirabilíque motori mobilis magnæque machinæ momentanei mundi, mortaliúmque moderatori mancipatum. Miraculum mulierum minimè malitioſarum, matrona morigera, mariti miniſtra, moderata manſueta, munifica, morata, modeſta, mitis, mater familias, *Maria* marita mea mellitiſſima, mero metu Medico malo morbo mederi metuente, meáque *Maria Magdalena* mollicula mammæ minùs matura moriuntur (miſerandum!) momento, manè, morte minimè maturâ, mihíque multùm moleſtâ; miſero me marito magno mœrore mœſtitiáque multùm moto mutatóque, manſione mœſta, mole moleſtâ manente. migrarunt! mallem me mortuum. muſſo, maſſas Magnæ Matri monumento muſcoſo mandaui mœſtus mortuus molliter. Magnum mortalium mundique motum, mortíſque mortem moramini, memoria minimè mortalis manebit Manes meritò.

*Ex latere vno adſtat Pelicanus cum hoc verſu*
Vita ſit vt pullis, morte ſit ecce meâ.

*Ex altero verò latere Phœnix hoc addito,*

Vt iuuenes viuant, ſe cremat ante ſenex.

*Additur & hoc diſtichon.*

Heu tua vita breuis, breuia & tua gaudia tecum,
Et breuis hîc lapis eſt, & breue carmen, Aue.

*Eodem ſpectare videtur Epigramma quod poſtea Parte hac Nonâ ſuo legetur ordine.*

## CLI.

### MARRONIS AVARI.

*Nicolao Borbonio Vandoperano auctore.*

AH fœtet nimis! Huic foueæ *Marronis* auari
Corpus ineſt & mens. Flecte, Viator, iter.

## CLII.

### MARTINI CRVSILII.

*Auctore Claudio Verderio.*

MAturus toto fuerat qui tempore vitæ,
Immatura neci pruna dedere Virum.
Maturum bello ſe immaturúmque laceſſunt,
Hoc vult maturi perdere quidquid ineſt.
Maturam quando mentem ſuperare nequiuit,
Corpus maturum mors inimica negat.

## CLIII.

### MARTINI LVTHERI HÆRESIARCHÆ.

HIc ſitus ille *Nero*, Laicis mors, vipera *Clero*,
Deuius à *Vero*, cuppa repleta *mero*.

*R. P. Andreas Fruſius his. Martinum hunc Lutherum depinxit coloribus ingenioſiſſimè.*

Magnicrepus, Mendax, Moroſus, Morio, Monſtrum,
Ambitioſus, Atrox, Aſtutus, Apoſtata, Agaſo.
Ridiculus, Rhetor, Rabioſus, Rabula, Raptor.
Tabificus, Tumidus, Tenebroſus, Transfuga, Turpis.
Impius, Inconſtans, Impoſtor, Iniquus, Ineptus.
Nycticorax, Nebulo, Nugator, Noxa, Nefandus.
Ventoſus, Vanus, Vilis, Vulpecula, Vecors.

Digitized by Google

Schiſmaticus, Stolidus, Seductor, Simia, Scurra.
Laſciuus, Leno, Laruatus, Latro, Laniſta.
Ventripotens, Vultur, Vinoſus, Vappa, Voluptas.
Tartareus, Torris, Tempeſtas, Turbo, Tyrannus.
Hæreſiarcha, Horrendus, Hypocrita, Hydra, Her-
[maphroditus.
Erro, Execrandus, Effrons, Effrænis, Erinnys.
Retrogradus, Reprobus, Reſupinus, Rana, Rebellis.
Veſanus, Varius, Veterator, Vipera, Virus.
Sacrilegus, Satanas, Sentina, Sophiſta, Sceleſtus.

*Diſtichon in eumdem ignoto auctore.*

Cunctorum jacet hîc *Lutherus* cauſa malorum:
Qui tegit hunc, vitium contegit omne lapis.

*Aliud eodem penè ſenſu.*

Contemptor fidei, vitæ corruptor honeſtæ,
Fons & origo mali clauditur hoc tumulo.

*Aliud ex imitatione Apoſtolij.*

Qui Lutheri atro tumulum carbone notauit,
Nonne putas ſacras hunc habuiſſe manus?
Non poterant equidem ſcriptis melioribus vti;
Non graphio, aut cartâ, non meliore notâ.

*De effigie Lutheri hoc diſtichon refert Suuertius.*

Tali *Bacchus* erat, tali *Gargantua* vultu,
Tale triplex mentum *Pantagruelis* erat.

*In Additionibus ad Flores Epitaphiorum Petri Andreæ Canonherij,*

*Hæc in Martinum Lutherum V. Euangeliſtam.*

Hic jacet ille Aſinus, qui pro meretrice cucullum
Exuit, & totum repleuit Schiſmate mundum.

*Aliud de eius fœtore & corruptione.*

Eſſe ſalis modio paſtum cum *dæmone* faſſus
Se *Martinus* erat: Crede, *Propheta* fuit.
Quàm malè ſanus erat, putridus quoque, viſcera
cujus

Seruari modio non potuere ſalis.

*Aliud de eiuſdem calculo.*

Calculus excruciat *Martinum*, nempe votati
Ille refert modij præmia juſta ſalis.

*De eâ Lutheri cum Diabolo familiaritate ſalſa ſunt: ac valde ingenioſa.*

*Andreæ Fruſij Epigr.* 108. & 109 *ſed paullo longiora.*

## CLIV.

## MARTINI POLYPHEMI COQVI.

*Antonio Panormitâ auctore.*

SIſte precor, lacrymíſque meum conſperge ſepulcrum,
Quicumque hâc juuenis forte tenebis iter.
Sum *Polyphemus* ego vaſto pro corpore dictus,
*Martinus* proprio nomine notus eram.
Qui domino ingrato fruſtra famulabar in arte,
Qua celebror celebres exuperaſſe coquos.
Nunc hic funebri tandem ſpoliatus honore,
Thure carens ſummâ ſum tumulatus humo.
Me *Mateſilanus* latebroſâ in nocte recondi
Iuſſit, & exequias luce carere meas:
Nec cruce, nec cantus celebrauit noſtra Sacerdos
Funera, nec requies vltima, dicta mihi.
Clámque fui ſacro latitans, raptímque ſepultus,
Nec ventrem capiunt arcta ſepulcra meum.
Dum feror, obſtupui, timuíque ſubire latebras,
Nec loca crediderам religioſa dari
Oro, pedem injectâ condas tellure parumper,
Qui patet: Heu, vereor ne lanient catuli.
Continuo domini complebo vlulatibus ædem;
Inferijs pœnas has dabit ille meis.

Digitized by Google

## C L V.

## MATRONÆ QVÆ XI VIRIS NVPTA FVIT.

*Refert ex quodam Andreas Canonherius*

QVæ jacet hoc mulier parui ſub fragmine mõtis,
Non certè fauſto ſidere nata fuit.
Quæ ſit cauſa rogas? nam tres atque octo maritos
Legitimi ſocios cœpit habere tori.
Quos ea, quâ culpâ neſcitur, perdidit omnes!
Et fuit in quovis nubere menſe malum.
Dij meliora mihi, cùm quondam tempore juſto,
In thalamos ibit ſponſa petita meos.
Huic totidem verſus, fuerat quot nupta maritis,
Fecimus: Vndecimus ſed bene talis erit.
Apta viro nulli fœmina, digna mori.

## C L V I.

## MAVRI GRAMMATICI.

*Auctore Iulio Caſare Scaligero.*

BArbarie miſerum Latium qui conſpuit atrâ,
Dedidicit purè quo duce *Roma* loqui:
Ridiculâ pueris cathedrâ, ſcuticâque relictâ,
Nunc docet informem barbara verba canem.

*An eiuſdem & hoc decantatum.*

Corpus mente ſuâ caret, & mens corpore *Mauri*,
*Maurus* vtroque caret, nil niſi nomen habet.

## C L V I I.

## MEDICI PHARMACOPOLARII.

*In Additionibus ad Canonherium.*

DOſibus impuris, clyſteribus, atque receptis
Perdere qui ſolitus millia mille virûm,
Improbus hâc tamdem *Medicus* tumulatur arenâ:
Reſpirant vitæ, lætitia, atque ſalus.
Ægreſcunt *Manes*, deſolatúmque tribunal
*Ditis*, & Vmbrarum Regia tota dolet.
Portitor infœlix vacuâ vada lurida cymbâ

Verrit, & *Eumenides* per loca ſola gemunt,
Exulat horrendum jejuno Cerberus ore:
Damnat & ipſa ſuum Mors ſine morte nefas.
Nam neque vel *Mauors, Bellonáue* plura per orbem
Funera, quàm *Medicus* ſtrenuus ille dedit:
Non luxus, non atra fames, non ira *Deorum*
Peſtis, & occulti ſideris aura nocens.
Tot genera herbarum callebat, & apta venena,
Vtile ſeu fuerat clam, vel obeſſe palam.
Seu mage vtroque modo Mors præcipitãda veniret,
Morte ſuum melius nouerat ille ſcelus.
Nec moriturus erat, niſi prouida cura *Tonantis*
Vaſtitiem metuens, terrigenúmque chaos,
Exitiale caput triſido igne fugaſſet ad Orcum,
Miſturum nigris laruigenum populis.

*Deeſt diſtichon.*

CLVIII.

MENDICI.

*Auctore Iouiano Pontano pag.* 175.

NVlla mihi viuo domus: at nũc certa ſepulto eſt.
Vitáque paupertas, mors mihi diuitiæ.
Vita mihi exilium: requies at certa ſepulchrum.
Nudus eram viuus, mortuus ecce tegor.

CLIX.

MICHAELIS AMIDEI.

*Neopoli.*

CVm fex, cum *limus*, cum res viliſſima *ſimus*
Vnde *ſuperbimus*, ſi ad terram terra *redimus*?

CLX.

MIELLÆ CÆSÆ ET ASVIBVS ERVTÆ.

*In Collectione Pithœi. pag.* 116.

HEu quid amor, male caſtus amor, mala crimina poſſint,
Ipſa manu doceo cæſa *Miella* viri.

Hærebam

Digitized by Google

Hærebam miſero in gremio malè ſaucia & amens,
Et mea languentis preſſerat ora ſopor.
Irrumpit gladio coniux heu victa ſopore
Vix ſenſi armatas in mea fata manus.
Ejectam furtim, exequijs buſtóque carentem
Triſtis in ignota condidit hoſpes humo.
Tabueram, inteſtata diu, nec crimina paſſus
Hymen immundas excit in oſſa ſues
Eruor infelix, populi nota, dedecus vrbis,
Méque trahunt rapidæ per loca terra feræ.
Quæque *Miella* fui, nomen ſum nacta *Suillæ*,
Diſce puella tuo caſta manere thoro.

*Gruterus meminit, ſed inter ſuppoſititios ac recentiores pag. XVI. 2.*

## CLXI.
## MILVII HOMINIS RVSTICANI.
*Io Ionio Pontano Auctore*

F*Alco* pater mihi, *Coruus* auus; matérque *Colũbã*
*Pica* auia eſt: quid plus? *Miluius* ipſe vocor.
Ne me Sarcophago condas: ſit in arbore buſtum:
Nidus ſit tumulus, nidor & ipſe iuuat.

## CLXII.
## MONSTRI BICIPITIS.
*Cujus effigies ſculpta eſt in hoſpitali ad ſcalas Florentiæ, meminitque Franc. Petrarcha Lib IV. de rebus memorandis tract VI. cap. XXI.*

HAc Petrus Paulúſque vno ſub corpore bini
Fabrica naturæ mira iacemus humo.
Cuique ſuum fuit & manuum fuit oris opuſque,
Veſicæ aſt vnum ventris opuſque fuit.
Iunxere extremæ partes nos corporis ambos:
Quas neuter ſimul & dicat vterque ſuas.
Neutrâ ex parte pedes, capita ex vtrâque fuerũt
Bina; ſed è medio corpore planta fuit.

Bina fuit medio quæ corpore planta deorſum
Pendebat, ſurſum quinta erat vna manus:
Non verò nobis vnus ſomnúſque, cibúſque
Nec riſus nobis fletus & vnus erat.
Somno membra dabat vnus, ridebat at alter,
Surgebátque vnus flens quoque & alter erat.
In *Florentina* natos nos fluminis *Arni*
Valle dedit patriæ nos pia cura patris.
Inde alti & ſacro pariter de fonte leuati,
Viximus ambo decem bis totidémque dies.
Quid nunc *Neptunum*? quid nunc *Ianúmque* bifrontem
Miraris? *Stygij* terna quid ora canis?
Et quid Geryonis tria corpora? Scilicet vnum
Nos corpus, binas nos animáſque lege.

## CLXIII.

## MORDACIS CRVCIARII.

QVælibet opprobrijs *Mordax* mordere paratus,
Raptáque *mordaci* mandere dente ferox,
Hic neque procubuit moriens, nec humum ore momordit,
Sed ſtetit, alituum morſibus eſca feris.

## CLXIV.

## MORINI INFANTVLI

*Ioanne Ruxelio auctore.*

OMen erat, nomen quod tu gentile gerebas,
Et potuit fati te meminiſſe tui.
Primula ſed iuſtos ſi vis creuiſſet ad annos,
Te quondam poteras eripuiſſe neci.
Ergo ne gereres cum duris prælia fatis,
Te voluit puerum *Parca, Morine*, mori.

CLXV.

## MORIONIS CVIVSDAM ANGLI.

*Ioanni Audoëno tribuitur.*

HIc ſitus eſt, cuius vox, vultus, & actio poſſit
Ex *Heraclito* reddere *Democritum*.

CLXVI.

## MVLTORVM VNA SEPVLTORVM.

CErnis in hoc tumulo tres fratres, quinque
ſorores:
E quibus vna deeſt, vnus adhuc ſuper eſt.

CLXVII.

## NAPI SINAPOPHAGI.

HIc ſitus eſt *Napi*, ſolitus qui grande *Sinapi*
Immerſiſſe *dapi*, nec tamen inde *capi*.

CLXVIII.

## NARCISSI.

*Auctore Stephano Paſchaſio.*

HEi mihi quid prodeſt vanæ oſtentatio formæ,
Quæ peritura fugit, quæ fugitiua perit?
En ego flos, olim noſtri tam ſtultus amator,
Obijcior pecori paſtus & eſca leuis.
Quod commune alijs mihi cur natura negauit,
Vmbram vt qui colui mortuus vmbra forem?
Nempe quod & viuum & morientẽ pendere pœnas
Inuiſi faſtus me voluere Dij.

CLXIX.

## NECRI CVIVSDAM.

*Iacobo Rogerio auctore.*

QVis iacet hic? *Necrus*, quem domuit *Necrus*
in orbe?
Dum vixit ſolo nomine *Necrus* erat.

*Alluſit & ad nomen, Nullus, neſcio quis, puto Steph. Paſchaſius: vt ad nomen, Οὖτις, Homerus.*

Quis iacet hic? *Nullus*: nec quid niſi marmor inane;
Quamuis ſis aliquid, tu quoque *Nullus* eris.

*Eſt & aliud de quodam Nullo.*

Hic recubat *Nullus*, *Nullo* de ſanguine cretus:
*Nullus* apud viuos, *Nullus* apud ſuperos.

## CLXX.

## NERVÆ GANEONIS.

*A. P. F.* [illegible]

INdulgens ventri, multo reſolutus Iaccho,
Ardentem febrim contrahit, atque perit.

## CLXXI.

## NICOLAI RAPINI.

*Quod ſibi fecit, vt notat Sammarthanus & Fontenaij tumulo eius inſculptum eſt.*

TAndem *Rapinus* heic quieſcit ille, qui
Numquam quieuit, vt quies eſſet bonis.
Impune nunc graſſentur & fur & latro.
*Muſæ* ad ſepulcrum *Gallicæ* & *Latiæ* gemant.

*En François.*

*CY deſſous repoſent les os*
*De* Rapin *qui onques en ſa vie*
*N'eut repos, tant il eut d'enuie*
*De tenir les bons en repos.*
*Dérobez & volez ſans crainte,*
*Maintenant larrons & voleurs,*
*Les* Muſes *verſeront leurs pleurs*
*Sur ſon Tombeau grauants leur plainte.*

*Aliud auctore Franciſco Iureto Diuionenſi.*

CAue viator imprecari nomini
Nihil *Rapino* cum rapinis ſeculi,
Niſi vt Rapinus lege iuſta plecteret,
Faceretque in ipſis furta ſolers furibus.
Talem *Rapinum* res amabat publica,
Gaudere rapto neſcium vel ſordibus.

Quantæ Rapina nomen eſt infamiæ,
Tantæ Rapinus laudis abſtinentiæ.

Scripſere longiora Dominicus Baudius, Nicolaüs Borbonius, Iacobus Gutherius, Nicolaüs Richeletus, G. Critonius, Lud. Andrieu, Carolius Mænardus, Io. Iacquerius, S. Certon, Boneſonius, Elyſius, alijque. Ea habentur ſub finem operum eius.

CLXXII.

NIOBES.

*Extat inter Epigr. Angeli Politiani.*

HOc eſt ſepulcrum intus cadauer non habens,
Hoc eſt cadauer & ſepulcrum non habens,
Sed eſt cadauer, & ſepulcrum idem ſibi.

*Sic enim poſtremum hunc verſum fœdè corruptum reſtituendum curauimus.*

CLXXIII.

ODOFREDI I. C.

*Bononiæ.*

CLauditur hîc *mundi* ſenſus, jurîſque *profundi*
Lux, pacis *fœdus*, Doctorum flos *Odofredus*,
Si ſemel M. C. *bis*, L X V. mente *tenebis*,
Hinc ſine N. *membris* in ternâ nocte *Decembris*.

*Poſtremum hunc verſum ita refert Canonerius, ſecundum verò ſuo nitori reſtituimus.*

CLXXIV.

OLITORIS.

*Paulus Thomas Engolimenſis ſcripſit.*

CVltorem ecce ſuũ tegit hortulus, hũc prius ille
Perfugium vitæ, nunc quoque mortis habet.
Non potuit meliùs condi vel mollius: inter
Lactucas virides cauliculoſque jacet.
Si toto nihil orbe perit, ſi ex corpore putri
Naturam certa eſt quid generare fides,



Digitized by Google

Et juuenum in varios mutata cadauera flores.
Hic quoque fors olitor molle virebit olus.

CLXXV.

## OMASIDIS BIBONIS.

OMaſis Phagoniæ Dux, Dominus, Victor, Princeps, Deus hic jacet. Nemo me nominet famelicus, prætereat jejunus, ſalutet ſobrius; hæres mihi eſto qui poteſt, ſubditus qui vult, hoſtis qui audet. Viuite ventres. *Hac impius nequam.*

CLXXVI

## OPPIÆ VESTALIS INCESTÆ.

*Stephano Paſchaſio auctore.*

VEſtalis virgo violati ob clauſtra pudoris,
*Oppia*, eheu, diro marmore viua premor!
Quam natura alijs mortalibus eſſe quieti
Iuſſit humum, ſoli eſt hæc mihi ſupplicio.
Siſte, & mirãdum hoc, miſerandũmque aſpice, virgo
Non virgo tumulo non tumulata tegor.

CLXXVII.

## OTHONIS COMEDONIS.

*M. Antonius Muretus ſcripſit.*

COnditus hâc ſub humo eſt gurges vaſtiſſimus *Otho*
Cui nunc officium juſta rependit humus.
Condidit in ventrem terræ tot jugera viuus.
Hunc ſub ventre ſuo nunc quoque terra tegit.

CLXXVIII.

## PARVI ANONYMI.

*Neapoli in S. Mariâ Montis Oliueti.*

DAt ſua telluri, ſua dat cæleſtia cœlo,
Donec ſumma dies jungat vtrumque polo.
Virtute, ingenio, fortunâ & corpore Paruus,
Parua etiam paruo condidit oſſa ſolo.

Digitized by Google

CLXXIX.

PARCI TENACISSIMI.

*Auctor eſt Ioannes Giraldus.*

P*Arcus* hic eſt: parco ſaltem vni parcite *Parca*;
Quæ non excipiat regula nulla data?
Id præſtate ſemel, populo quod nomen in ore eſt:
Sin, reputet *Parcas* poſtea nemo *Deas*.
Parcis reſpondent verbis: non parcimus illi,
Non ſibi, non alijs parcere nouit, obit.

CLXXX.

PAVLI HONORATI.

*Auct. Ignatio Albano.*

FVlget *Honoratus* virtutis viuus honore,
Mors nec *Honorati* triſtis honore caret.
Corpus *Honorati* magno tumulatur honore:
Mens in ſiderea ſplendet honore domo.
In cœlo, in terris, mors, vita merentur honorem,
Dignus *Honoratus* ſemper honore frui.

*De eodem multa alia ſcripſit idem Poëta. Vide pag.* 10. *&* 11. *Deliciarum Ranu ij Gheri.*

CLXXXI.

HONORATI N.

QVisquis *Honoratum* perijſſe exiſtimat, errat:
Viuit enim in ſuperâ, viuet & vſque, domo.
Verùm, ſi viuit, genitor cur deflet? honorem
Hinc abijſſe ſuum, non obijſſe dolet.

CLXXXII.

PEREGRINI ANONYMI.

HOſpes eram *mundo* per mūdum ſemper *eundo*,
Nunc ſuprema *dies* fit mihi ſumma *quies*.

CLXXXIII.

PERINI SCRIPTORIS.

HIc ſtatuis *Vrbem* viuens decorauit & *orbem*
Nomē habet populus, corpus habet *tumulus*.



Digitized by Google

## CLXXXIV.

## PERINI PICTORIS.

*Extat in Prato Claudij Prati.*

CErtantem cùm te ſecum natura videret,
Irata in tenebras miſit & ad tumulum.
At tumulus ſi te tegit, & *Perine* tenebræ;
Et tenebræ & tumulus non tua facta tegunt.

## CLXXXV.

## PETRI ARETINI.

*Auctore Paulo Thoma Engoliſm.*

NVlla mihi viuo requies, dum verſibus atris
Primorum inſector turpia facta, fuit.
Si vultis ſaltem me in morte quieſcere, longè
Illorum à tumulis me facite vrna tegat.
Si tumuler juxta, ſeruabo mortuus iras,
Atque inimicitias noſtra vel oſſa gerent.

## CLXXXVI.

## PETRI BEMBI CARD.

*Verſibus correlatis, vt vocant.*

HAdria, Caſtalides, Oenotria, Tuſcia, Bembus:
Nobilis, Vnanimes, Florida, Culta, Probus;
Vndique, Conjunctim, Subitò, Velociter, Eheu;
Oblue, Complete, Prome, Profunde, Obijt;
Littora, Parnaſſum, Lamenta, Fluenta, Senectâ:
Humida, Laurigerum, Grandia, Larga, Grauis:
Fluctibus, Eloquio, Singultu, Lumine, Letho:
Luctiſonis, Mœſto, Triſte, Gemente, Hilari.

*Alterum.*

Ardalides, Vates, Hetruria, Græcia, Roma:
Findite, Complete, Sparge, Profunde, Seca;
Aëra, Permeſſum, Lacrymas, Suſpiria, Crines:
Singultu, Queſtu, Lumine, Corde, Manu.

*Tertium.*

Aonides, Charites, triplicíſque Idiomata Linguæ

Compta, Petro Bembo depereunte, cadunt.
Flete, Deæ, Charites, Latius, Pelopeus, Hetruſcus.
Itala nam Siren, Attica, Thuſca perit.

CLXXXVII.

PETRI COMESTORIS HIST. SCH. AVCTORIS.

*In Cœnobio S. Victoris apud Pariſios.*

PEtrus eram, quē petra tegit, dictúſque *Comeſtor*,
Nunc comedor: viuus docui, nec ceſſo docere
Mortuus: vt dicat qui me videt incineratum,
Quod ſumus, iſte fuit; erimus quandoque, quod hic eſt.

CLXXXVIII.

PETRI POMPONATII.

*Auctore Iano Vitale.*

EN animarum ingens globus, en legio omniuagantûm,
Quas tu perpetuâ luce carere negas.
Mortuus, vt diſcas æternam has viuere vitam
Ad cineres vlulant, *Pomponiate*, tuos.

*Eiuſdem Pomponatij Philoſophi ob minus ſana dogmata pluribus exoſi*

D. M.

Hic ſepultus jaceo. Quare, neſcio: nec ſi ſcis, aut neſcis, curo. Si vales, bene eſt. Viuens valui, fortè nunc valeo. Si, aut non, dicere nequeo.

CLXXXIX.

PETRI QVIVILLII OXONIENSIS EP.

PEtra tegit *Petrum*, nil officiat ſibi *tetrum*.

## CXC.

## PETRI SIFLETI CANONICI.

*Trecis dicitur extare.*

SI flet ter *Petrus*, qui ter te, *Chriſte*, negauit:
*Siflet* adeſt culpas qui flet & ipſe ſuas.

## CXCI.

## PHILIPPI DES MARES.

*Mechlinia.*

OMnes quæſtores vitæ non domini ſumus,
Et cum lege rationum reddẽdarum, vt vides.
Eximius nemo. ſi quiſpiam; vtique fuiſſet iſte
Rationum magiſter, at alij magiſtro & ipſus reddidit.
Vt ad probabiles, vtque pariantes, tu voue, quiſquis
amas,
Et pro te rogari; nẽ reliquator ſias.

## CXCII.

## PHILIPPI MELANCHTHONIS.

Terra fui quondam: nigræ gero nomina terræ,
In terram redeo: dic mihi qualis eram?

*De eadem vocis alluſione Andreas Fruſius Epigrammate XIX. in Hæreticos ſui temporis.*

TEutonico nigræ pudefactus nomine terræ,
In *Græcum* mutas, triſte ſed omen idem eſt.
Eſſe quidem terram mortales nouimus omnes,
Sed terram, vnde genus ſumpſimus eſſe rubram.
De terrâ ſiquidem fit rubrâ, & dicitur *Adam*,
Terreníque pari conditione ſumus.
Quid nigredo ſibi tua vult: non, obſecro, ſolum
*Terrenum* te vis eſſe, ſed & *Stygium*
Quemlibet exoptet potius tua terra colorem,
Ni cœnum dici prorſus, & eſſe velis.
Alba vt honoratis terra eſt aptiſſima vaſis,
Sic te *ignominiæ vas* nigra terra facit.

Digitized by Google

CXCIII.

## POETÆ CVIVSDAM.

TErra tenet corpus, mentem Deus, acta nepotes:
Hoſpes, defuncto parce, Poëta fuit.

CXCIV.

## POTBACHII POTATORIS GERMANI.

*Extare Herbordiæ perhibent*

IActabunt alij partum ſibi ſanguine nomen,
Regiáque audaci colla ſubacta manu,
Et tumulo inſcribent depulſos mœnibus hoſtes,
Milléque disjectas, Marte fauente, rates.
Maxima palma mihi, *Baccho* Duce, pocula mille
Grandia cum multo ſæpe bibiſſe mero.
Gloria nec tenuis, ſi cantharus ante ſepulcrum
Pendet, & immenſi, noſtra trophæa, cadi.

CXCV.

## POTORIS SIRI EXTINCTI.

*Adriano Scorelio auctore.*

SIccus in hoc jaceo poſt pocula multa ſepulcro:
Quàm ve lem pleno me recubare cado!
Ante diem miſero *Lacheſis* mihi ſtamina rupit,
Eheu! non tali funere dignus eram.
Injectâ dum caupo morâ depromere ceſſat
Vina mihi, fauces clauſit anhela ſitis.
Quiſquis amas *Bacchum*, caupones effuge tardos;
Ni mecum ſimili morte perire velis.
Admonitus caueas: gratus cupis eſſe monenti,
Dic, rogo, præteriens: Hic quoque noſter erat;
Sit mihi terra leuis, ſit & vuida, quæſo, precare,
Cui fuerat poto nulla crumena grauis.

*Alterius quoque Potoris hîc non omittam adſcribere perlepidum Elogium.*

Qui jacet hîc, vitâ moriens jurauit in omni
Paſſum dumtaxat ſe ſemel eſſe ſitim.

Digitized by Google

Hunc ne crediderit falſum jurare, Viator;
  Perpetua huic viuo nam fuit vna ſitis.

*Aliud.*

Hîc jacet & tecto ſtillantes excipit vndas,
  Aſſiduus calicum qui trabo nuper erat.
Hoc vnum metuit viuus malè ſiccus obire,
  Nunc quoque, ne pereat, deciduo imbre cauet.

*Aliud Fanni cuiuſdam Poëtæ.*

Et *Bacchi*, & *Phœbi* non ſegnis vtrimque ſacerdos
  *Fannius Atuatica* nuper in vrbe perit.
Illum quiſquis amas; lacrumas ne inuerge ſepulcro,
  Plena ſed annoſo cymbia funde mero.
Oſſa merum ſitiunt, vinum ſuperadde ſepulcro;
  Spes erit hinc vitam libet vt ille nouam.

## CXCVI.

## PRISCIANI GRAMMATICI.

*A Salomone Frencelio.*

HIc jacet ille bonus, violentâ cæde peremptus
  *Priſciades*, Muſis quo ſine nullus honor.
Auctorem cædis vis dicam? *Carolus* ille eſt
  *Loſtius* Organica Muſicus arte potens.
Hic ter mille ſeni miſerando vulnera linguæ
  Vi madidâ inflixit, non feriente manu;
O facinus dirum, delirum denique mirum!
  *Carole* dic, cædis ſolus eráſne reus?

## CXCVII.

## PROCVLI CVIVSDAM.

SI procul à Proculo Proculi campana fuiſſet:
  Ipſe foret Proculus jam procul à Proculo.

## CXCVIII.

## PROCVRATORIS VIRI BONI.

QVi legis hunc titulũ tumuli, miraberis Hoſpes.
  *Ecce Procurator Vir bonus hîc recubat.*

Digitized by Google

## CXCIX.

## PRODITORIS CVIVSDAM.

VRnam non habeo, cælo tegor: altera coxa
Ad *Boream*, ad *medium* eſt altera coxa *diem*.
Brachia ad *Occiduum* tendunt, & *Solis ad Ortum*,
Exerit abſciſſum pertica longa caput.
Vas reliquum eſt auibus, ferro candente reſecto,
Vti quo poterat docta chirurga manus.
Id mea proditio meruit, ſex amplius annis
Externo fautrix, Regi inimica meo:
Promiſſis Hoſtis locuples, ſermonéque blando
Impulit, heu! me iſtuc: Nex mihi juſſa data eſt.

## CC.

## PVERI NOBILIS.

*Ioanne Oueno auctore.*

NOn ſeruat methodum Logicæ mors neſcia noſtræ:
Occidit ante Patrem natus, Auúſque nepos.

## CCI.

## IN PVERPERIO DEFVNCTÆ.

DVm pario, pereo: at dum ſemper pareo Chriſto,
Nunc ſacra cœlorum regna ſubire paro.

## CCII.

## PYRRI CVIVSDAM.

*Bononiæ, vt ferunt.*

TErreno *Pyrrhus* properauit carcere ad aſtra.
Quid mirum eſt? ſemper *ignis*, loca ſumma petit.

## CCIII.

## RABI SEV CORVI MONACHI APOSTATÆ.

*Iacobus Bidermannus ſcripſit.*

OCcidit infelix caperatæ Rabula gentis
*Coruus* ab effoſſa non bene tectus humo:

Digitized by Google

Qui ſacra ferali temerare ſilentia cantu
Auſus in infernas præcipitauit aquas.
Ite nigræ volucres, meritos intendite luctus,
Cum *Coruo* veſtri pars quoque magna perit.
Inferias *Coruo* da corue, rotáque relictâ
Ad cognata tuus funera queſtus eat.
Et quoniam Stygijs animum reuocare cauernis
Non potes, hoc facias quod potes, Oſſa legas.

## CCV.

## RELEGATORVM IN CORSICAM

*Auctore L. Annæo Seneca.*

C*Orſica Phocæo* tellus habitata colono,
*Corſica*, quæ *Graio* nomine *Cyrnus* eras.
*Corſica Sardinia* breuior; productior Iluâ,
*Corſica* piſcoſis peruia fluminibus.
*Corſica* terribilis cùm primùm incanduit æſtus,
Sæuior oſtendit cùm ferus ora canis.
Parce relegatis: hoc eſt jam parce ſepultis.
Viuorum cineri ſit tua terra leuis.

## CCV.

## RENATI GENTILIS.

*Impius Beza ſcripſiſſe* dicitur.

FRacto gutture ſtare quem reuinctum,
Impulſúque vides & huc & illuc,
Quondam purpureo ſedens Senatu
Primus *Parisio* in foro tenebat.
Verùm, proh facinus ſcelúſque grande!
Dum lucri ſtudio impotente captus,
Bonos non minus ac malos coërcet,
Iuſto numine ſic jubente Diuûm,
Viuus qui malè ſederat tot annos,
Stare nunc malè mortuus jubetur.

Digitized by Google

## CCVI.

### ROBERTI CARMICRVCII.

*Buchanano auctore.*

DAt titulos, dat opes, dat crux mihi nomina gentis,
Addictúſque cruci cum patre frater erat.
Crux fueram cunctis: mihi ne crux vndique deſit,
Membra mea en moriens do crucianda cruci.

*Alterum.*

Corpore cum fœdo ſpecies ſit fœdior oris,
Fœdum pectus habens, fœdius ingenium.
A cruce Parca dedit nomen præſaga futuri,
Haud aliâ hoc dignum morte cadauer erat.

## CCVII.

### ROSÆ PVELLÆ.

GRande decus formæ, ſpeciménque inſigne pudoris,
Hîc *Roſa* fatali ſorte perempta iacet.
Cúmque illâ pariter buſto tumulantur in vno,
Forma, pudor, mores, gratia, caſtus amor.
Quiſquis amas, bibulum lacrymis aſperge ſepulcrũ,
Ex vna cernes creſcere mille Roſas.

*Alterum auctore Ioviano Pontano.*

Non nomen tibi quin omen fecere parentes,
Dixerunt cùm te bella puella, *Roſam*.
Vtque roſâ breuius nil eſt, æquéue caducum,
Sic citò, ſic breuiter & tua forma perit.
Impleſti denos vix nam formoſa Decembres,
Vere *Roſa* heu nata es, menſe Decembre cadis.
Non æſtus, ſed te rapuerunt frigora brumæ:
Non æſtas, ſed te frigida ſoluit hiems.
Ergo non hiemi flores, non rapta per imbrem
Frondeſcis, tumulo ſed male roſa, *Roſa* es.

Digitized by Google

## CCVIII.

## ROSAMVNDÆ PELLICIS HENRICI R. Ang.

HAc iacet in *tumba* Roſa mundi, non Roſa *munda*:
Non *redolet*, ſed *olet*, quæ redolere *ſolet*.

## CCIX.

## ROSCIÆ PVELLÆ.

*Auct. Ioanne Iouiano Pontano.*

ROs mihi dat titulum, noménque eſt *Roſcia* noſtrum.
*Ros* breuis eſt, breuis heu ſic mihi vita fuit!
*Rore* madet tumulus, ſtillant & marmora *rorem*.
*Roſcia* ſum, me *ros*, *roſcida* & vnda rigat.
Sed nec apes tumulo, verum inſedere cicadæ,
Stridulâque ad cineres hei mihi turba crepat.
Bruma mihi requies, æſtas eſt pœna ſepultæ:
Bruma quies, æſtas eſt mihi ſupplicium,

*Tetraſtichon haud abſimile habes à L. Veguiô ad huius Octaſtichi imitationem expreſſum.*

*Ros* mihi dat titulum; quia *Roſcia* nomine dicor:
Et tumuli ſacro marmora *rore* madent:
Lactea membra, ipſo plus albaque *rore* fuerunt,
*Cedebas Roris* gratia & ipſa meæ.

## CCX.

## RVSELLI ABBATIS.

*Profanationis Caluiniſtica promotoris præcipui.*

ALter *Barrabbas* jacet hic Ruſſellius *Abbas*.

## CCXI.

## SARGII POTATORIS.

*Auct. Nicolao Borbonio.*

SArgius hic iaceo, necuit quem copia vini,
Hic mihi viuendi finis fuit atque bibendi.

*Vel*

Digitized by Google

*Vel ſi merè Leoninum ames.*

Hic ſitus eſt *Rimini*, necuit quem copia *vini*:
Idem *viuendi* finis fuit, atque *bibend.*

CCXII
## SCVRRVLÆ TEMVLENTI.
*Deſiderio Eraſmo auctore.*

PAx ſit, Viator, tacitus hos legas verſus,
Ne mihi ſuauem ſtrepitus auferat ſomnum,
Repetátque vigiles illico ſitis fauces.
Nam *Scurrula* hocce iterto conditus ſaxo,
Quondam ille magni clarus *Euij* myſtes,
Vt qui bis octo luſtra perbibi tota,
Oculis profundus deinde ſomnus obrepſit:
Vt ſit benigno membra dum madent *Baccho*
Atque ita peractis ſuauiter bonis annis,
Idem bibendi finis atque viuendi
Fuit: ſed etiam me aliquis ebrium credat,
Aut ſomniare, qui iſta dormiens dicam.
Vale Viator, iam ſilenter abſcedes.

CCXIII
## SEBASTIANI MOTENSIS.

SEbaſtianus Mota Nugo maximus,
Hic occubo myſtes *Iouis* at *Bacchi* magis.
Quidquid loquebar, fabula erat. In res abi
Lector tuas, ni poſtumas nugas velis.

CCXV
## SEBERTI REGIS.
*VVeſtmonaſterij in B. Petri Eccleſiâ.*

LAbilitas, breuitas mundanæ *proſperitatis*,
Cælica præmia, gaudia, gloria danda *beatis*.
*Sebertum* certum iure dedere *ſatis*.
Hic Rex *Chriſticola*, verax fuit hâc *regione*,
Qui nunc *Celicola* gaudet mercede *corona*.
Rex humilis, docilis, ſcius & pius, inclytus *iſte*;



Digitized by Google

Sollicitè, nitidè, tacitè, plandè, Bone *Chriſte*,
  Vult ſeruire, *tibi* proficiendo *ſibi*.
Ornat *mores*, ſpernit *flores* lucis *auara*,
Gliſcens *multum* Chriſti cultum *lætificare*,
Eccleſiam nimiam nimio ſtudio *fabricauit*,
Hæc illæſa manus quæ fundamenta *locauit*;
Hinc ſeptingentis annis terra *tumulatus*
Chriſti *clementis* inſtinctibus inde *leuatus*,
  Iſto ſub *lapide* nunc iacet ipſe, *vide*.
Atque domum *Chriſto* quia mundo fecit in *iſto*,
Nunc pro *mercede* cæli requieſcit in *ede*.
Reſpice *mortalis* promiſſio ſit tibi *talis*:
  Accipies, ſi *des*; nil capies niſi *des*.
Es *Chriſto qualis*, & erit *Chriſtus* tibi *talis*,
  Dapſilis eſto *ſibi*, largus eritque *tibi*.
Effectus, non affectus, ſi reddere *poſſis*
Debet *cenſeri*, nil eſt, ſi reddere *poſſis*;
Nec bonus affectus pro facto debet *haberi*.
Sicut de *lignis* per aquam depellitur *ignis*,
Sic mala *commiſſa* fiunt donando *remiſſa*
Reddet ad *vſuram* quod quis dat nomine *Chriſti*,
Nam vitam *puram* pro paruo dat *Deus iſti*.
  *Obijt anno Domini* DC. XVI. *vltima Iulij*.

CCXV.

SENATORIS IVVENIS.

*Ludebat Ioannes Giraldus.*

HIc quis? *Ephebus* adhuc irato *præſide Phœbo*,
  In *Parlamento* diuite factus homo eſt.
Non veteri, ſed iure nouo mox inde *Senator*,
  Prodijt: O ſocias ambitionis opes.

CCXVI.

SENIS PAVPERCVLI.

*Iulio Capilupo auctore.*

PAuper erã; mihi parua domus, mihi vilis agellus;
  Et tenui in menſâ parua ſalina mihi.

Non ſtomacho, capitiue meo dolor obfuit vnquã,
Nec ſecuit vetulos tarda podagra pedes.
Nec mea ſollicitæ vexarunt tempora curæ;
Nec timui parco mixta venena mero.
Sic vixi, & perij Crœſo felicior ipſo:
Namque deeſſe nihil, nec ſuperaſſe dolet.
Vt fuit ad victum iam viuo terra, ſepulto
Sic erit ad tumulum nunc mihi parua ſatis.

*Alterum incerto auctore.*

Pauperie & ſenio confectus, nullus egeno,
Et mendicanti quum mihi ferret opem:
Membra tremens ſenſim tumulum procliuis adiui,
Vt vitæ finem ſic facerem miſeræ.
Per me mutatus morientum priſcus erit mos,
Venit poſt tumulum mors mihi ſera meum.

*Aliud ex Græco.*

Pro tumulo inſculpſit hæc tabulis pene obſitus annis,
Proxima nam morti noſtra ſenecta iacet.
Tu me verboſum & vetulum ſaluere iubeto:
Sic tibi dent ſenium tangere Fata loquax.

## CCXVII.

## SENIS CÆLIBIS.

*Guillelmo Moditio auctore.*

Simulus hic iaceo ſexagenarius *Vmber*,
Et cœlebs: vtinam ſic pater ante meus!

## CCXVIII.

## SENIS ET IVVENIS.

Debilis & fortis, Iuuenisque Senexque recumbunt:
Improbitas, probitas hac tumulantur humo.

# CCXIX.

## SERGII PARASITI POLÆ IN DALMATIA.

*Ex Iocis Arnaudi.*

VIatores, Ciues optimi vel Aduenæ, ſiue bini, ſiue ſinguli inceditis, ſiue turmatim, quod magis erit gratiæ, obfirmate greſſum. Nec miremini ſi moramini aliquantisper. Diaculus equidem fui, ſuccinctus ſermo dari vobis non poteſt: & iuuat vobiſcum eſſe, vt iuuit ſemper ab ore meo pendulos detinere Saxum hoc vos vocat. Quid inquam? Vt viuus aſſueui prudens imprudens mortuus item vos fallo. Nam non vos vocat quod vacat ore: verùm is quoius cinis heic latet: hæc olim ſua voluntas volentis vos legere hoc ſcriptum. vah! quid loquor? imò ſculptum. Quam ægrè veritas adhuc ſe mecum conciliat! Nam neque heic atramentum vel papyrus, aut membrana vlla, ſed malleolo & celte literatus ſilex, ſilens adhuc quis heic latet, quod ego efferre & effari geſtio. Sergius Polenſis paraſitus hiſtrio veſter feſtiuiſſimus heic cubo. Hoc vnum quidem tandem ſponte dictum verum eſt. Si quis dubitat hanc olfaciat humum: olet enim temetum & florem vini veteris quo ſatur ſatis vîuens vixi. Quod ſi vixi vitam tam vobis gratam quàm notam vrbi, & orbi non minus munus a vobis impetrem oportet. Adeſte mihi & fauete.

# CCXX.

## SOLIMANNI IMPER. TVRCARVM.

TError *Germanis*, *Italis* tremor, horror *Iberis*,
Ingentes fregi *Rex Orientis* opes.
Mater erat *Bellona*, pater *Mars Thracius*: inde
Arma puer, juuenis, vírque, ſenéxque tuli.

Digitized by Google

Viuenti pelagus fuerat mihi non ſatis amplum,
Defunctus modicis ad Stygâ claudor aquis.

CCXXI.

STORACIS CVIVSDAM.

FAſtuoſi annonæ Præfecti, qui cùm mala fide ſuo munere fungeretur ac plebs Neapolitana famis impatiens in eum irrueret in quodam ſepulcro ſeſe abdidit, vt latebras quæreret ſed tandem inuentus fruſtillatim à populo diſcerptus eſt tanto furore, vt ſanguinem eius plurimi lamberent, & oſſa deeſſent ſepulcro.

STORAX, qui viuus ſubijt ſepulcrum,
Mirum! defunctus caruit ſepulcro.

CCXXII.

TIMONIS MISANTHROPI.

*Ex Anthologia.*

HIc ſum poſt vitam miſeramque hilaremque ſepultus.
Nomen ne quæras, Lector, Dij te male perdant.

*Aliud auctio e Lucio Ducatio.*

HInc quoque formoſæ procul, ô procul, ite puellæ:
Qui jacet hîc, odio vos habuiſſe ferunt.
Siſte vir: ille viros æquè miſer oderat; & nunc
Vmbra vocat ſolas ad ſua buſta feras.

*Alterius cuiuſdam Miſanthropi.*

Nemo tibi Vitam miſero cur luget ademptam?
Cauſa eſt: Cunctorum Mors tua Vita fuit.

CCXXIII.

TISSONI AVARI.

MOrtuus eſt Tiſſonus, opes de morte reſurgũt,
In *cumulo*, vt *tumulo*, quæ jacuere diu?



Digitized by Google

CCXXIV.

THAIDIS.

*Auct. Simone Vallamberto.*

SCribe mihi in tumulo: mortem ſi lubrica Thais
Noſſet; vixiſſet ſobria: Diſce mori.

CCXXV.

THEODORI BEZÆ PSEVDOCHRISTIANI.

*Quod ſibi ſuiſque ſymmiſtis ſcripſiſſe videtur ſub Caratini perſonâ.*

FLete agedum, flete, ô Fratres, extinctus abiuit
Ille vnus noſtræ relligionis honos.
Ridete ô reliqui, riſu digniſſima res eſt;
Hæc ſunt perpetuis funera digna iocis.
Quippe hujus quondam mendacibus omnia fucis
Perdere, ſola diu curáque, ménſque fuit.
At dum cuncta tegit, dum fraudibus omnia velat,
Mors ſimulatorem non ſimuláta rapit.

*Eiuſdem Theodori Bezæ Archiminiſtri.*

*Incerto auctore.*

EN tibi in hoc *pulcro* Theodorus Beza *ſepulcro*
Qui cunctos *inter* bene dicitur eſſe *Miniſter*,
Maluit ille *mori* quàm vt non ſeruiret *amori*.
Dimiſſis *Miſſis* ſeruiuit Apoſtata *menſis*,
Tum vero ex *iſto* dixit ſe viuere *Chriſto*
Ex his ergo *ter* magnus fuit ille *Miniſter*.

CCXXVI.

TRISTANI.

*Ex Ioanne Thomâ Muſconio.*

TRiſtano peperere mihi cunabula nomen
*Triſtitiæ* nomen, *triſte* quod omen erat.
Vt numquam variúſve labor, curæve tenaces
Defuerint lethi *triſtis* ad vſque diem.

Digitized by Google

Tres habui fratres, tria funera *triſtia* vidi,
Cum quibus in patrem tela cruenta tuli ?
*Triſtanus* vixi *triſtis*; mox *triſtis* ab ipſis
Pœna mihi ſupereſt *triſtior* exequijs.

CCXXVII.

VICILINI EPISCOPI DANI.

*In templo Mon. Bardesholmij.*

Oſſa pij Patris hic condita ſunt Vicilini.
Aldĕburch Præſul Holſatis Nobile Germen
Præſul . Finalis Præſtans Tutamen Alumnis
Holſatis Præſtans Lumen Puriſſima Gemma
Nobile Tutamē Puriſſima Gemma Refulgens
Germen Alumnis Gemma Refulgens O Viciline.

CCXXVIII.

VIGLII ZVICHEMI I. C.

*Auctore Maximiliano Vrientio.*

QVi curas Regum,& regnorum pondera obiuit
Peruigil hoc dormit *Vig'ius* in tumulo.
Parce pios, Lector, Manes turbare; quietem
Hæc poſt tot vigiles vindicat vmbra dies.
At vigilis *Vigili* exemplo vigil eſſe memento:
Nil etenim vita eſt, ſit niſi vita vigil.

CCXXIX.

VIOLI ANONYMI.

*Ab Anonymo.*

VEntorum Violas Violat Violentia: Verùm
Virtutem Violi Ventus Vbique Vehet.

*Aſſimile eſt quod Michaëli Violæo ſcripſit Carolus Sauſſayus Doct.*

NOn plures Violas veris dat tempore tellus
Virtutum Violas quot Violæus habet.
Sed quia vel Violæ primæui veris honores,
Sic ſuperis placitum ſole calente cadunt.

Verè primus honor Violæus & vrbis & orbis
Sic ſuperis placitum ſole calente cadit.

## CCXXX.

### VIOLINÆ PVELLÆ.

*A Iouiano Pontano.*

PRata mihi tumulum præbent, *violæque* ſepulcrũ
Fronde tegunt: mirùm ſi *Violina* vocer?
Non mihi thure opus eſt, aut nardo, aut Arabe myrrha:
Myrrha mihi, & nardus, thuráque ſunt *Violæ*.

*Aliud pene ſimile.*

Nata inter *Violas* molli requieſco ſopore,
Illa ego flos formæ, flóſque pudicitiæ.
Cetera flos, niſi quod breuius ver floris, at iſtud
Quæ vireo æternum neſcia ſola pati.
Vere meo potui quamvis longæua perire,
Nam fuit ætatis ver mihi perpetuum.
Pro lacrymis igitur flores h c ſparge Viator;
Parua etiam *Violas* hæc dabit vrna nouas.

## CCXXXI.

### VIRI ET VXORIS.

*Auctorem perhibent Stephanum Paſchaſium.*

NImirum vitæ ſpeculum mors dicitur eſſe:
Vita vt diſſimilis, mors quoque diſſimilis.
Ecce viro Medicus medicamen porrigit ægro,
Abnuit ægrotus ſumere, & occubuit.
Corpore ſed firmata magis, medica en inhauſtum
Ne pereat, mulier ſumpſit & interijt.
Diſſidijs tantis dedit exitus iſte quietem?
Falleris: inter ſe jugiter oſſa ſtrepunt.

# CCXXXII.

## VITALIS MIMI.

*Pithœus refert Epigr. veterum libro III.*

QVid tibi mors faciam, quæ nulli parcere noſti?
Neſcis lætitiam, neſcis amare jocos.
His ego præualui totâ notiſſimus vrbe.
Hinc mihi larga domus, hinc mihi cenſus erat.
Gaudebam ſemper, quid enim ſi gaudia deſint,
Hic vagus ac fallax vtile mundus habet?
Me viſo rabidi ſubito cecidere furores:
Ridebat ſummus, me veniente, dolor.
Non licuit quemquam mordacibus vrere curis:
Nec rerum incertâ mobilitate trahi.
Vincebat cunctos præſentia noſtra timores,
Et mecum felix quælibet hora fuit.
Motibus ac dictis, Tragicâ quoque voce placebam
Exhilarans variis triſtia corda modis.
Fingebam vultus habitus ac verba loquentum,
Vt plures vno crederes ore loqui.
Ipſe etiam quam noſtra oculis geminabat imago,
Horruit in vultus ſe magis iſſe meos.
O quoties imitata meo ſe femina geſtu
Vidit & erubuit, totáque mota fuit.
Ergo quod in noſtro videantur corpore formæ,
Tot mecum raptas abſtulit atra dies:
Quo vos jam triſti turbatus deprecor ore,
Qui tumulum legitis cum pietate meum,
O quàm lætus eras Vitalis, dicite mœſti,
Sint tibi, Vitalis, ſint tibi læta modò.

CCXXXIII.

VITVLI ET ASELLÆ.

*Auct. Marullo lib. I. Epigrammatum.*

MOerenda! *Vitulus* atque *Aſella* conjuges,
Qui morte præuenti malâ, nec ille *Bos*,
Nec illa quiuit emori *Aſina*, hoc ex ſuis
Sibi bonis ſumpſere, quod vides, ſoli.

*Inter Tibartina refert Franciſcus Suuertius in ſelectis Delicijs Orbis Chriſtiani, ſed inepte initio legit MVRENA VITVLVS, & cetera corrupit omnia.*

*In eoſdem luſit Ioannes Lauterbachius hoc diſticho.*

Ante diem *Vitulus* cum conjuge raptus *Aſellâ*;
Non potuit fieri hîc *Taurus* & illa *Aſina*.
O *Deus* omnipotens *Vituli* miſerere *Ioannis*;
Quem mors præueniens non ſinit eſſe bouem.

CCXXXIV.

VIVI HOMINIS, SED AMANTIS DEVM.

*Matthias Caſimirus Sarbieuius ſcripſit.*

ET viuo, & morior: quid inanes demoror auras?
Quid juuat ambiguis nectere fata moris?
Conſtrue perpetuis halantem floribus vrnam,
Et tumulum nobis pone ſuperſtes Amor.
Hîc ſepeli miſerum, & lacrymis aſperge jacentem,
Et duo marmoreis carmina cæde notis.
*Et viuo, & morior: poſſis in Amore, Viator,*
*Et quo, viuo, mori; & viuere, quo morior.*

CCXXXV.

VIVVLI POTATORIS.

DOctibibus jacet hîc is, qui, dum vita manebat,
Non meruit dici *Viuulus*, at *Bibulus*.
Namque videns tumidos per tot vineta racemos,
Omnia potipotens vina vetuſta bibit.

Digitized by Google

Grandine plus ſolito grandi vindemia, ſiccis
Exhauſtíſque cadis, tota & vbique cadit:
*Vinulus* exclamans: miſero ſpes ergo bibendi
Omnis adempta mihi? ſit mea vita mori.
Et verè moriens, hæc verba nouiſſima dixit:
*Malo mori nunc, quàm viuere, nec bibere.*

## CCXXXVI.

## VRSI TOGATI.

*Ianus Gruterus* DCXXXVII. I.

VRſus togatus vitreâ qui primus pilâ
Luſi decenter cum meis luſoribus,
Laudante populo maximis clamoribus,
Thermis Trajani, Thermis Agrippæ & Titi
Multùm & Neronis, ſi tamen mihi creditis,
Ego ſum: ouantes conuenite pilicrepi,
Statuámque amici floribus, violis, roſis,
Folióque multo atque vnguento marcido
Onerate amantes & merum profundite.
Nigrum Falernum aut Setinum aut Cæcubum
Viuo ac volenti de apotheca dominica.
Vrſúmque canite voce concordi ſenem
Hilarem, jocoſum, pilicrepum, ſcholaſticum,
Qui vicit omnes anteceſſores ſuos
Senſu, decore, atque arte ſubtiliſſimâ
Nunc vera verſu verba dicamus ſenes.
Sum victus ipſe fateor à ter Conſule
Vero patrono nec ſemel ſed ſæpius
Cujus libenter dicor exodiarius.

## CCXXXVII.

## VVOLFANGI DVCIS.

*Incerto Auctore.*

POns ſuperauit aquas, ſuperarũt pocula Pontem:
Febre tremens periit, qui tremor orbis erat.

Digitized by Google

CCXXXVIII.

VXORIS RIXOSÆ.

*Ioanni Giraldo tribuitur.*

QVæ viuēs morienſque nihil quàm jurgia fecit,
Mortua numquid adhuc jurgia, *Pluto*, facit?

*Talis erat Coruina, de quâ ſic Ioannes Iouianus Pontanus ingenioſè, vt aſſolet.*

HIc poſita eſt *Coruina*, ſuo attumulata marito,
In tumulo & thalamo litigioſa cohors.
Anne cohors, vbi vir jaceat cum conjuge ſolus?
Ille ſuæ conſors conjugis, illa ſui;
Dum clamant, dúmque inclamāt, dū ſtridet vterque,
Hic boat, illa vlulat, fit tibi plena cohors.
Iam ſtrepitant: irata cohors jam currit ad arma,
Clamor ad aſtra volat, teláque trunca ſonant.
Non litem, ſed bella putes: jam fragmina trandunt
Marmora, jam tumulo ſaxa rotata crepant.
Heu clamat *Coruina*, gemit percuſſus *Homaſter*,
*Pæona* de *Stygijs* ite, ciete vadis.
Sed nec Pæone opus: docti ſua vulnera curant.
Vos fomenta pijs fundite pro lacrymis.

Hic verò, ſi vſpiam aliâs, valere velim conſuetam mihi formulam.

ΟΥΤΕ πάντα, ὔτε πάντοτε, ὔτε παρὰ πάντων.

*Neque omnia, neque paſſim, neque ab omnibus.*

Digitized by Google

# SELECTORVM EPITAPHIORVM THESAVRI

## PARS DECIMA.

Romæ veteris nouæque, Troiæ, Græciæ, Anni, Victoriæ nauis, plerorumque Animalium, præcipuè canum catellorumque, ac ſimilium ab hominibus præcipuo quodam amoris ſenſu dilectorum epitaphia exhibet admodum ingenioſa à varijs poëtis veteris recentiſque æui magno ſtudio conſcripta, vt eorum apud poſteros nonnulla extaret memoria.

### I.

### ACCIPITRIS.

*Auctore Philippo Bertaldo.*

OCCIDIT aëriæ proles pulcherrima gentis:
Occidit accipitrum gloria, ſplendor, honos.
Vix dudũ nido diſceſſerat iſte paterno,
Et vix maternos ſpreuerat ore cibos.

Iam formoſus erat, jam fortis, & vnguibus vncis
Cœperat & roſtro carpere cortis aues.
Sæpè columbini fœtus, & picta coturnix
Paſſa ſub accipitre eſt fata cruenta gemens.
Hic domini ſolamen erat, curáſque leuabat,
Hic domino luſus deliciáſque dabat.
Confeſtim hic aderat primo clamore vocatus,
Déque manu domini norat inire dapes.
Proh dolor! ecce jacet modo funere raptus acerbo,
Qui nec languoris ſigna puſilla dedit.
Nam ſubitò occubuit, ſpectat dum feruida Phœbi
Lumina & apricus ſub Ioue carpit iter.
Tu verò Accipiter diti ſolatia fati
Hæc habe apud Manes Tartareáſque domos.
Quod tibi grata doles dominus monumẽta parauit,
Nec poteras tumulo nobiliore tegi.
Námque jaces inter floréſque herbáſque virentes,
Imminet & buſto Roſmaris ecce tuo.

*Alterum à Paulo Thoma Engel.*

Suetus volucres roſtro & vngue perſequi,
Seu quæ per altas nubium tractus citæ
Aſtris propinquant, & propiùs ſpectant Deos;
Dumeta ſeu quæ & limpidos tenent lacus,
Imúmque pennis peruagantur aërem,
Accipiter hîc ſum conditus Domini manu.
Meam approbaui viuus illi induſtriam,
Pugnóque miſſus alitum inuaſi globos,
Rediíque ſemper juſſus, haud rapui fugam,
Quamvis ſereni ſæpè ſuaſerint dies.
Seruire Domino me juuabat, vt forem
In eum pius, fui in meum impius genus,
Eiúſque menſis detuli raptas aues.
Ergo ſupremum gratus officium hoc mihi

Dedit merenti, perditam mecum ſuam
Omnem voluptatem & culinam conquerens.

## II.

## ADAMANTII CATELLI.

*Iulio Cæſ. Scaligero auctore.*

QVis putet effœtæ reptantem ad limina vitæ
Atrato amiſſum carmine flere canem?
Fleuimus: & teneræ *Aoniâ* de rupe ſorores
Auxerunt fletus flumina fontis aquis:
Quin *Natura* dolens fruſtra omnibus artibus olim
Tanta opifex iterum poſſe redire ſibi
Luget: & attonito lugens mœrore ſtupeſcit,
Tantum *Atropo* immiti nunc licuiſſe nefas.

## III.

## ALDINÆ CATELLÆ.

*Hieronymus Alexander Iunior.*

PAullò longius ſcripſit Epicedium, quod inter eius opera poëtica elegantiarum Latinatum curioſi facilè reperient.

## IV.

## ANNI MORIENTIS.

*Auct. P. Vincentio Guiniſio S. I.*

HIc iaceo rigidæ proſtratus vulnere mortis,
Dum mihi, quam reliquis augeo, vita perit
Viuendi merces moriendi debita traxit:
Et quæ vitæ alijs eſt mihi cauſa necis.
Nempe *Deum* vidi; Vitam vidiſſe iacentem,
Arguor, & lucis crimina nocte luo.
Hac tamen urgentem ſolabor ſorte dolorem,
Non poteram fato ſplendidioie mori,
Nam quibus in cunis oritur *Deus*, occidit *Annus*,
Sic Domini thalamum ſortior in tumulum.

Digitized by Google

Vita nec amiſit, meliùs ſed tranſtulit vſum:
Dulce mihi heredem lucis habere *Deum*.

*Idem Poëta anni diem natalem tamquam Phœnicis alterius è tumulo cineribúſque ſuis renaſcentis celebrat epigrammate primo, quod hic adſcribere non grauabor.*

QVod noſtri bene ſeculi ſalutem,
Qui vitam modò terminarat *Annus*,
In cunis iacet excubátque, fato
*Denatus* ſimul & *renatus* vno:
*Senex* interijt, *puer* reſurgit.
Mors breuiſſima ſuſtulit volentem;
Nec quicquam fuit illa, quàm minutum
Punctum inter *pueritiam* & *ſenectam*.
Quin vt nobiliore creſcat ortu,
Prætextam puero *puer* clienti,
Non de purpureæ liquore conchæ;
Sed de ſanguineæ rubore Vitæ
Succo nempe ſuo *Deus* colorat.
En quid denique profuit, benigna
Mortis tempora noſſe demorari,
Et Vitâ exoriente deperiſſe,
Tantùm vt nominis arte ſic & ortu,
Gaudet eſſe gemellus *Annus Agno*.

V.

APIS ELECTRO INCLVSÆ.

*Martialis libro IV.*

VT latet & lucet Phaëthontide condita guttâ,
Vt videatur apis nectare cluſa ſuo:
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum.
Credibile eſt ipſam ſic voluiſſe mori.

VI.

VI.

ARMINÆ CATELLÆ.

*Auct. Hercule Stroza.*

ARminæ tumulum vides Catellæ,
Quam plus luminibus ſuis amabat
Fernandus Ducis Herculis propago.
Hæc cum Gallica permearet arua
Saxoſas Dominus vagans per Alpes,
Atque inuiſeret vltimos Britannos,
Tam longi comes affuit laboris,
Somno peruigil excubans herili.
Adde & blanditias, ſagáxque roſtrum,
Seu vellet lepores citare luſtris,
Seu perquirere Phaſias volucres.
Iſtis pro meritis Herus benignus
Muli verbere ſæuientis ictam
Deflens marmoreâ locauit vrnâ.

VII.

ARTVSI CANIS.

*A Cynthio Gyraldo.*

C*Erberus* eſt ſedis cuſtos *Plutonis* opacæ:
Poſſidet *Icarius* lucida regna canis:
At ſi virtuti tradantur præmia digna,
*Artuſo* danda eſt, illa vel illa, domus.
Namque is dum vixit, ſuperauit grandibus auſis,
Facta Canis *Stygij*, vel Canis *Erigones*.

VIII.

AVGONIS CANIS.

*Auct. Andreâ Naugerio.*

V*Enator* celerem mœrens *Augona Melampus*,
Confoſſum rapido dente ferocis apri,
Hac illi in ripâ tumulum frondente ſub vmbrâ
Erigit: hic ipſo concidit ille loco
Non impunè quidem prædo ſceleratus abiuit:

Procubuit iaculis cæſus & ore canum.
Tu tamen è cunctis canibus præſtantior *Augon*
Fide *Augon* ſiluis qui modò terror eras:
Tu dilecte iaces, ſed ab altâ hac faſcia pinu
Millúſque & millo vincula iuncta ſuo:
Quin deciſa feri ceruix tibi pendeat hoſtis:
Sintque vnâ ex animo ſigna dolentis heri.

IX.

## BANDERÆ CANIS.

*A Io. Franciſco Camœno Peruſino.*

VEnatrix fueram: peperi *Iunone* malignâ,
Tam citò marmoreo condita ſarcophago.
Miraris tumulum? ſed enim *Bandera*, Viator,
*Icarij* meritis occulit aſtra canis.

X.

## BARBATILLÆ CATELLÆ.

*Io. Matthæus Toſcanus ſcripſit.*

BArbatilla bonæ dulciſſima *Magdalenæ*
Cura ſub exiguâ mole catella iacet.
Cui viuæ illecebras & fercula grata, iocóſque,
At dedit extinctæ cum tumulo lacrymas.
Neu ſolus *Procyon* ſummis honor additus aſtris
Nominis æterni laude ſuperbus eat:
Ad cœlum lepido catulam vult Aurea verſu
*Muſa* vocet, ſuperet quo ſua fama rogos.
Vt veluti cunctas vincebat viua catellas,
Mortua ſic reliquas vincat honore feras.

XI.

## BEMBINI CATELLI.

*Auct. Petro Bembo.*

NIl tibi non dominus tribuit *Bembine* catelle
A quo nomen habes, & tumulũ, & lacrymas.

XII.

BERYTI.

*Ioanne Barbocallo Auct. Interprete*
*Septimio Florente.*

VRs ego, nec tamen vrbs; infelix, ciuibus vnâ
Cum miſeris iaceo ter miſeranda meis.
*Vulcanus* docuit me poſt *Neptunia* bella,
Heu de tam pulcro lumine reſto cinis!
Sed tu præteriens luge mea fata Viator,
*Beryto* extinctæ liba etiam lacrymas.

XIII.

BORISTHENIS VEREDI.

*Apud Pithœum libro III. Veterum Epigr.*

BOriſthenes Alanus
Cæſareus veredus
Per æquor & paludes
Volare qui ſolebat,
Pannonicos nec vllus
Apros inſequentem
Dente aper albicanti
Auſus fuit nocere
Vel extimam ſaliuam
Sparſit ab ore candens,
Vt ſolet euenire:
Sed integer iuuentâ
Inuiolatus artus,
Die ſuâ peremptus
Hoc ſitus eſt in agro.

XIV.

BORGETI CANIS.

*Hercules Stroza Titi F.*

PAullò longius ſcripſit Epicedium inter eius opera Poëtica ſimilium elegantiarum curioſis nullo negotio inquirendum reliquimus.



Digitized by Google

XV.

## BORGETTI CATELLI.

*Auctore Andreâ Naugerio.*

BOrgettus lepidus Catellus ille
Cuius blanditias proteruiores,
Et luſus herus ipſe tantùm amabat,
Quantùm tale aliquid poteſt amari.
Nec mirum, dominum ſuum ipſe nôrat,
Caram bima velut puella matrem:
Et nunc illius in ſinu latebat,
Nunc blandè aſſiliebat, huc & illuc
Ludens atque auido appetebat ore,
Erectis modo cruribus, bipeſque
Menſæ adſtabat herili: heróque ab ipſo
Latratu tenero cibum petebat.
Nunc raptus rapido malóque fato
Ad Manes abijt tenebricoſos.
Miſelle ô canis! ô miſer catelle
Nigras paruulus vt timebis vmbras:
Vt ſæpe & dominum tuum requires:
Cui pro delicijs iocíſque longum
Heu deſiderium tui relinquis

*Elegantes hîc quoque adſcribendi eſſent Aonij Palearij verſus Iambici ad M. Antonium Maſſaum de Vrſulæ Catello mortuo, niſi prolixitas ab huius libelli anguſtijs excluderet.*

XVI.

## BRACÆ BRINONIS CATELLÆ.

*Auctore Io. Aurato.*

BRaccales manes Braccali & tecta ſepulcro
Oſſa, arbor Domini qua facit vna nemus;
Nuſquam vos meliùs poterat componere Brino
Veſter, in hortenſis quàm regione ſoli:
Nam ſua dum cœlo Canis Erigoneius aſtra

Promet vt ardenti torreat arua ſiti.
Cognato parcet tumulo reuerentia flammæ,
Cæleſti canis eſt ſi modò cara cani.
Idque duobus erit communiter vtile, frondens
Hortus ſemper erit, ſemper erit tumulus.

XVII.

BVCEPHALI EQVI INSIGNIS

*A Tito Stroza Patre.*

GLoria nobilium tegor hic inſignis equorum
Raptus inaudito funere Bucephalus.
Acer enim volucri dum tollor in aëra ſaltu,
Implicito excuſſus crure pependit herus.
Labitur enſis, humi capulus defigitur, atque
Transfixum letho cuſpis acuta dedit.

XVIII.

CANIS ET APRI.

*Auct. Antonio Tebaldeo Ferrarienſi.*

GLoria vterque ſui generis *Lygereus Iaſpis*,
Et *Latialis* aper pulcrum ineunt facinus.
Hoſtium vterque timor; fatum ſibi debitum vterq;
Vinci vt vterque nequit, victor vterque cadit.
Nec victor, ſed victus vterque cadit: neque victus,
Vel victor, ſed ſe præſtat vterque parem.
Hoſtis vterque ſuo laudis plus contulit hoſti.
Incipit exequijs viuere vterque ſuis.

XIX.

CANIS A DOMINO FVRENTE OCCISÆ.

*Ludouico Baſaco auctore.*

BLanda domi, ſiluiſque ferox, & curſibus Euros
Exſuperans canis, hac nunc requieſcit humo.
Quam ſibi cùm vellet ſociam ſuccedere cælo,
Cæleſtis Canis, & ſidus obire nouum;
Armauit dextram domini ſæuire furentis;

Cui prius & fuerat cara, odioſa fuit.
Falleris, ah nimium blandæ crudelis alumnæ;
Proficies multùm, dum cupis officere.

XX.

## CANIS TIBI DICTI.

*Legi in Prato Claudij Prati.*

DIc mihi quis iacet hic? dico Tibi. quid tibi? rides?
Ne celes, quæſo, dic mihi. Dico Tibi.

XXI.

## CAPARIONIS CANIS.

*Auctore Ioanne Goità.*

C*Aparion* ego ſum, quem viuū maximè amauit
*Liniades*, tumulum poſt dedit & titulum.
Plura cani ingenuæ de ſe ſibi non licet: at mi
Nunc audita meo accipe de domino.
Latrantem me forte phalanx *Germana* per vmbras
Vt vidit, de more affore herum timuit.
Vt fugit trepida, at ridens ait vna Dearum,
Quæ ante *Iouis* ſolium ferrea penſa trahunt,
Ne trepidate: ſemel ſatis eſt timuiſſe; neque illum
Quem fugitis, priùs huc fata venire ſinent,
Quam *Gallos* male naufragos demiſerit Orco,
Et quiſquis vexat barbarus Italiam.
Quiſquis ades, Domino hæc referas, precor hæc quoque pauca
Addito, amat te etiam trans *Styga Caparion*.

XXII.

## CAPELLÆ CVM DOMINA MORTVÆ.

*Auctore M. Antonio Flaminio.*

DElitiæ ruris cum pulcra periret *Hyella*,
Cum dominâ periit fida Capella ſuâ.
Non ipſam violenta lues, non aſpera febris,
Sed dominæ ſubitâ morte peremit Amor.

I nunc & *Pyladas*, & amoris nomine *Oreſtas*,
Et iacta fidos *Græcia Pirithoos*.

*Alterum eodem M. Antonio auctore.*

PAſtores teneras procul hinc arcete capellas,
Et ſacram nigris ſpargite humum folijs.
Neu veteris *Bacchi*, neu dulcis copia lactis,
Neu deſit numeris tibia flebilibus.
Hic bona *Hyella* iacet pecoris formoſa magiſtra,
Iunctáque cum dominâ fida Capella ſuâ.
Illam ſæuus amor nimiùm infelicis *Iolæ*
Perdidit; hanc caræ perdit amor dominæ.
Nam ſimul exhalantem animam conſpexit *Hyellam*,
Ipſius ante pedes concidit exanima.
Fortunata Capella, polo fulgere ſupremo
Dignior *Icaria* quàm Canis *Erigones*,
Si tua magna fides dominæ comes ire ſub vmbras,
Audet, & ante diem reddere dulcem animam.
At florens tua fama viget, ſempérque vigebit,
Exemplum ſanctæ maximum amicitiæ.
Dum ſiluâ gaudebit aper, dum monte capellæ,
Dum patulis vlmi decidet vmbra comis.

*De Capro eiuſdem Hyella ſic luſit idem politiſſimus Poëta gemino epigrammate.*

CAper Capella Cælitum beatior,
Quem tam venuſta tam puella candida,
Stipante maximo capellarum grege,
Agit per alta montium cacumina,
Cum ſol recludit ſplendido cælum die,
Albéntque læta rore cano gramina:
At cum furentis excitatus ictibus
Solis ſiticuloſus igneſcit calor,
Nec aura pulcris arborum inſtrepit comis,
Te ducit illa fontis ad lympham ſacri,
Qui proſilit virente murmurans ſpecu,

Domus choreis *Naiadum* gratiſſima,
Et Semicapri dulce lenimen *Dei*:
Cum feſſus à labore montiuago redit.
Hinc te reductis vallium cubilibus
Siſtens tenello laſſulum ſinu fouet,
Cingitque carum floreis ſertis caput,
Suadétque blandos ſenſim inire ſomnulos:
Nunc mollicellâ barbulam mulcens manu,
Nunc dulciora melle fundens carmina
Canente garrulo alitum ſimul choro.
Exin cadente Sole cum nox extulit
Micantibus ſtellis coronatum caput,
Et prata grillis perſonant argutulis,
Te bella *Hyella* cum tuis vxoribus
Domum reducit molliâ ad præſepia,
Vobíſque ſalſas frondium dapes parat.
Cui vita capro contigit iucundior?
Quem caprides *Pan* aut potens pecorum *Pales*
Benigniore vidit vmquam lumine
Caper Capellâ Cælitum beatior?
Caper capellis ire dux ad paſcua
Suetus, quid ægros vltimus trahis pedes?
Tu primus alta montium cacumina,
Cum Sol quadrigis aureis portat diem,
Primus repoſta vallium cubilia,
Quo fons loquace limpidus lymphâ vocat,
Primus petebas nocte cum primâ domum
Magnis capellas antecedens paſſibus,
Nunc mœſtus, æger, vltimus prodis domo.
Caper miſelle, tuam requiris candidam
*Hyellam*? & illâ abſente nec thyma dulcia,
Nec vmbra dulcis, nec tibi eſt dulcis liquor?
Caper miſelle, *Hyella* bella eſt mortua,
Luge, miſelle, bella Hyella eſt mortua,
Aliúmque valle paſcit *Elyſiâ* gregem,

Videtque puro lacte fontes currere,
Auráque longè dulciore veſcitur:
Neque amplius redire, ſi velit, huc queat,
Neque ſi queat, redire iam ampliûs velit.
At tu morere, dominámque viſe trans *Styga*,
Aut viue poſt hac omnium miſerrimus
Caper miſelle omnium miſerrime.

XXIII.

CATI QVI PICAM COMEDERAT.

*Pithœus lib IV. Vet Epigrammatum.*

MOrdaces morſu ſolitus conſumere mures,
Inuiſum & domibus perdere dente genus.
Catus in obſcuro cepit pro ſorice picam
Multiloquúmque vorax ſorbuit ore caput.
Pœna tamen præſens prædonem plectit edacem
Nam claudunt rabidam cornea labra gulam,
Faucibus obſeſſis vitalis ſemita ceſſit
Et ſatur eſcali vulnere captor obit.
Non habet exemplum volucris vindicta perenne?
Hoſtem pica ſuum mortua diſcruciat.

XXIV.

CICADÆ ET LOCVSTÆ.

*Ex Leonida libro III Florente interprete.*

OCcidit agreſtis nuper Philomela *Locuſta*,
Occidit & quernâ ſede *Cicada* cubans.
Fletum vtriq; *Myro* dedit, & commune ſepulcrum,
Quando illi *Orcus* atrox ludicra bina rapit.

XXV.

DELPHINIS.

*Incerto auctore Græco non inelegantis, Florente Chriſtiano interprete*

ME Delphina, noui exemplũ miſerabile caſus,
Admouit terræ triſtis hyems pelagi.
Sed miſerata tamen terra eſt pieta'que videntem

Actutùm motâ me tumulauit humo.
Nulla fides pelago: genitrix me perdidit vnda,
Parcere quæ generi neſcit acerba ſuo.

XXVI.

ELEPHANTIS.

*Apud Pithœum Epigr. Veterum libro IV.*

MOnſtrorũ princeps elephas proboſcidis armis
Horret mole nigrâ, dente micat niueo.
Sed vario fugienda malo cum bellua gliſcat,
Eſt tamen ex certis mors pretioſa feræ:
Nam quæ conſpicimus montani roboris oſſa
Humanis veniunt vſibus apta ſatis,
Conſulibus ſceptrum, menſis decus, arma tabliſtris,
Diſcolor & tabulæ calculus inde datur.
Hæc eſt humanæ ſemper mutatio mortis,
Fit moriens ludus qui fuit ante pauor.

XXVII.

EQVI AD IOANNEM BENTIVOLVM.

*A Philippo Beroaldo.*

QVi pedibus volucres ſuperabat, curſibus auras,
Inter cornipedes gloria barbaricos.
Confectus ſenio iacet hic *Cinetonius* æuo,
Qui domino palmam ſæpe parauit equus.

XXVIII.

EQVI STEPHANI POLONIÆ REGIS.

*Qui eodem die quo Regis frater dominus Tranſyluaniæ extinctus eſt, exanimus concidit.*

REgis equus Stephani forma greſſúque ſuperbus
Et curſu velox, prope Vilnæ conditur arcem,
Qui moriens Regis fratrem præſagijt eſſe
Sublatum è viuis: docuit quod fama ſecuta,
Huic ſtatua erecta eſt monumentum teſtis equini.

XXIX.

## FORMICÆ ELETRO INCLVSÆ.

*Martialis libro VI.*

DVm Phaëthonteâ formica vagatur in vmbrâ,
Implicuit tenuem ſuccina gutta feram,
Sic modò quæ fuerat vitâ contempta manente,
Funeribus facta eſt nunc pretioſa ſuis.

XXX.

## GALLI GALLINACEI.

*A Ioanne Antonio Flaminio Marci patre.*

IMmatura mihi *gallum* mors abſtulit, heu, heu!
Pallida per *Stygias*, iam volat vmbra domos.
Quàm bene doctus erat cantu prædicere lucem,
Et matutinum præcinuiſſe diem!
*Lucifer* in cælo *Phœbi* dat ſigna propinqui:
Hic mihi, ſed terris *Lucifer* alter erat.

XXXI.

## GRÆCIÆ IN RVINAM ACTÆ.

*Pithœus refert pag. 5.*

GRæcia bellorum longâ ſuccuſſa ruinâ
Concidit, immodicè viribus vſa ſuis.
Fama manet: fortuna perit: cinis ipſe iacentis
Viſitur, & tumulo eſt nunc quoque ſacra ſuo.
Exigua ingentis retinet veſtigia famæ:
Et magnum infelix nil, niſi nomen, habet.

*Alterum.*

Quiſquis *Cecropias* hoſpes cognoſcis *Athenas*,
Quæ veteris famæ vix tibi ſigna dabunt.
Hâſne *Dei*, dices cælo petiêre relicto?
Regia partitis hæc fuit vna *Deis*?
Idem *Agamemnonias*, dices, quum videris arces:
Heu victrix victâ vaſtior vrbe iaces!
Hæ ſunt, quas merito quondam eſt mirata vetuſtas.
Magnarum rerum magna ſepulcra vides.

Digitized by Google

## XXXII.

## HINNVLI.

*Franciſco Antonio Riuerio Auctore.*

HInnule mi, mihi te rapuit mellite, ſeuero
*Diti* rapta olim pallida *Perſephone.*
Illà quidem mihi te nimirum inuidit habenti,
Et manibus tenerum ſuſtulit ipſa ſuis.
Huic tu delicias facito: Sat nos tua fata
Fleuimus, & longùm diximus: *Hinne vale.*

## XXXIII.

## HYLACIS CANIS.

*Auctore Andreâ Naugerio.*

ANte canes omnes paſtori carus *Amyntæ*
Nuper ab *Illyrico* littore miſſus *Hylax*,
Dum ſolitas agit excubias & ſepta tuetur,
Nec vigilant ſocij cetera turba canes;
Quà rapidus ſeſe media inter ſaxa Timauus
Mergit; & inde iterum proſilit amne nouo:
Ille quidem ſæuâ vitulos tutatus ab vrsâ eſt:
Ipſe ſed ingenti vulnere cæſus, obit.
Conſtituit viridi tumulum de ceſpite *Amyntas*:
Hæc voluit raram præmia habere fidem.
Mœſta gemunt armenta; mali furéſque, lupique
Extincto hoc ſibi iam cuncta licere putant.

## XXXIV

## LOCVSTÆ.

*Leonida auct. Flor. Chriſtiano interprete.*

EXiguus quamuis, ipſóque in lumine nobis
Pro tumuli iniectus pendet honore lapis.
At meritò tamen eſt, Hoſpes, laudanda *Philænis*:
Nam quæ ſpinoſis ante *locuſta* locis
Vixi, cantantem geminis dilexit ab annis:
Nunc, poſtquam ſeris ſum viduata ſonis,

Impoſuit tumulo, nec ſpreuit luce carentem,
Eductæque diu parua ſepulcra dedit.

XXXV.

LVDIÆ CANIS.

*M. Val Martialis libro XI.*

AMphitheatrales inter nutrita magiſtros
Venatrix ſiluis aſpera, blanda domi,
*Lydia* dicebar domino fidiſſima *Dextro*,
Qui non *Erigones* mallet habere canem:
Nec qui Dictæâ *Cephalum* de gente ſecutus,
Luciferæ pariter venit ad aſtra Deæ.
Non me longa dies, nec inutilis abſtulit ætas,
Qualia *Dulichio* fata fuere cani:
Fulmineo ſpumantis apri ſum dente perempta,
Quantus erat *Calydon*, aut *Erymanthe* tuus.
Nec queror, infernas quamuis citò rapta ſub vmbras
Non potui fato nobiliore mori.

XXXVI.

MARRIOLENAM CATELLAM SVAM

*Epigrammate longiore planxit Stephanus Paſchaſius. Nos omiſimus vt ſit ſpicilegis ſua meſſis,*

XXXVII.

MVLI ANONYMI.

*Florentiæ in Palatio Pythio.*

LEcticam, lapides, & marmora, ligna, colũnas,
Vexit, conduxit, traxit, & iſta tulit.

XXXVIII.

MVSCÆ VINO IMMERSÆ.

GVſtatrix iacet hîc lautorum Muſca ciborum,
Et conuiua frequens Principis in tabulâ.
Non volucris roſtro, ſtimulis nec araneæ aduncis,
*Cretica* ſed guſtans pocula, pota cadit.

Digitized by Google

Nil opus eſt luctu. quis enim tam nobile fatum
Lugeat? Eſt auro condita, merſa mero.

## XXXIX.

## NOBILIS EQVI SIC DICTI.

*In Equili Archiducum Alberti & Iſabellæ Bruxellis.*

SIſte gradum, Spectator ego de nomine dicor,
Nobilis: at præſto nobilitate rei.
*Archiduci Alberto* ſubſtraui tergora quondam,
Quando prope *Oſtendam* Martia Erynnys erat.
Illúmque eripui pugnantem hoſtilibus armis,
Cum vel ei, mihi vel mors obeunda fuit.
Me magis ardebat miles, quia virginis inſtar,
Cernebat niueâ creſcere fronte iubam,
Hinc, vt me raperet, crebrò ſua ſpicula & enſes
In caput ignoti ſtrinxerat Archiducis.
Euaſi, eduxíque virum, méque ipſe reduxit
Incolumem, noſtræ non erat hora necis,
Aſt anno vertente die quo euaſimus ambo,
*Nobilis* interij. Cernite, talis eram.

## XL.

## PASSERIS.

*Interitum Elegiâ, Elegiam hôc fine proſecutus eſt Paſſeratius.*

FLoribus ornatus tumulus mox ſurget inanis,
Cujus erunt breuibus marmora ſculpta notis:
*Membra ſepulta iacent crudeli felis in aluo:*
*Peruolat Elyſium Paſſeris vmbra nemus.*

Gallicam interpretationem habes apud eundem elegia XI. libri I. Sunt tamen qui Ioanni Aurato elegiam illam de malo Paſſeris interitu vindicare moliantur.

Digitized by Google

## XLI.

## CATVLLIANVM HVNC PASSEREM,

*Verſibus Elegiacis reddidit Ioſ. Scaliger.*

LVgete ô quantum eſt Venerum atque Cupidinū amantum,
Atque venuſtorū quidquid vbique hominum eſt.
Lugete, ille meæ luſúſque & cura puellæ,
Ah dolor, ille meæ delicium dominæ.
Paſſer mortuus eſt, quem ſeriò amauerat illa,
Pluſquam ſe, pluſquam vitam, oculóſque ſuos:
Namque erat & mellitus, & ipſam cognitā habebat,
Tam bene quàm matrem noſtra puella, ſuam.
Et circumſiliens, vti ne à gremio illius vnquam,
Cederet, ad ſolam pipilitabat heram.
At nunc it per iter nigrum miſer. ah miſer illic,
Vnde vmquam reducem nemo pedem retulit.
Ah vobis malè ſit, malè, qui omnia bella voratis,
O orci vobis ah malè ſit tenebrę.
Tam bellum nobis rapuiſtis paſſerem iniquè.
O malè factum! ô mi paſſer, atrox facinus!
Ecce tuâ cauſâ dominæ tumefacta puellæ,
Turgeſcunt ſalſis lumina lacrymulis.

## XLII.

## PERDICIS A FELLE NECATÆ.

*Interprete ex Græco non auctore Daniele Heinſio Gandauenſi, non Hollando, licet in Hollandiâ à puero commoranti.*

NOn te iam miſerā, ſcopulorum erratica perdix,
Viminibus lentis texta tenet cauea.
Nec mihi *Matuta* roſeum venientis ad ortum,
Alarum excuties nobile plumicium.
Nam tibi iam felis caput abſtulit, omniáque vnâ,
Abſtulit & ſæuæ vix ſatis illud erit:

Quare ne tibi terra leuis, ſed ſit grauis opto,
Ne mox relliquias eruat ille tuas.

## XLIII.
## PERDICIS EIVSDEM.
*Agathia Scholaſtico & Hiſtorico auct. Anth. III. Tit. 24. Interprete Florente Chriſtiano.*

NOn vltra, o *perdix* ſcopuloſis exul ab agris,
Te claudit tenui vimine facta domus.
*Matuta* nec purpureos ſplendentis ad ortus,
Fomenta alarum ſumma repente quatis.
Dira tuum felis caput abſcidit, abſtulit eheu
Multa alia! & guttur non ſatiauit atrox.
Non leuis oſſa tegat puluis tua, ſed grauis, vt ne
Poſſit, quod reliquum eſt, eruere illa tibi.

*Eiuſdem ab eodem, interprete eodem.*

Nempe meâ raptâ *perdice*, domeſtica feles
Nobiſcum ſperat viuere poſſe domi.
At non, chara mihi *perdix* inhonora iacebis
Mortua; cædam hoſtem te ſuper ipſe tuum.
Et niſi, quod tumulo dedit olim *Pyrrhus Achillis*,
Dem, ſemper turbas debilis vmbra dabit.

## XLIV.
## PHILOMELÆ.
*Auct. Hier. Amaltheo.*

LEnierat Ditis querulis concentibus aures,
Garrula trans Lethen dum veheretur auis:
Annuerâtque illi raptus dulcedine vocis,
Æacus, illicitam poſſe redire vi m.
Et iam vitales iterum rediiſſet in or..s,
Remigium alarum ni lapis opprimeret.

*Alterum Ioannis Bapt. Amalthei.*

Te ſiluis Philomela ſuis defleuit ademptum,
Quam tumulo & vernâ donat Hyella roſâ.

At

Digitized by Google

At tu ſi qua vagas retines concentibus vmbras,
Mulcet vbi infernas florida myrtus aues.
Nunc dominæ memor Elyſias Heroïdas inter
Dic recinens veſtros vincit Hyella ſonos.

*Eiuſdem Tumulus Auiculæ.*

Picta ſinus, auróque leues interlita pennas
Fingebas vario gutture carmen auis.
Et dulci clamore diem, roſeámque vocabas
*Auroram* croceo conjugis è gremio.
Quam nunc extremo tumuli decorauit honore,
Et ſparſit violâ, ſparſit Acon lacrymis.
Forſan adhuc humili cantus meditaris ab vrnâ,
Sed reprimit cantus inuida terra tuos.

*Philomelæ Ruſſi Arrh. Coſentini.*

Non mihi, non *Ruſſo* fuerint mea fata dolenda,
Si mihi, ſi *Ruſſo* mors mea, Fama fuit.
Nam mihi pro meritis decus immortale paratum eſt,
Pro meritis *Ruſſi* laus ſua, párque decus.
Sic mea me tumulo virtus decorauit: adeptus
Grati animi nomen *Ruſſus* ab hoc tumulo.
Viuo ego nũc *Muſis*, quibus eſt comes additus ille,
Et Vatum in linguis laus vtriuſque viget.
Donec erunt *Muſæ*, Philomelæ vita manebit:
Donec erunt Vatum carmina, *Ruſſus erit*.

## X L V.

## PHOSPHORI EQVI IVSSV AVGVSTI.

*Apud Auſonium in Epitaphijs.*

PHoſphore clamoſi ſpatioſa per æquora Circi
Septenas ſolitus victor obire vias;
Improperanter agens primos à carcere curſus,
Fortis prægreſſis vt potereris equis.
Promptum & veloces erat anticipare quadrigas,
Victores etiam vincere laus potior.
Hunc titulum vani ſolatia ſume ſepulcri.

Et gradere Eliſios præpes ad alipedes.
Pegaſus hinc dexter currat tibi, læuus Arion:
Funis & ad quartum det tibi Caſtor equum.

## XLVI.

## PICAM SVAM MORTVAM

*ſic defleuit Italus quidam ſat inſulſe.*

QVænam aut Stentoris vox, aut Q. Catuli facundia verbis vllis dolorem, quem Picæ meæ mihi affert interitus, vmquam poſſit exprimere. Equidem perpetuo lacrymaturus poſthac videor, quamquam veſtrum pauci fortaſſe miſericordiam mihi tribuunt. Sed quis vmquam aut loquaciorem noſtra aut ſuauiorem vidit? Nihil enim non perdiſcebat, tantúmque fabulabatur, vt ſeruorum nequitias interdum proderet. quo factum eſt, vt eam illi tandem loquacitatis pertæſi fame necârint. Quod cùm comperiſſem, linguâ quidem illos verberaui, ſed brachijs, quoniam infirma ſunt, parcere ſum coactus. Ceterum, quid ego, non tum facere, tum pati, hanc vt auem mihi compararem, ſuſtinui? Certè non ſemel & Thulen & Phaſim, ſolâ eius famâ percelebri commotus luſtraui. Quid quod, vt à priore illam domino redimerem, tùm Apellis Venerem, tum Ialyſum Protogenis, tum Cleopatræ vniones, tum alia illi pretioſiſſima dona obtuli. Tamdem quidem eam non ſine maximo diſcrimine ſum conſequutus. Atque ea, cum naſceretur, non pauca cælitus extitere præſagia, quemadmodum ab his, qui tum interfuere, cognôui. Nam & arcus triumphales, coloſſi, pyramides, trophæa, coronæque multis in aëris locis apparuerunt, & cometa ſplendidiſſimus Orientem verſus fuit conſpicuus; & volucres omnes concentum edidere ſuauiſſi-

Digitized by Google

mum. O beata, quæ picam portuliſti meam regio! Major ſiquidem tibi de hoc animali gloriandi ſuppetit occaſio, quam vel Smyrnæ de Homero, vel de Pindaro Thebis, vel Mantuæ de Virgilio, vel de Catullo Veronæ. Vnde porrò tantam poſthac delectationem capiam? vnde tam lethalis vulneris remedium ſumam? Nemo me poſthac hilarem, etiamſi vel cerui ætatem vel corui impleuero, conſpiciet. Sed plura nunc hac de re verba non faciam, poſteaquàm grauiſſimus mihi dolor & ingenium perturbat, & memoriam corrumpit & ſermonis adimit vſum, neque me calamitates meas ex animi mei ſententiâ verbis complecti permittit. Dixi.

## XLVII.

## PVLICIS EPITAPHIVM INGENIOSISSIMVM.

*Auctor perhibetur P. Franciſcus Garaſſus.*

HEus tu, viator implacabilis! Quid ita velocipedatim properulas? Hoc te pulcrum ad ſe ſepulcrum vocat. Adeſdum amicellule, ades: & ſi quis te ſenſus pungit, guttulatim illacruma. Qui te enim viuens amicabili roſtellulo pupugit nigella ſanguiſugula; qui te brochis & teneris admomordit denticulis; qui te dulciculis pedum coliculis ſtrinxit; qui fœtificabili aluo poëtas poëtriaſque mille generauit; ſub hoc puluiſculo extinctus infelix iacet. O atrox digitule! ô non teneri, vt Græcia dixit, vnguiculi! Qui te oblectabat viuens hoſpes nigellulus, curuiflexi ceruiculus, multipedicomœdulus, ſublingio venuſtulus, amaridulciculus ciuis, qui tibi delicioſus fuit, hiſtrionatim cucurriens, popinatim liguriens, arcuatim volaturiens, ſuſpirulatim feriens, obſti-



Digitized by Google

nulatim hauriens, ceruicatim fugiens, is à te cruentule victimatim occiſus eſt, & corneus digitellorum vnguis purpurella animula muricatim infectus, oſtreatim tinctus, ſanguinolatim aſperſus es? Feciſti, miſelle, truculentum hoc flagitiolum, & viuis? Viden vt palpitulatim riget, viſceratim impactus. Is tibi coæuus dum per vitam licuit corporicuſtos ac veſtiſeruulus fuit: iuit, volitauit, momordit ſæpiuſcule, dormienti aſſedit, inſomnis excubias egit, ſaltuatim ijt, punctulatim ferijt, inimicatim exſpirans Vale, ô mollicula ſanguiſugula. Vale, agilicorpuſcule hiſtrionule. Vale ruptilatercule pantomimule. Vale cupedioſule cruoribibule. Vt tu leuis extitiſti, dum viueres, ſit tibi terra leuis, & officioſus Charon. Nos, tibi heredes tui, & exuuialibus corpuſculi tui ſpolijs monumentum hoc ære publico ſtruimus, domitum inimicos tuos canes atque homines conjuratim inſilientes tibi vindicatum imus Poſitum Iulio menſe, Auſtro flante, hora perdita, momento innominabili, aſtantibus ijs, qui præſentes fuere, & Poëtis omnibus atratis cucurbitulatim illacrumantibus.

*Quod verò ex eius aluo Poëtas Poëtriaſque mille enatos ait, ad Stephanum Paſchaſium eiuſque Socienos alludit, qui Pictauij Rocheanum pulicem certatim celebrarunt.*

## XLVIII.

## ROMÆ VETERIS IN RVDERIBVS.

*Sunt qui Ioachimo Bellaio tribuant, alij incerto auctore prodijſſe malunt.*

MOntibus è ſeptem totum diffuſa per orbem,
Sideribus quondam proxima *Roma* fui.
Sub pedibus terras vtroque à littore preſſi:

Atlantem tenuit dextra, ſiniſtra Scytham.
Iuppiter hos etiam diſiecit fulmine montes,
Et tumulos iuſſit corporis eſſe mei.
Incubuit capiti rupes Tarpeïa noſtro;
Preſſa Quirinali pectora monte iacent.
Crura Palatinus, geminos hinc inde lacertos
Collis Auentinus Vimineúſque tenent.
Exquiliæ hinc ſurgunt, & ſurgit Cælius illinc,
Hæc quoque ſunt pedibus facta ſepulcra meis.
Sic quæ viua ſibi ſeptem circumdedit arces,
Mortua nunc ſeptem contegitur tumulis.

*Aliud omnium in ore vagatum Iano Vitale auct.*

Qui *Romam* in mediâ quæris nouus aduena *Româ*,
Et *Roma* in *Roma* nil reperis mediâ,
Aſpice murorum moles, præruptáque ſaxa,
Obrutaque horrenti vaſto theatra ſitu:
Hæc ſunt *Roma*, viden velut ipſa cadauera tantæ
Vrbis adhuc ſpirent imperioſa minas?
Vicit vt hæc mundum, viſa eſt ſe vincere: vicit,
A ſe non victum ne quid in orbe foret.
Nunc victa in *Româ* victrix *Roma* illa ſepulta eſt,
Atque eadem victrix victáque *Roma* fuit.
*Albula Romani* reſtat nunc nominis index,
Quæque etiam rapidis in mare fertur aquis.
Diſce hinc, quid poſſit Fortuna; immota labaſcunt,
Et quæ perpetuò ſunt agitata, manent.

*Apud Pithoeum pag. 84. hoc habes.*

Vix ſcio quæ fueram, vix *Roma Roma* recordor,
Quæ populo, regnis, mœnibus alta fui.
Ceſſerunt arces, cecidere palatia *Diuûm*,
Iam ſeruit populus, degenerauit eques, &c.

*Aliud ibidem.*

*Roma* Vetus veteres dum te texere *Quirites*,
Nec bonus immunis, nec malus vllus erat.



Digitized by Google

Defunctis patribus ſucceſſit praua iuuentus,
Quorum conſilijs præcipitata ruis.

*Aliud ibidem.*

Vrbs cecidit, de quâ ſi dignum dicere quicquam,
Moliar, hoc potero dicere, *Roma* fuit.
Non tamen annorum ſeries non flamma, nec enſis,
Æternum potuêre hoc abolere decus.
Cura hominũm tantam potuit componere *Romam*,
Quantam non potuit ſoluere cura *Deûm*.
Confer opes, marmórque nouum, ſuperûmque fauorem,
Artificum vigilent in noua facta manus:
Non tamen aut fieri par ſtanti machina muro,
Aut inſtaurari ſola ruina poteſt.
Tantũ reſtat adhuc, tantùm ruit, vt neque ſtans pars,
Æquari poſſit, diruta nec refici.
Hic ſuperûm formas ſuperi mirantur, & ipſi,
Se cupiunt fictis vultibus eſſe pares

*Aliud in eamdem euerſam Romam.*
*Claudij Bineti Bellouaci.*

Salue ô *Roma* vetus, veteríſque ô *Roma* ſepulcrum,
Ingens cui moles ſpirat adhuc cineris.
Dic age, quæ ſtandi fuit olim cauſa? Quiritum
Vis prudens veterum, conſiliúmque potens.
Nulla vllis dum facta manent immunia. At vnde,
Imperij fluxit tanta ruina tui?
Heu perij antiquis proprijſque exuta columnis,
Adſuetiſque meum tempore ferre iugum
Scilicet hoc potuit, te langueſcente, vetuſtas,
Vt pereas rerúmque experiare vices.
Falleris, ipſa meas vis vires fregit, iniquo
Conſilio, iuuenes dum noua fulcra darent.
O miranda tui imperij fors, nempe adoleſcens,
Diceris inuictos quæ peperiſſe ſenes.

Digitized by Google

At ſenior, partu iuuenum, ceu vipera cernis
  Te victam, propriâ viſcera rupta manu.

*Aliud.*

*Lazaro Bonamico tribuitur.*

Vos operum antiquæ moles colléſque ſuperbi,
  Quis modò nunc *Roma* nomen inane manet,
Vóſque triumphales arcus, cælóque coloſſi
  Æquati, Parijs marmora cæſa iugis
Edita Pyramidum faſtigia, templa Deorum,
  Digna vel æthereis amphitheatra locis
Vos æui tamdem attriuit longinqua vetuſtas,
  Vos longâ tamdem fata tulêre die.
At *Roma Æneadum* magnũ & memorabile nomen,
  Tempus edax rerum tollere non potuit.
Nec poterit, clari donec monimenta vigebunt
  Ingenij quæ non vlla ſenecta rapit.
Cetera labuntur tanto fugientia curſu,
  *Calliope* æternum viuere ſola poteſt.

*Aliud.*

*Tryphonis Benij ad Molſam.*

Quas pedibus paſſim premimus nũc *Molſa* ruinas,
  *Romulidûm* quondam tecta fuere *Patrum*.
Quæque *Deûm* eximios tunc teſtabantur honores
  Aurea templa, boum paſcua facta vides.
Ad ſua cuncta hominum redeunt primordia: veſtris,
  Temporibus *Roma* eſt, quod fuit ante *Remum*.

*Aliud*

*Iani Antonij Baiffij.*

Tu cui per ipſam Roma quæritur Romam:
Et cui per ipſam Roma nulla iam Romam
Apparet, Hoſpes, cerne ſaxa murorum
Exeſa vaſto culmine, obrutas moles,
Theatra, Circos, ambulationéſque,
Thermaſque, & arcus penſiles triumphales:



Digitized by Google

Bellíque iure temporiſque deſtructa
Hæc omnia: Hæc ſunt Roma: in his iacet Roma.
Vidéſne vt immane Vrbis hoc ruinoſum
Adhuc Cadauer Imperî minas ſpiret?
Deuicit orbem, ſeque poſtea vicit,
Ne quicquam in orbe non ſibi foret victum.
Victâmque Romam nunc ſe habet ſuum victæ
Tandem ſepulcrum Roma quæ ſtetit Victrix.

*Auſonij eò referas verſus*
*Epigrammate XXXIV.*

Necquiſquã *Marcus*, ſeu *Marcius*, anne *Metellus*,
Hic iaceat, certis nouerit inſidijs.
Truncatis conuulſa iacent elementa figuris,
Omnia confuſis interiere notis.
Miremur perijſſe homines? monumenta fatiſcunt,
Mors etiam ſaxis, nominibú que venit.

*De Tabulis æreis Magiſtratuum*
*in Capitolio ſeruatis.*

Marmora præclaros teſtantia fronte *Triumphos*,
Atque *Magiſtratus* inclyta *Roma* tuos.
In medio manſere *Foro* cùm *Roma* manebas,
Póſtque *Deos* orbi iura ſecunda dabas.
Aſt vbi te indignis fregit *Fortuna* ruinis,
Obruerat titulos alta ruina tuos.
Támque diu in tenebris tantis iacuiſſe videntur,
His veluti fato debita temporibus.
Quæ modò *Alexander*, patriâ te dignus, Auóque
*Paulo*, inuenta tibi marmora reſtituit.
Tu *Capitolina* meliori in ſede reponis,
Et legeris *Magni* munere *Farneſij*.

*Extant verſus hi etiamnum in Capitolio, ſcripti olim à Michaële Syluio Portalegrenſi, Luſitano, qui poſt factus Cardinalis obijt Romæ 5. Iunij 1556.*

*Aliud.*

*Andreâ Fruſio Soc. IESV. auct.*

Languentem greſſum pauliſper ſiſte, Viator,
Et lege marmoreis carmina ſculpta notis.
*Roma* fui quondam toto celeberrima mundo
*Marte*, ſitu, ingenio, nobilitate potens:
Quippe triumphalis frænaui legibus Orbem,
Paruit imperio terra fretúmque meo.
Impoſitæ ſeptem micuerunt collibus Arces,
Totque Arcus, Thermæ, Templa, Theatra, Viæ;
Prorſus eram felix, ſi non peritura fuiſſem
Et niſi tam multas ſors rapuiſſet opes.
Roma ego iam non ſum, perij, propríjſque ruinis
Obruta ſum, gremio condor & ipſa meo.
Relliquias quaſcumque vides, quæ diruta cernis
Mœnia, ſplendoris ſunt monumenta mei.
Fruſtra igitur *Romam Romæ* tu quæris: abire
Iam potes hinc, *Roma Roma* ſepulta iacet.
Interea temerè perituras ne ſtrue moles,
Cautior exemplo cùm potes eſſe meo.
Carpe viam, volui ſcires hæc pauca, memento
Vt meminiſſe mei ſic meminiſſe tui.

*De Roma Vetere*

*Franciſco Bencio Soc. IESV auct.*

*Roma Vetus* totum manibus quæ amplecteris orbē,
Seu dare vis terris, ſeu dare iura mari,
Vna triumphali diademate cingeris: vna
Omnia *Tarpeij* cernis ab arce iugi
Te caput ad cælum tollentem ſuſpicit *Atlas*,
Te ſibi ſubſtitui pondere feſſus auet.
Salue magna Parens virtutum, magna virorum,
Qui titulos armis, qui peperere toga.
Nil tantis certet tibi laudibus: omnia vincis
O decus, ô hominum gloria, *Roma Vetus*.

Digitized by Google

*De Româ Noua.*

*Eodem Franc. Bencio auctore.*

*Roma Noua*, immenſo lucem quæ diuidis Orbi,
Seu tua das terris, ſeu tua ſacra mari.
Tota ſalutiferâ fulges Cruce: tota triumphas,
Et *Vaticanâ* maxima in arce ſedes.
Te dominam rerum, cæloque, Ereboque potentem
Senſit, & è *Stygÿs* horruit Orcus aquis.
Salue Dia parens, ſalue domus alma piorum,
Morte quibus domitâ pandis ad aſtra viam.
O Sola, ô ſummo felix à Principe Princeps,
O quæ mortales vnâ beare potes!

*In Vtramque hoc Tetraſtichon*
*Georgius Brugenſis ſcripſit.*

Qui miſeranda videt *Veteris* veſtigia *Romæ*,
Ille poteſt merito dicere, *Roma* fuit.
At qui celſa *Nouæ* ſpectat palatia *Romæ*,
Hic meritò poterit dicere, *Roma* viget.

APPENDIX.

*Claudam breue hoc de vtraque Roma Vetere ſimul ac Noua ſyntagmation verſibus non inelegantibus quos ante hos quingentos annos ſcripſit Philippus ab Elemoſynis Bonæ ſpei Abbas Ordinis Præmonſtratenſis.*

Verſus de Deſtructione Romæ.

PAr tibi Roma nihil, cum ſis prope tota ruina
Quod magni fuerit integra, fracta docet.
Longa tuos faſtus ætas deſtruxit, & arces,
Cæſaris, & ſuperûm templa palude iacent.
Ille labor, labor ille ruit, quem dirus Araxes,
Et ſtantem tremuit, & cecidiſſe dolet.
Quam gladij heroum, quam prouida iura Senatus,
Quam ſuperi rerum conſtituere caput.

Quam magis optauit cum crimine ſolus habere
 Cæſar, quam ſocius & pius eſſe ſocer.
Qui creſcens ſtudijs tribus, hoſtes, crimen, amicos,
 Vi domuit, ſecuit legibus, emit ope.
In quam, dum fieret, vigilauit cura Deorum;
 Iuuit opus pietas hoſpitis, vnda locum.
Materiem, fabros, expenſas axis vterque
 Miſit, ſe muris obtulit ipſe locus.
Expendere duces theſauros, fata fauorem,
 Artifices ſtudium, totus & orbis opes.
Vrbs cecidit, de quâ ſi quicquam dicere dignum
 Moliar, hic potero dicere; Roma fuit.
Non tamen armorum ſeries, non flāma, nec hoſtes,
 Ad plenum potuit hoc abolere decus.
Cura hominum valuit tantam componere Romam,
 Quantam non potuit ſoluere cura Deûm.
Confer opes, marmorque nouum, ſuperúmque fauorem,
 Artifices vigilent in noua facta manus.
Non tamen aut ſtanti fieri par machina muro,
 Aut reſtaurari ſola ruina poteſt.
Hic Superûm formas Superi mirantur & ipſi,
 Et cupiunt fictis vultibus eſſe pares.
Non potuit natura Deos hoc ore beare,
 Quo mirandâ Deûm ſigna beauit homo.
Vultus adeſt his numinibus, potiuſque coluntur,
 Artifices ſtudio, quam deitate ſua.
Vrbs felix; ſi vel diuis vrbs illa careret,
 Vel diuis eſſet turpe carere fide.

*Reſponſio vrbis Romæ.*

CVm ſimulacra mihi, cū numina vana placerēt,
 Militiâ, populo, mœnibus alta fui.
At ſimul effigies araſque ſuperſtitioſas
 Deijciens, vni ſum famulata Deo.

Digitized by Google

Ceſſerunt arces, ceſſere palatia Regum,
Seruiuit populus, degenerauit eques.
Vix ſcio quæ fuerim, vix Romæ Roma recordor,
Vix ſinit occaſus vel meminiſſe mei.
Gratior hæc iactura mihi ſucceſſibus illis,
Maior ſum pauper diuite, ſtante iacens.
Plus aquilis vexilla Crucis, plus Cæſare Petrus,
Plus ducibus cunctis vulgus inerme dedit.
Stans domui terras, infernum diruta pulſo.
Corpora ſtans, animas fracta iacenſque rego.
Tunc miſeræ plebi, modo principibus tenebrarum
Impero, tunc vrbes, nunc mea regna polus.
Quo ne Cæſaribus videar debere vel armis;
Et rerum ſpecies méque meóſque trahat:.
Armorum vis illa perit, ruit alta Senatûs
Gloria, procumbunt templa, theatra iacent:
Roſtra vacant, edicta ſilent, ſua præmia deſunt
Emeritis, populo iura, colonus agris.
Durus eques, iudex rigidus, plebs libera quondam,
Quærit, amat, patitur otia, lucra, iugum.
Iſta iacent, ne forte meus ſpem ponat in illis,
Ciuis, & euacuet ſpemque, bonumque Crucis.
Crux ædes alias, alios promittit honores,
Militibus tribuens regna ſuperna ſuis.
Sub cruce Rex, ſeruus, ſed liber lege tenetur,
Sed diadema gerens iuſſa tremit, ſed amat.
Fundit auarus opes ſed abundat, fænerat idem,
Sed bene cuſtodit, ſed ſuper aſtra locat.
Quis gladio Cæſar, quis ſollicitudine Conſul?
Quis Rhetor linguâ; Quæ mea caſtra manu.
Tanta dedere mihi? Studijs & legibus horum
Obtinui terras: Crux dedit vna polum.

Digitized by Google

# XLIX.

## SAPHYRI CATELLI LIPSIANI.

Hecatæ sacr.

SAphyrus, domo Batauus, delicium Lipſi, decus canum, ingenio, lepôre, formâ H. S. E. triſti fato ereptus, & feruentibus aquis merſus, cùm vixiſſet luſtra plus tria O heri dolor! tuum, lector, adde, quiſquis Lipſium amas, imò quiſquis elegantiam aut lepôrem amas, quorum iſte theſaurus erat. Abi, flores ſparge, ſi non lacrymas. Plangebat & pangebat I. Lipſius olim, heu, dominus V. Cal. Septembr. MDCI.

*Idem Lipſius hunc & alios duos catellos coloribus & epigrammatis celebres orbi dedit. Vide Franc. Suuertium pag. 255. Inſcriptionum & Monumentorum Sepulcralium Brabantiæ. Necnon pag 481. Selectarum Deliciarum Chriſtiani Orbis.*

## IN ÆDIBVS CL. IVSTI LIPSII.

Vides depictos tres canes cum hâc inſcriptione.

SAphyrus catellus, gente *Batauus*, corpore albet, capite auribúſque purpurat, diſcrimine tamen albo à ſummo eo, inter aures, cuneatim ad os deſcendente Senecio nunc eſt & tredecennis: cum in flore pulcherrimus & lepidiſſimus catulorum.

Gemma dedit nomen, ſum verè gemma catellûm,
Quotquot terra habuit *Belgica*, habebit, habet.
Tale decus vultus, talis venus, adde lepôres
Ingenij, humanum qui ſuperant genium.
Et ſanè eſt aliquid mî hominis. vis argumentum?
Vina bibo, & vino nata me habet podagra.

Digitized by Google

*Mopſulus* catulus domo *Anterpiâ* donum à clariſſimo viro *Arnoldo Borcoutio* amico veteri & I. C. Is corpore albet, capite auribus atque altero oculo ſubflauis. roſtrum è rubro albicat breue, & obtuſum, & nare prorſus repandâ. Craſſulus, argutus, mordax eſt, ætate bimulus.

*Mopſulus* aſt ego ſum domini conuiua. quid vltra?
En etiam lectum participo domini
Eſt ne aliud? domini dominus, ſi dicere fas eſt;
Vſque adeo formæ huic iungitur improbitas.
Sed formæ, quæ rara cluet, ſi examine iuſto
Pendor, quod nec ames eſt mihi, plus quod ames.

*Mopſus* canis, gente *Scotus*, colore craſſo ſpadiceo ſed circa oras aurium, & in ipſo ore dilutiùs flauo. ſuper oculum vtrumque orbiculi æquales duo, itidem flaui. Idem color in pedibus anterioribus. Pectus latum & honeſtum pantherinâ prorſus ſpecie album & maculis ſpadiceis ſparſum, Tales ipſi imi pedes; annum agit tertium, ad inuidiam pulcher.

*Mopſus* ego formâ qui vinco ſecla canina;
Quod nolim in magno corpore nil habeo.
Quódque velim dominum, dominam, ancillámque volentes
Conciliet probitas ſimplicitáſque mihi.
Ille canis redeat, meruit qui cælica templa:
Si certet, terra hunc, me ſibi cælum habeat.

L.

STVRNI

Deplorationem leges apud Iouianum Pontanum Tumulorum lib. II. p. 193.

Digitized by Google

## LI.

## TITÆ CATELLÆ.

*Antonij Theobaldei, vt quidam volunt.*

QVod potui poſui tibi fida Catella ! ſepulcrum:
Digna magis cæli munere quàm tumuli.
Candenti è lapide hæc tibi conuenit vrna : fuiſti
Candida tota pilo, candida tota fide.
Si cælum, vt quondam, canibus patet : haud tua terras
Incendet, ſed ver ſtella perenne dabit.

*Petrus Pithœus pag.* 144. *refert inter vetera epigrammata.*

## LII.

## VALENTI TIGRIDIS F.

*Cani generoſiſſima.*

QVæ cum virtutis fidéi & pernicitatis ſuæ famam nouo, ſed illuſtriſſimo Domino probare nititur, primáque immiſſione leporem canum exire impreſſiones doctam ardentiùs quàm cautius ſupplantat, præcipiti caſu ceſpitans gulam ſibi fregit, inque ipſa victoriâ prædæ ſuæ ſuper incumbens exſpiranti glorioſe exſpirauit gaudens; præter hoc vnum quod non in oculis domini, cui militabat, ſic cecidiſſet.

## LIII.

## VICTORIÆ NAVIS.

*Quæ totum ambiuit orbem.*

PRima ego veliuolis ambiui curſibus orbem
*Magellane* nouo te Duce ducta freto.
Ambiui, meritóque vocor *Victoria*: ſunt mî
Vela alæ, precium gloria, pugna mare.

Digitized by Google

## LIV.

## VIOLÆ CATELLÆ.

*Mantuæ in Pal. Ferr. Gonzagæ*

CAtella Viola Lucinam infeliciter experta, hîc ſita ſum: Hoc luſus hoc fides meruit monumentum. Quid mirare? Fides ipſa canes cæli incolas facit.

## LV.

## VIPERÆ ELECTRO INCLVSÆ.

*Martialis libro IV.*

FLentibus Heliadum ramis dum vîpera repit,
Fluxit in obſtantem ſuccina gutta feram:
Quæ dum miratur pingui ſe rore teneri,
Concreto riguit vincta repente gelu.
Ne tibi Regali placeas, Cleopatra, ſepulcro,
Vipera ſi tumulo nobiliore iacet.

## LVI.

## VITI CANIS VETVLI.

QVi *Vitus* viuus dicebar ab omine vocis
Vitabant viuæ quod mea ſigna feræ.
Latratu lepores agiles qui ſæpe ſolebam
Vexare, à proxijs vexor ego ſocijs
Qui mihi debebant ſuccurrere, gratia rara eſt
Sic inter ſocios, ſunt mihi cauſa necis.
Namque ego dum tardo leporis veſtigia greſſu
Sector, & indicio proditur ille meo:
Proh dolor! en ſocij miſerum me dentibus omnes
Inuadunt canum decrepitúmque Canem.
Diſcerpúntque mihi mox membra ſenilia morſu,
Non ſecus ac ſi ipſis præda petita forem.
Decepti canis, quos ætas fecerat, & pro
Vulpe illis canâ, cana fit eſca Canis.
Diſce meo exemplo ſocijs confidere cautè,
Res etenim noſtro eſt tempore rara, *Fides.*

LVII.

Digitized by Google

## LVII.

## VOLANTIS CANIS.

*Auctore Tito Stroza*

IAm ſecurus aper nemoroſis vallibus erret,
Exultet poſito libera ceruα metu.
Raptoréſque lupi campis impune vagentur,
Tutáque villoſum præferat Vrſa caput.
Ille pedum curſu præſtans animóque Volantes
Occubuit trucibus peſtis acerba feris.
Strauerat immanem ſæuo certamine taurum
Herculeæ qualem non domuêre manus.
Sed breue lætitiæ ſpatium ſors inuida liquit,
Illáque victori pugna ſuprema fuit
Sol quater ortus erat, poſtquam ſuperauerat hoſtem,
Impia magnanimum fata tulêre canem.
Nulla ſed intrepidus vitâ fugiente doloris
Signa dedit, ſolitus manſit in ore vigor.
Atque ita ſe geſſit, mortem vt viciſſe cadendo,
Non ipſum morti ſuccubuiſſe putes.

## LVIII.

## TINEAM MVSARVM HOSTEM.

*Sic vtrus eſt Beza.*

SI rogat *Cereremque*, *Liberúmque*
Vitæ ſollicitus ſuæ colonus,
Si *Mauortis* opem petit cruentus
Miles, ſollicitus ſuæ ſalutis:
Quidni, *Calliope*, tibi tuiſque
Iure ſacra feram, quibus placere
Eſt vnum ſtudium mihi, omnibúſque
Qui vatum è numero volunt haberi?
Vobis ergò ferenda ſacra, *Muſæ*,
Sed quæ victima grata? quæ *Camœnis*
Dicata hoſtia? parcite ô *Camœnæ*,

Noua hæc victima, ſed tamen ſuauis
Futura arbitror, admodúmque grata.
Accede, ô tinea, illa quæ puſillo
Ventrem corpore tam geris voracem:
Téne, *Pieridum* aggredi miniſtros?
Téne arrodere tam ſacros labores?
Nec factum mihi denega: ecce furti
Tui exempla, tuæ & voracitatis.
Tu ferè mihi paſſerem *Catulli*,
Tu ferè mihi *Leſbiam* abſtuliſti:
Nunc certè meus ille *Martialis*
Ima ad viſcera roſus vſque languet,
Et quærit medicum ſuum *Tryphonem*.
Imò & ipſe *Maro*, cui pepercit
Olim flamma, tuum tamen terebrum
Nuper! ô fera ter ſceleſta, ſenſit.
Quid dicam innumeros bene eruditos,
Quorum tu monumenta, tu labores
Iſto peſſima ventre deuoraſti?
Prodi iam tunicam relinque, prodi,
Vah, vt callida ſtringit ipſa ſeſe!
Vt mortem fugitat ſceleſta! prodi.
Pro tot criminibus datura pœnas:
Age, iſtum iugulo tuo mucronem
Cruenta excipe, & iſtum, & iſtum, & iſtum.
Vide vt palpitet, vt cruore largo
Aras polluerit prophana ſacras.
At vos *Pierides* bonæque *Muſæ*,
Nunc gaudete, iacet fera interempta,
Iacet ſacrilega illa quæ ſolebat
Sacros Pieridum vorare ſeruos.
Hanc vobis tunicam, has dico, *Camœnæ*,
Vobis exuuias, vt hinc trophæum
Parnaſſo in medio locetis, & ſit

Digitized by Google

Hæc inſcriptio. De ferâ interemptâ

*Bezam* ſpolia hæc opima *Muſis.*

LIX.

TROIÆ.

*Agathiâ Scholaſtico auctore:*

*Interprete Q. Septimio Florente.*

HÆc eſt vrbs *Priami* quondam inclyta, quam nec aperto,
*Graij Marte*, annis nec domuêre decem.
Roborei ſed fraude feri! ô vixiſſet *Epeus*,
Ante dolum duri quàm fabricaſſet equi!
Non ſic *Atridis* per tecta ferentibus ignem,
In lapides caderem, magna ruina, meos.

*Pauca hic quoque Auctarij vice poterant extra ordinem addi à nobis ſuis locis prætermiſſa.*

LX.

CATELLI.

PArue canis, tibi parua domus, quia corpore paruus;
Vt breuis eſt tumulus, ſic breue carmen habe.

LXI.

CVLICIS.

*Virgilio auctore in fine Poëmatis, quod inſcribitur Culex ad Octauium.*

HIs tumulus ſuper inſeritur: tum fronte locatur
Elogium, tacitâ format quod littera voce:
*Parue Culex, pecudum custos tibi tale merenti*
*Funeris officium vitæ pro munere reddit.*

LXII.

*Nuper quoque cum in manus meas forte fortuna incidiſſent ingenioſiſſimi Luſus Allegorici R. P. Petri Iuſti Sauteli S. I. ſubiuncta cultiſſimis elegijs hæc epitaphia animaduerti, quæ tibi non mittenda fore arbitror.*



Digitized by Google

## MVSCÆ IN LACTE NAVFRAGÆ.

LActe madeſcentes perfuſa tenaciter alas
Finijt extremos naufraga muſca dies.
Non tamen ad plenum es duras experta ſorores,
Illo quo perijt rite ſepulta cado.
Ne Pario gratere tibi, Cleopatra, ſepulcro;
Muſcula ſi tumulo candidiore iacet.
Vt reliqui manes buſto meliore quieſcant,
Dulcior hac certe nullius vrna fuit

## PASSERIS.

*Mox viridi vacuum ſurget de ceſpite buſtum,*
*Et notus ſimili carmine paſſer erit.*
Paſſeris has cineres, ne quære Viator, in vrna;
Nil breuis hic loculus, quod tegat intus habet.
Membra ſepulcrali tumulantur felis in aluo,
Elyſias habitat, ſi qua ſit, vmbra domos.

## BOMBYCIS.

Bombycis dum fata vides & penſile buſtum,
Quoſque ſibi mira condidit arte rogos:
Quid Mauſolæi miraris inania buſti:
Pondera, quid medio pendula ſaxa polo?
Aſpice vtrumque rogum; dices, ſi vera fateris,
Ditius eſt bombyx quod ſibi ſtruxit opus.
Quocũque in tumulo, quacumque iacebit in vrna,
Non alio poterit mollius eſſe loco.

## FORMICÆ.

*Frugiferos formica trahens frumenta per agros*
*Preſſa ſub iniuſto faſce miſella cadit.*
*Hanc poſtquam reliquæ complorauere ſorores,*
*Relliquias tumulo compoſuere ſuo.*
*Vidit & arrepta miſeratus arundine vates*
*Scripſit in arboreo carmina pauca libro.*
Hic iacet ilicea tenuis formica ſub vmbra,
Cui ſua maturat fata laboris amor.

Digitized by Google

Ferret vt infauſti pretium non vile laboris
Debita nobilior vitáque, morſque fuit.
Viuere Myrmidonas formicula debuit inter,
Myrmidonas inter debuit illa mori.

## PHILOMELÆ IN CERTAMINE MVSICO MORIENTIS.

Ne careat merito Siren inhonora ſepulcro,
Hoc Citharœde, ſonet carmine ſcripta chelys.
Magnaminis Philomela cadit conatibus impar
Nacta opportunæ ſubdita fila lyræ.
Hoſpita frondoſæ moriens cithariſtria ſyluæ,
Non poterat tumulo commodiore frui.

*Pulicis quoque cecinit epitaphium: verùm eo miſſo placet elegiæ atque epigrammatis obiter meminiſſe in MVSCAM in aureo calice tumulatam, de qua ſupra num. X. huius partis.*

ELEGIA ſic incipit.

Regibus appoſitas libare modeſtius eſcas, &c.

EPIGRAMMA vero.

Si memini, ternas vates celebrauit Iberus, &c.

Tu, ſi vacat cætera non ſine, fructu & voluptate percurres: Nos enim memores inſtitutæ breuitatis.

ΟΥΤΕ πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων.

*Neque omnia, neque paſſim, neque ab omnibus.*



Digitized by Google

# SELECTORVM
# EPITAPHIORVM THESAVRI
## PARS VNDECIMA

Soluta Oratione ſcripta cum Antiqua tum Recentiora complectitur, verum ex innumerabilibus admodum pauca, eaque non ſine maximo delectu atque examine in medium producta.

### I.

### ABRAHAMI ORTELII.

*Antuerpiæ in D. Michaëlis.*

QVEM vrbs vrbium Antuerpia edidit, Rex Regum Philippus Geographum habuit, monumentum hic vides. Breuis vrna eum capit, qui ipſe orbem terrarum cepit, ſtilo & tabulis illuſtrauit, ſed mente contempſit; quâ cælum & alta ſuſpexit, conſtans aduerſus ſpes aut metus. Amicitiæ cultor, candore, fide, officijs: quietis cultor, ſine lite, vxore, prole, vitam habuit quale alijs votum. Vt nunc quoque æterna ei quies ſit,

Digitized by Google

votis faue Lector. Obijt iv. Kal. Iulij ann° M. D. XCIIX. Vixit annos LXXI Menſſ. II. D. IIXN. Colij ex ſorore nepotes B. M. Poſſ.

*Aliud Auctore Ioanne VVouerio.*

Abrahamius Ortelius H. S. S. Patria mihi & hæc vrbs fuit, Titulus & munus Geographus Regius. Dum vixi, vidi vtramque fortunam publicam; ſed vultu eodem : meam propriam vno animo & ſtatu modicus rei & ſpei facilem placidámque mihi feci. Quam nunc terram colo, viuus item excolui manu, radio, colore : ſed mente contempſi. Fatalem meam metam ſine metu adiui, cum vixiſſem annos LXXI. M. II. D. XVIII. mors obrepſit anno M D. XCVIII. IV. Kal. Iul. Tu bone! bonum votum adde, & olim quieto quietem æternam apprecare.

II.

Adami Bodenſtenij Medici
Baſileæ.

HYGIÆ ÆT.

ADamus à Bodenſtein, Theophraſti Paracelſi, vt primus, ſic fidus, ſcitúſque & opere & ore interpres, palmam victoriæ ſuæ Regi triumphanti oblaturus, mortalitatis exuuias, nec metuens, nec optans, ſolo hoc cœlóque libero homo liber fide depoſuit bonâ, quos ſpe bonâ olim repetat. Anno ſalutis 1577. ætatis hebdomade ſeptima.

Nec omnia, nec omnes mihi
Placuere : quînam ego omnibus?
Non omnibus Cous ſenex,
Non eremita ſpagirus.
Num tu Viator omnibus?
Deo placere cura. Abei.



Digitized by Google

## III.

## ADIVTORIS.

*Annis sextijs in Baſil.ca Saluatoris.*

*A Scaligero Gruterus* 1049. 2.

HIc in pace quieſcet *Adiutor*, qui poſt acceptam pœnitentiam migrauit ad Dominum. an. 65. menſ. 7 dies 15. depoſitum 9. Kal. Ianuarias Anaſtaſio V. C Conſule.

## IV.

## ADRIANI TVRNEBI.

ADR. Turnebo viro omn. vict. omn. q. lit. gen. inſtructiſſ. atque ornatiſſ. Philoſophiæ in ſchola Paris. Profeſſore Regio clariſſ. Io. Auratus, Dion. Lambinus eius collegæ, P Ronſardus. Germ. Val Pimpuntius, Io Paſſeratius, Alph. Elbenæus, Nic Vergetius, hunc è Gr. Lat. Gall. carm. tumulum mær. excitarunt xiv. Kal. Quinct. anno à Chr. N. CIϽ. IϽ. LXV. Vixit annos LIV.

## V.

## ALEXANDRI FARNESII PARMÆ DVCIS.

*Parma ad Capucinos*

ALexander Farneſius, Belgis deuictis, Francis obſidione leuatis, vt tumuli hoc loco eius cadauer reponeretur, mandauit, III. Non. Decemb. M D. XCII. Et vt ſecum Mariæ eius conjugis opt. oſſa iungerentur, illius teſtamentum ſequutus, annuit.

## VI.

## ALVARI GOMESII.

*Toleti in Hiſpania.*

ALuarus Gomeſius fui: dixeram de mea vitâ ſatis, ſed aſta paululum. Nemini vmquam

Digitized by Google

ſciens nocui: prodeſſe quamplurimis curaui. Viris placui bonis, quos potui fallere. Verùm quod nondum noſti, de me iam fecit iudicium iuſtus Iudex, poſtea de omnibus palamfacturus. Tu interim me poſtula reatibus exolui. Vale.

VII.

ALVARO NONIO LVD. F.

NAto an LX. Denato V. Id Decemb. M DCIII. Philoſopho & Archiatro doctrinâ & virtute claro, Principibus caro, prolixâ in omnes comitate: cui in vitâ nihil carius, quam alijs ſeam dare, nihil in morte iucundius quàm ad meliorem tranſire. Vxor marito, liberi parenti M. M. P. P. *Antuerpiæ in D. Iacobi templo.*

VIII.

AMALRICI DE MONTEFORTI.

*Romæ in Baſilica D. Petri.*

HIc iacet Amauricus Comes Montis fortis Franciſci Conneſtabilis qui contra Albigenſes pro fide Catholica ſæpius dimicauit, poſtea contra Sarracenos ad partes Syriæ transfretauit, à quibus in bello raptus fuit, & diu in captiuitate detruſus tandem per treguam liberatus, dum rediret ad propria apud Idrontem expirauit anno D. M. CCXLI.

IX.

ANDREÆ ALCIATI I. C.

*Ticini in æde S. Epiphanij.*

ANdreæ Alciato Mediolanenſi I. C. Comiti, Protonotario Apoſtolico, Cæſareóque Senatori, qui omnium doctrinarum Orbem abſoluit, primus legum ſtudia antiquo reſtituit decori. Vixit annos LVII. Iu. VIII. d. IV. Obijt pridie Idus Ianuarias anno M. D L.

Digitized by Google

Ad ſiniſtram: Μηδὲν ἀναβαλλόμενος. ad dextrū Ἀνδρὸς δικαίου καρπὸς οὐκ ἀπόλλυται.

## X.

## ANDREÆ NESMONDI BVRDEG.

### SEN PRINC. BVRDEGALÆ.

ORantem non plorantem, Hoſpes, te vult, qui hîc iacet: ahlerraui: Numquam iacet virtus, ſed thronum è tumulo facit. Hoc in quietorio eſt *Andreas Neſmondus*, qui viuus Iuſtitia Senatum rexit, vitam innocentia, domum prudentia, fidelitate Principes, Magnos modeſtia, amicos officijs, humanitate infimos, homines beneſactis, Deum pietate demeruit. Moriens domum lacrymis, amicos luctu, Principes dolore, Magnos deſiderio, exemplo diuites, conſternatione pauperes Senatum, orbitate cumulauit.

## XI.

## ANONYMI COSMOPOLITÆ.

### *Ex Prodromo Æternitatis P. Hier. Drexelij.*

HEus, Viator! adſta & perlege? pauca te volo. Hoc ſaxum viuus morituro mihi poſui, qui hic anguſte iaceo, & te, Hoſpes, atque fatalem Angeli tubam in tenebris expecto. At fors quæris meam proſapiam? ab Adami purpura ſeruus nepos ſum. Fors rogas & patriam meam? Mundus fuit. Doctrinam meam? Vmbra fuit. Famam meam? Fumus fuit. Ætatem meam? Heu! punctum fuit, aut paullò productius momentum. Noſſe vis & opes meas; Paupertas fuit. Honores meos? Contemptus fuit. Libertatem meam? Obſequium fuit. Votum meum? Mors fuit, & poſt mortem vera vita, quam ego tibi, Viator, Tu

mihi reciprocâ prece ſeriò ad precare, & abi lethi tui meique memor.

## XII.

## ANTONII AVGVSTINI ARCH. TARRAC. IN HISPANIA.

D. O. M.

S. S. Euchariſtiæ S.

ANtonius Auguſtinus, Antonij Procancellarij filius, Cæſ rauguſtanus, Palati Apoſtoli. Auditor, Epiſcopus Allifanus, Pauli IV. ad Philippum & Ferdinandum Reges Legatus, Siciliæ Cenſor, Ilerdenſis Epiſcopus, maximo plauſu Tridentino Concilio interfuit, inde ad Tarraconenſem Archiepiſcopatum tranſlatus, Iuris & Humanitatis vindex clariſſimus, Iudex incorruptiſſimus, eleemoſynarum largitor excellens, Oraculum Sapientiæ terreſtre, editis aureis libris atque edendis relictis, hoc ſacellum ſanctæ Euchariſtiæ P. C. Chriſtum ac ſanctam Teclam tutelarem ex aſſe heredes f ciens. Obijt pridie Kal. Iunij 1586. ætatis 69.

Petrus Ioannes Nunneſius Valentinus Orator & Philoſophus hoc illi amicitiæ ergo epitaphium compoſuit.

## XIII.

## M. ANT. GOVRGVÆI PRÆS. BVRDEGAL.

*Elogium paullò productius*

CVm pluribus alijs eò ſpectantibus habes in Parentalibus à Patribus Collegij Societatis IESV Burdegal. celebratis anno M. DC XXIX.

## XXXIV.

## M. ANTONII MAIORAGII.

*Mediolani in D. Ambroſij.*

M. Antonio Majoragio, dicendi magiſtro ſingulari, Latinis Græciſque literis perpolito, & libris editis illuſtri: qui publicè docuit annos IX. vixit XLI. Bartholomæus Cones vxoris fratri B. M. Poſuit.

## XV.

## M. ANTONII MVRETI VTRIVSQVE.

*Romæ in Templo S. Trinitatis*

M. Antonius Muretus, Lemouix, ad Dei miſericordiam obtinendam, piorum precibus adiuuari cupiens, corpus ſuum poſt mortem hoc loco ſepeliri iuſſit, adtribntis mille ſcutatis huius Monaſterij Sodalibus, impoſitóque onere perpetui anniuerſarij. *Nicolaüs de Pelleuè* Card. Senonenſis Teſtam. executor poni mand. Vixit annos LIX. m. II. Obiit pridie Nonas Iunias M.D.LXXXV. M Antonio Mureto magni huius Mureti fratris filio ætate quidem & celebritate nominis minori, ſpe autem & expectatione prope pari, immaturâ morte prærepto, Ludouicus Rualdus Lemouix & M. Antonius Lanfrancus Veronenſis eius teſtamento ad pias cauſas facto ſcripti executores Poſſ. Vixit annos XVI. m. V. Obijt pridie Nonas Octob. M.D.LXXXVI

## XVI.

## ANTONII SEVERI AQVILÆ.

*E. Mazzochio & Metelli Schedis Grut. 669. 4.*

ANtonius Seuerus Aquila hîc iacet ſine animâ miſerabili fato, qui vixit annos biſſenos & ſex menſes, cui vota erant vt parentibus iſta pararet: ſed mors immatura fecit, vt facerent pa-

rentes filio contra ordinem. ſtudia amaui, obſequens magiſtris fui, obſeruaui parentum præcepta, meos amicos colui patronos bonos: officio præſens fui ſed fatali . . . ætate tulerunt.

## XVII.

## ARMANDI IO. DV PLESSIS, DVCIS DE RICHELIEV, S.R.E. Card. Eminent.

*Epitaphium.*

Lege viator & luge.

HIc iacet Eminentiſſimus Cardinalis Dux de RICHELIEV, ſtudijs Sorbonæ alumnus, dotationibus parens: naturam, ſcientias, virtutes, & fortunam obſtetrices habuit ad miraculum. Rex ſenſit Miniſtrum ab omni æuo incomparabilem, tot victorijs, quot conſilijs glorioſum; qui miniſtros in quantum potuit ſibi ſimiles aſciuit. Gallia vidit inter Duces & Torquatos Equites inuictiſſimum & ornatiſſimum: peritorum & proborum Mœcenatem, diſciplinæ Monaſticæ reparatorem, hæreſeos & hoſtium domitorem. Vniuerſus Orbis Virum diuiniſſimum, qui dum pacem parit, perit. At ne periret Gallia, relictis Regi ſcriptis etiam poſt mortem iuuat, vt & precibus. Non capit marmor, quod Hiſtoria, Poëſis, & Eloquentia non poſſunt ſcribere: Talem Virum ſolus Deus poteſt iuſtis laudibus, & præmijs coronare.

*Cætera quæ in eumdem à plurimis conſcripta ſunt ac vulgata, volens libenſque prætermitto hoc vnico contentus.*

XVIII.

## ARNALDI OSSATI CARD.

*Romæ in S. Ludouici.*

D. O. M.

ARnaldo Oſſato, Gallo, S. Euſebij Presbytero Cardinali Epiſcopo Bajocenſi, qui omnium per multos annos Gallicanorum in vrbe negotiorum conſiliorumque particeps & adminiſter, rariſſimæ in Reges ſuos fidei, egregiorumque meritorum teſtimonio ſacrâ purpurâ ornatus ampliſſimi Ordinis dignitatem, eâ Sapientiæ integritatiſque fama, eaque officiorum in omnes propenſione cumulauit, vt ſui deſiderium exteris quoque nationibus cum admiratione reliquerit. Vixit annos 67. menſ. 16. dies 20. Deceſſit pridie Idus Martias 1604. Petrus Boſſu Lugdunenſis Cubiculi Præpoſitus à ſecretis & Renatus Cortin Andegauenſis à Cubiculo item & Secretarius extrientibus heredes patrono optimo & indulgentiſſimo S. PP C.

XIX.

## ATILIÆ MAXIMINÆ.

*Apud Gruterum è Manutio 759. 2.*

D. M.

ATilia Maximina animæ innocentiſſimæ. *C. Aonius Vitalis* vxori incomparabili: quæ vixit mecum ſine vlla controuerſia annos 18. menſes 2. dies 9. quæ tulit ſecum annos 36. quæ duxit ſecum gloriam & honorem æternum. Meum vale ſolatium.

Digitized by Google

## XX.

## AVGVSTINI TRIVMPHI.

*Neapoli in S. Auguſtini templo.*

ANno Domini M. CCC XXVIII. II. Aprilis, Indictione XI. Obijt B Auguſtinus Triumphus de Anconâ, Magiſter in ſacra paginâ, ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, vixit annos LXXXV. edidítque ſuo Angelico ingenio XXXVI. volumina librorum. Sanctus in vitâ & clarus in ſcientiâ.

## XXI.

## BERNARDI AVREÆVALLIS ABBAT.

*In dicta Abbatia.*

D. O. M.

VIri, magni, probi, chari, patres, filij, fratres, accedentes, diſcendentes, aſcendentes, deſcendentes, videte, legite, audite, exaudite. Hic iacet veſter Bernardus, cui vos dilecti, qui vobis dilectus, miſer & miſerabilis, miſericordiam Domini & veſtram expetens, exoptans, expectans. Eia, heu, eia! Eſtote miſericordes, memores eſtote iudicij mei, ſic enim erit & veſtrum, heri mihi & vobis hodie. Hæc, cariſſimi! hæc perpendite, & mihi miſero pœnas pendite. Abite, ſancti eſtote, & valete. Expecto donec veniat immutatio mea. Frater Bernardus de Mont-Gaillard huius Eccleſiæ Abbas viuendo moriens & moriendo viuens ſibi poſuit.

Digitized by Google

XXII.

BERNARDI VALLETANI.

*Auctore R. P. Iac. Sirmondo*

BErnardo Nogareto à Valleta, Franciæ Thalaſſiarcho, Salutiarum, Delphinatus, Prouinciæ ſub Henrico III & IV. Proregi, militi Ducique ætate ſua præſtantiſſimo, cuius egregia fide, induſtria, virtute, prouinciæ ſuprascriptæ ciuilibus externiſque armis confuſæ proſtratis vbique hoſtibus, arcibuſque receptis pacatæ, conſeruatæque ſunt: adminiſtrationis verò æquitate ac prouidentia omnium ita votis eſt ſatisfactum, vt dolorem de illo niſi immaturæ eius mortis, nullum acceperint: & Annæ Batarnaiæ, Renati Comitis Bochagij F. coniugi eius ſuauiſſimæ, generis ſui nobilitatem pietate, caſtimonia, laudatiſſimorumque morum diſciplina ornanti Ioannes Ludouicus Dux Sparnonis, Par & Magiſter peditum Franciæ, fratri & cognatæ cariſſimis, condito iuxta ſupremam eorum voluntatem, dotatóque cœnobio, monimentum mœrens poſuit.

XXXIII.

CAII RANZOVII HENR. F.

*Bredenberga in Cimbrica Cherſoneſo.*

SVbſiſte, Viator, & Henrico Ranzouio trium Daniæ Regum in Ducatibus Vicario, viro optimo, patri mœſtiſſimo pro pietate tuâ condoleto. Hic conditur Caius ex nobiliſſimâ & antiquiſſimâ Ranzouioum gente apud Cimbros oriundus: ſpes patris & patriæ, ſolamen, columen familiæ, qui Reuerendiſſi. Bremenſis Archiepiſcopi Holſatiæ Ducis Ioannis Adolfi Conſiliarius & arcis Gottorpiæ Præfectus, in medio vitæ curſu, cùm hebdomatico quarto completo vixiſſet,

annos

annos octo & viginti menſes octo, dieſque vndecim, pro thalamo, quem cogitabat, tumulum adit A. C. M D. XCI. XX. Aprilis.

*Pater hoc ſibi parauit mortalitatis memor.*

In hoc Sacrophago conditus eſt Henricus Ranzouius Ioannis Equitis aurati filius, Henrici nepos, Bredonis pronepos, Caij abnepos, Regis Daniæ Chriſtiani III. Friderici II & Chriſtiani IV. olim vices in Ducatibus Sleſvuicenſi, Holſatiæ & Ditmarſiæ gerens, Præfectus arcis Segebergenſis, Dominus in Bredenberg, Ranzou, Ranzouiſtrotus, Nutſchouu, Melbeck, &c. Vixit annos mortuus anno.

*Et ego ſcio Redemptorem meum viuere: & is nouiſſimo die me è puluere excitabit. Iob. XIX.*

Viuus lapideum hunc mihi paraui lectulum,
In quo iacerem mortuus.
Noli obſecro me mortuum laceſſere,
Qui viuus obfui nemini.
Henricus ille namque ſum Ranzouius;
Regis Dani Vicarius:
Quem plurimùm plures amarunt Principes,
Suíque paſſim ſubditi.
Quem docti honeſtarunt viri, cúmque improbis
Laude cumulauerunt probi.
Nunc, Hoſpes, ecquis ſim, aut mage fuerim, tenes;
Verùmtamen qui tu ſies,
Non cognitum eſt mihi: igitur vt teipſum bene
Noſcas, rogo. His longùm Vale.

Pauca hæc ex quamplurimis quæ Vir ille illuſtris vtque eruditus ſingulari libro publicauit quorum maximam partem tranſtulit in ſuas Variorum in Europâ itinerum Delicias Nathan Chytræus.



Digitized by Google

XXIV.

## CANVLEI ZOSIMI.

*Ex Mazzochio Gutterus 639. 12.*

D. M. *M. Canulei Zoſimi.* Vixit annos 28. Fecit Patronus Lib. bene merenti. Hic in vita ſua nulli maledixit: ſine voluntate patroni nihil fecit: multum ponderis auri & arg. penes eum ſemper fuit, concupijt ex eo nihil vnquam. Hic arte in cælaturâ Clodianâ vicit omnes.

XXV.

## S. CAROLI BORROMÆI CARD.

*In Cathedrali Eccleſia Mediolani.*

CArolus Tit. S. Praxedis S. R. E. Preſbyter Cardinalis, Archiepiſcopus Mediolanenſis, frequentioribus Cleri, populi, deuotíque fœminei ſexus precibus ſe commendatum cupiens, hoc loco ſibi monumentum viuens elegit.

HVMILITAS.

Vixit annos 46. menſem vnum, diem vnum. Præfuit Eccleſiæ Mediolanenſi annos 24. menſes octo. dies 16. Obijt III. Nonas Nouembris 1584.

XXVI.

## CAROLI V. IMPER ET HISP. REGIS.

*Ex Guicciardino.*

Deo Opt. Max. S.

D. Carolo V. Imp. Cæſ. Aug. Max Indico, Turc. Afric. Germ Hiſpaniæ, Siciliæ & Indiarum Regi P. P. Principi potentiſſimo & inuictiſſ. Sacri Imperij liberatori, fundatori quietis, Chriſtianæ Religionis propugnatori acerrimo, iuſtitia, animi magnitudine, prudentia, religione, clementia, patientia, alijſque inſignibus virtutibus longè ornatiſſ. qui poſt ingentes vbique terrarum partas victorias & clariſſimos de Turca,

Digitized by Google

Afris, Italis, Germanis actos triumphos, tot multis Indiæ prouincijs & inſulis etiam priſcis incognitis per legatos magno Reip. Chriſtianæ ornamento inuentis atque luſtratis, denique poſt feliciter adminiſtratam & prudenter conſtitutam Remp Philippo filio tot ampliſſimis Hiſpaniæ Regnis, Flandria & alijs prouincijs inaugurato Religione ductus ex Flandriâ in Hiſpaniam trajecit, ſeque in iuſtum Hieronymiani ordinis cœnobium ædibus illic iuſſu eius conſtructis, recepit: vbi reliquum vitę, quod vix biennium fuit, tranquilliſſimè egit, & ſanctiſſimè obijt X.I. Kal. Octob. M.D. LVIII Ioanna Luſitanię Princeps Hiſpaniarum Gubernatrix patri opt. & max. P. Vixit annos LVIII. m VI dies XVII. Imperauit annis XL. Regnauit annis XLIII.

## XXVII.

## CAROLI CARD. A LOTHARINGIA

*Rhemis in Eccleſiâ B. Mariæ.*

## D. O. M.

CArolus S. R. E. Preſbyter Cardinalis de Lotharingiâ, Archiepiſcopus, Dux Rhemenſis, primus Par Francię, ſanctę Apoſtolicę ſedis Legatus natus, de morte & reſurrectione cogitans ſibi viuens poſuit anno 1573. Pontificatus ſui anno 35. Vixit annos 49. menſes 10. dies 8. horas 4. Obijt anno Domini 1574. 7. Kalendas Ianuarias. Requieſcat in pace Amen.

Ego credidi quia tu es Chriſtus Filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti.

# CAROLI DE CREQVY DVCIS, Paris, & Mareſcalli Galliæ, *ELOGIVM FVNEBRE.*

Sta Viator,

AD ſonum ruinæ, cuius fragor adhuc Europam occupat,
Tormento bellico CREQVIVS occubuit, minori telo non poterat:
Eminùs mors peremit, ſępè fruſtrà è propinquo tentauerat:
Priori diſploſione pulueris nubem excitauit, vt ſecundas inſidias tegeret,
Alterum globum impegit in terram, vel attingere verita,
Vel antequam attingeret venerata.
Abruptum eſt corpus in membra, iacere eodem in loco tanta ruina non poterat.
Quod colligi potuit, hîc iacet, magnitudo cladis vbique eſt:
Nec incautum mors oppreſſit, eâ die ęternitati ſtuduerat,
Ante horam animum ſacramentis procurarat, vt pręſtaret ęternum, dum facit diuinum.
Horam reliquam non ſubtraxit ęternitati, dum impendit Regi.
Appenſam è collo crucem fatalis globus impreſſit cordi,
Vt moreretur in vulneribus proprijs, & cum vulneribus Chriſti,
Senſit cor admotum DEVM, amauit & vixit.
Emendauit amores humanos hic amor vltimus,
Continuatus eſt ęternitati, ne eum tempus corrumperet,

Digitized by Google

Reperiri vltrà in terris non potuit cor cœlo dignum,

Duæ rés ſursùm extulerant, Crux quam attigit, amor quo arſit,

Poſtquam attigerat DEVM, tegi humo non debuit.

Neque hoſpes æternitatem ingreſſus eſt, ad quam tot eleemoſynas præmiſerat,

Vt feſtiuè beneficus eſſet, præmittere ſe aiebat ad cœlum diuitias, ne illic pauper eſſet,

Nullibi ſecuriùs latere opes, quàm vbi DEVS & fœlicitas latet.

Abi Viator, nec ruïnam defle, qua CREQVI in æternitatem cecidit,

Ea hora extinctus eſt, quæ illi ad immortalitatem optanda fuit.

REDI Viator, & diſce qualem vitam æternitas inchoauit, dum clauſit.

Vix vnquàm tot lauros fulmen meſſuerat, ſi laurus fulmen timeret,

Centum Heroum nepos elogia omnium ſua fecit,

Magnanimus, audax, ſapiens vocari dignus gentilitijs meritis & ſuis,

Seruabat ei virtus hæc cognomina, niſi maiores præripuiſſent:

Prælusit tamen nepoti, dum ea Auis imponeret,

Iis titulis Ducem, Parem & Mareſcallum addidit, additurus Comeſtabilem,

Niſi hæc ætas tot Comeſtabiles haberet, quot Mareſcallos habet.

Comeſtabili de Lediguieres in generum datus eſt,

Vt Heroum filius, Gallici Martis alumnus eſſet,

Sub eo Magiſtro maturè vincere cœpit, vt diu vinceret,

Ea ætate militiæ Magiſter, qua vix alij ſunt tyrones.

Nulla eſt Galliæ Prouincia, vbi non vicerit hoſtes Regios,

Nulla occaſio in qua non vicerit ſuos.

Renouauit gentilitij vexilli prærogatiuam, dum renouauit victoriam,

Iterùm hoc clamore Gallico dignus,

*A Crequy, Crequy le grand Baron, nul ne s'y frotte.*

Tot vltra Alpes victorias retulit, vt Galliam Cis-Alpinam reſtaurare potuerit,

Niſi Gallia Italiam ſociam habere mallet, quàm ſubditam.

Sabaudiam, & Subalpinos ſic expugnauit hoſtis, vt Verruca vna non ſteterit,

Sic defendit amicus, vt Verruca vna non perierit,

Nec dubium, quin ſeruaſſet Bremam, qui Verrucam ſeruauerat,

Niſi hoſtis abſentem peremiſſet, ne præſentem fugeret.

Nec tenacior fuit Regiæ fidei, quàm diuinæ,

Vtramque obſignauit ſuo ſanguine, vt teſtatam faceret, dum facit purpuream,

Inflictam ab hæreſi plagam medio in vultu oſtendebat vt gemmam,

Nec inſignior Gallicæ fidei clientelaris Legatus ire Romam potuit,

Quàm qui inſignia Fidei in oculis gereret,

Tacente lingua loqui hæc plaga potuit, qualis eſſet fides Gallica,

Cuius Rex Apoſtolus, Mareſcalli Martyres eſſent,

Nec ſiluit lingua Crequii, cuius vrbanitas Vrbano ſic placuit,

Vt in ea amauerit Palladem, & agnouerit Martem,
Romanum patrocinium ſic optauit Galliæ, vt vt Gallicum obtulerit Romæ:
Nec ſilebit vnquàm hæc lingua, cui fama pro voce erit,
Continuabit laudes lituo, quas mors intonare cœpit bellico tubo,
Errauit mors in Creqvio, laudauit dum peremit,
Inchoauit Elogium, quod fama abſoluet, & æternitas canet.
Nec vmquam exareſcet Arbor Crequia, cuius tot Rami in poſteris virent,
Videbit finem Galliæ, quæ initium vidit,
Immortalis futura; ſi tales ſemper naſcantur ſurculi.
Abi Viator, & vt mortem fallas, incipe immortalis eſſe, dum moreris.

## Caroli de Nevfville,
### D. d'Halincovrt, Marchionis De Villeroy, Lugdunenſium Proregis.

*Statua & Sepulcri inſcriptio.*

STa Viator ad hoc ſepulcrum,
Quod ſibi adhuc viuus extruxit Carolvs de Nevfville;
Vt tu etiam viuus de tumulo cogites;
Inchoauit alteram vitam, dum hanc viueret.
Continuauit tempus æternitati, ne mors haberet quod diuideret;
Incipit adhuc viuus æternus eſſe; vt mortem falleret.

Vides ſtatuam ſuperſtantem ſepulcro, ne extinctum credas
Torquati equitis inſignia gerit, vt merita ſcias,
Aduoluit genua, & manibus ſupplicat, vt pietatem diſcas.
Statuam hanc ars & natura æneam, ſapientia auream facit,
Cui iſte tam ſimilis eſt, quam eſt æqualis patri.
Ille totam ſæculi ſui ſapientiam collegerat, vt in filium transfunderet.
Hic totam ſæculi alterius ſapientiam ſic excepit, vt multum iſtius adiecerit.
Miſſus Romam Legatus, Romæ patrem ſic expreſſit,
Vt quod ille erat Galliæ, hic eſſet Italiæ.
Fortitudinem adiecit ſapientiæ, Palladem imitatus, quæ intus ſapiens. & ardens.
Veteranus caſtrorum præfectus Mareſcalli titulum mereri maluit, quam aſſequi.
Lugdunenſium prorex publicis ædificijs Lugdunum ſic ornauit.
Vt Neapolin de ſuo nomine appellare poſſit.
Magnificentiam ſuam ſacram fecit, vt æternam faceret,
Nullum reliquit templum in quo aureas preces non fuderit.
Dignus certe ænea ſtatua, qui tot aureas cœlitibus erexit
Monialibus a Carmelo dictis Monaſterium & Templum extruxit, vbi etiam ſepeliri voluit,
Nullibi quieſcere melius poterat, quam in beneficijs ſuis,
Nihil magis noſtrum eſt, quam quod erogatur Deo,

Dantem deſerit & ſequitur, datur & retinetur,
Fit alienum, nec deſinit eſſe proprium.
Fit ſepulcrum, fit ſtatua, fit æternum, quia fit diuinum.
Abi Viator, & diſce ſemel mori, qui quotidie moreris,
Imo vt mortem fallas, incipe æternus eſſe dum viuus es.
Si quid in hac ſtatua requiris, id totum inuenies in filijs,
Quibus ille paternas virtutes ſic diuiſit, vt totus viuat in ſingulis.
Immortaliter victurus, ſi tales ſemper naſcantur hæredes.

XXX.

CAROLI MORIMINI.

*Neapoli in S. Maria de Portâ nouâ.*

Fui, non ſum; Eſtis, non eritis: Nemo immortalis. *Idem Filio ſuo Ioanni hoc epitaphium poſuerat.* Quàm præpoſterè res ſeſe humanæ habent? cuius mihi dulciſſimas manus oculos prius claudere fas fuit, infeliciſſimus parens filium hîc ante condidi meum. Ademit importuna mors ſeni baculum, cui defeſſa iam adnitens ætas annos alleuaret ſuos. Nunc ante me mors aſſequetur, quàm hæ lacrymæ deſerant.

XXXI.

CAROLI TEMPELII.

*Louanij ad Martinianos auctore Erycio Puteano, vt teſtatur Suuertius.*

Carolus Tempelius H. S. E. pari dum vixit virtute ac ſtirpe vir, ſago clarus & togâ: in aulâ, militiâ, rep. fuit ac reſplenduit temporibus turbulentîs. Tandem in otio, ſenio, morbo, ſed

breui deceſſit: vitam non reliquit, ſed mutauit. Hoc eſt viuere, ſic mori, vt ſecundò viuas: hoc eſt mori, ſic viuere, ne quid mors delibet. Non moritur, qui ſic viuit: non vixit, niſi qui ſic moritur.

XVXII

D. A. E. CHALOMI VICARII GEN.

*Lugduni in æde S. Nicetij.*

QVi nunc hîc ſitus ſum, fui, vixi. Ac vtinam non fuiſſem, vixiſſem. Solum æternum numen eſt, ſolum viuit. Niſi qui illi adhæret, nemo eſt: niſi qui illud colit, nemo bene bene beatéque viuit. Sic, ô bone, ſic, æternùm ſimus, viuámus, Cetera vanitas.

XXXIII.

CHRISTOPHORI LONGOLII.

*Patauij in Templo Franciſcanorum.*

CHriſtophoro Longolio Romanam ciuitatem propter inſignem in ſtudijs literarum præſtantiam adepto ſummo ingenio, incredibili induſtriâ, omnibus bonis artibus prædito ſupra iuuentæ annos: in qua extinctus eſt magno cum Italiæ dolore, cui ingentem ſpem ſui nominis excitauerat, P. Bembus amico atque hoſpiti P.

Te iuuenem rapuere Deæ fatalia nentes
Stamina, cum ſcirent moriturum tempore nullo;
Longoli, tibi ſi canos ſeniúmque dediſſent.

XXXIV.

CHRISTOPHORI PLANTINI.

*Antuerpiæ in Templo primario B. Mariæ.*

CHriſtophoro Plantino Turonenſi, ciui & incolæ *Antuerpiano*, *Architypographo* Regio, Pietate, prudentiâ, acrimonia ingenij magnâ,

*Conſtantia ac labore* maximo; cuius induſtriâ atque opera, vetera, noua, magno & huius & futuri ſeculi bono in lucem prodierunt: Ioanna Riuiera coniux & liberi heredéſque illa optimo viro, hi parenti mœſti poſuerunt Tu qui tranſis & hæc legis, bonis manibus precare. Vixit annos LXXV. deſijt hîc viuere Kalendis Quinctilibus anno Chriſti M. D XXCIX,

XXXV.

CHRISTOPHORI THVANI

PRÆSIDIS,

D. O. M.

CHriſtophoro Thuano Equiti, Auguſtini Præſid Pariſ' F. Iacobi Conſiliarij Regij N. Senatus Pariſ. Principi Viro incomparabili qui per omnes vitæ gradus ſumma cum eruditionis integritatis prudentiæ laude verſatus, ſacri iuris publici ac priuati ſciens, rituum priſcorum & imperij arcanorum peritiſſimus, Orator facundus, poëta elegans, hiſtoriarum ſui temporis, quarum ſchedas inter ſcrinia reliquit, incorruptus ſcriptor, ſummæ citra faſtum grauitatis, ad promerendum de omnibus natus, vtilitatis publicæ ſtudioſus, domeſticæ negligens, eodem vitæ tenore ſemper vſus, non lætis rebus elatus, non ſequioribus conſternatus, ſed in aduerſis negotia pro ſolatijs accipiens, Principibus regni æquè ac infimæ plebi acceptus, potentium gratiam cum inferiorum commodis æquabili librans temperamento, auaritiæ ac rapacitatis acerrimus hoſtis, ab ambitione alienus honores veros, quia falſos adfectare contempſerat, virtute & meritis ſub Franciſco I. Henrico II. Franciſco II. Carolo IX. Henrico III. Chriſtianiſſ. P. P. adeptus

Pariſ. Senatus Præſes, deinde turbulentiſſ. Gallię temporib. quaſi omnium ordinum conſenſu ad ampliſſimum diguitatis faſtigium euectus, móxque virtutis ergo potentiſſ. P. Henrici Aurelianenſis D. ac poſtea Franciſci Sereniſſimi Brabant. Andium D. Cancellarius, tandem cum de iudiciario ordine emendando, de Quęſtura regni à fraudibus & rapinis vindicandâ, diſciplinâ Collegiorum reſtituenda cogitaret, nulla inclinantis ętatis incommoda hactenus expertus, febri inopinâ, quam in munere aſſiduus frangere nequicquam tentauerat, correptus integris animi & corporis viribus optimè meritam de repub. animam Deo, cui omnia accepta referebat, ſolemni omnium Sanctorum die reddidit. Iac. Tulea indiuidua vitę comes marito dulciſſ. Renatus N. auo, Chriſtophorus Melodun. Pręfectus, Iac. Auguſtus Conſiliar. Regius F. F. Patri, Philippus Huraltus Francię Procancellarius, Achilles Harlęüs Senatus Pariſ. Princeps generi ſocero męrentes P. P.

Vixit annos LXXIV. menſes IV. dies VII. Obiit anno ſalutis M. D. LXXXII. Kal. Nouembris. Ei qui bene precaberis bene tibi eueniat & viuo & mortuo.

## XXXVI.

## CILINIÆ.

*Apud Gruterum pagina* 1051. *numero* 3.

C*Ilinia Campetia* H. F. in quâ fuit inimitabilis caſtitas, probiſſima verecundia, incomparabilis innocentia: perpetuâ quieſcit in pace. Quę vixit an. 18. menſes 11. dies 21.

Digitized by Google

XXXXII.

# CLAVDII DVCIS GVISIANI.

*Iouilla in Campania.*

CLaudio à Lotharingiâ, Renati Regis Siciliæ filio, Guiſę & Aumalię Duci primo, Marchioni Maynnę, Iouillę Baroni, Campanię Seneſchallo: & in eo Comitatu primùm, mox in Burgundię etiam Ducatu Proregi: magno Francię Chambellano: Gallorum Heluetiorum ac Germanorum peditum Duci: turmę centum cataphractorum Equitum præfecto: Optimo Principi, patris patriæ nomen adepto: partâ inſigni victoriâ de Hæreticis ad Sauernam Alſatiæ oppidum, & Burgundis ac Belgis ciuibus conſeruatis: immaturâ morte, magno omnium dolore & luctu extincto: Antonia vxor Borbonia marito incomparabili, & ſex filij pari pietate parenti optimè merito mœſtiſſimi P. P. Vixit annos 54. M. 5. 26. anno poſt Chriſtum natum 1550. pridie idus Aprilis.

XXXVIII.

# CONRADI CARDINALIS.

*In Eccleſiâ Clareuallenſi.*

HIc iacet Dominus Conradus, qui primò Villarienſis, deinde Clarauallenſis, poſtea Ciſtercienſis extitit Abbas, & demum Portuenſis Epiſcopus Cardinalis. Hic cum in tranſmarinis partibus moraretur, inſtantiſſimè præcepit, Claramuallem, vbi iamdudum ſuam elegerat ſepulturam, oſſa ſua deferrentur, & ibidem ſepelirentur. Obijt autem anno Domini M. CCXXVII. pridie Kalendas Octobris. *Verſus ſed hiſpidos atque inelegantes vide apud Ferdinandum Vghellum, Auberium, alioſque.*

Digitized by Google

## XXXIX.

## COR. IANSENII ET VVILL. LINDANI.

*Gandaui in D. Ioannis Baptiſtæ.*

REuerendis in Chriſto P P. S. Theologiæ D. D. Cornelio Ianſenio, & VVillelmo Damaſi Lindano primo & ſecundo huius vrbis Epiſcopis ob multos in ſcrutandis & interpretandis ſacris ſcripturis exantlatos labores, & merita in Dei Eccleſiam & Rempublicam Chriſtianam poſitum. Obijt hic 2. Nouembris 1588. Ille vero XI. Aprilis anno 1576.

*Quomodo in vitâ ſuâ dilexerunt ſe, ita & in morte non ſunt ſeparati.*

Vnicus es Phœnix? Cineres hæc tumba duorum
Phœnicum veræ Relligionis habet.

## X L.

## CORNELIO KILIANO DVFLÆO.

COnſtantis laboris & perennis induſtriæ laude ornato & amato viro. L. annis Plantinianæ typographiæ correctorem geſſit, quam fideliter, peritè, doctè ipſos rogate libros elegantiâ, nitore, famâ æternæ artis primos. Nec ſemper alienos tractauit, cùm & ſuos reliquerit; Latinâ oratione diſertus, verſificatu felix, Patriam quoque eloquentiam excoluit, cultúmque eius & proprietatem reuocauit Obijt ætate operibúſque grauis M. DCVII. ipſo Paſchali feſto.

*Refert inter Antuerpienſia Fr. Swuertius pag. 99.*

## X L I.

## ELEONORÆ BRANCIFORTIÆ.

*Leontini in choro S. Mariæ de IESV Minorum de obſeruantia teſte Gualthero pag.* 88.

MOrtis victori Chriſto Matrique eius Mariæ Virgini. Viator mane. non longa erit mora, Lege me & tace ſomnum ne rumpas. Quieſcit hic Heroïs illa Leonora Branciſortia Aragonia, familiæ ſexúſque decus, ſurget mox ea cum beatis. Tu hic merenti da violas: dic vale atque abi feliciter. Vixit annos 22 obijt. 1578.

## X L I I.

## EVGENII COLONII.

SIſte Viator & Georgio à Collen patri octogenario pro pietate tua condoleto. Sic oris vt moris probi heic conditus Eugenius è nobili Coloniorum gente apud Megalopyrgenſes oriundus; ſpes patriæ, columen familiæ, iuuentutis exemplar, dum Rheno per æſtum recreatur, vortice abreptus, in ipſo ætatis flore, in medio ſtudiorum curſu pro Italiâ, quam cogitabat, cælum adit 1558. 16. Auguſti.

Eſt & via ad cœlos, Viator optime,<br>
Si quem per vndas ſubſtrahat terris Deus,<br>
Ex angulo quouis in aſtra quid vetet<br>
Nos exilire? Sic adire me æthera<br>
Voluit Deus. Nunc tu tuas in res abi.

## X L I I I.

## F E L I C I A N I.

*Ex Apiano Gruterus p.* 1052. *n.* 8.

MIhimet *Felicianus Veronenſis* ſacrum conſt. Qui inquietus viuus nunc tandem mortuus non lubens quieſco. Solus cur ſim quæris: Vt in die cenſorio ſine impedimento facilius reſurgam.

XLIV.

FELICIÆ MINNÆ.

*Apud Gruterum p 424. n. 5. ex Paradino.*

BOnæ memoriæ & ſpei æternæ, ſpiritu quoque incomparabili *Felicia Minnæ*, Feminæ rariſſimæ caſtitatis exempli, affectionis plenæ erga omnes homines *Iulius Primitius*, Dec. CCC. Aug. Lug. coniugi incomparabili, quæ vixit an. 32. menſes 5. dies 4. ſine vllâ querelâ ſibique viuus fecit & ſub aſcia dedicauit.

XLV.

FLORI SENIS.

*Gruterus DCLXXXIV. 6.*

M L. Florus M. FL F. M. L FL. pronepos, infeliciſſ. parens afflictus præpoſteritate nat. hu. filium vn. H. cond. quem importuna mors ademit prærepsîtque ſenij baculum, cui iam defeſſa ætas adnitens perbreues annos S. S. alleuabat. Hunc ante mors adſequitur quàm triſtes lacrymæ deſeruerint.

XLVI.

S. FRANCISCI.

*Habetur poſt vitam eius in Pariſienſi operum eius editione.*

V. S C. A

FRanciſci Romani celſa humanitate conſpicui, Chriſtiani Orbis fulcimenti, Eccleſiæ reparatoris, corpori nec viuenti nec mortuo, Chriſti crucifixi plagarum clauorùmque inſignibus admirando Papa nouæ fœturæ collacrymans, lætificans & exultans iuſſu, manu, munificentiâ poſuit anno Domini M. CCXXVIII. XVI. Kal. Auguſti. Ante obitum mortuus, poſt obitum viuus.

XLVII.

Digitized by Google

# XLVII.

## FRANC. BRVLARTII AB. VALLIS REGIÆ.

STa quiſquis es, & ſpecta. Lege & luge. Cernis flebiliter atratam, lacrymis madentem, gemitibúſque luctuoſam domum. Cauſam ne require, lector! Vixit Franciſcus Brulartius Abbas Valliregius, Regum Conſiliarius, Pauperum nutricius, Artium aſſertor, Collegij fundator, Societatis IESV amantiſſimus. Hanc ei, pro Collegio quod viuens erexit, mortuo eiuſdem Collegij Societatis IESV Alumni mœrentes ac lugentes Domum Luctus in terris poſuêre, dum æternam in cælo Beatitatis manſionem Cælites reponunt.

Morare, Hoſpes & mirare. Docent cætera marmora quis quantúſque fuit ille quem mortuum condunt. Sed quoniam omnis homo vmbra eſt & nihil; ego docebo, quid non fuit Franciſcus Brulartius quem heic ſepultum abſcondere nequeo. Non fuit Carnutenſis Epiſcopus, non fuit Comes Catalaunenſis, non fuit Dux Laudunenſis, non fuit Antiſtes Remenſis, non fuit Primus Franciæ Par, non fuit ſedis Apoſtolicæ Legatus natus: Quia id totum eſſe conſtanter recuſauit. Diſce, Hoſpes! ex eo, quod non fuit, quis quantuſque fuit. Precare hunc cælo recipi, & ſimilem vnum poſt mille annos terris reddi.

Adſta, Viator! & ſpecta, quod nec hactenus orbis vidit, nec fortè poſthac videbit: Hic ſitus eſt qui multis ante mortem annis vixit ſine cenſu annuo Vir Nobilliſſimus, quia Pietas abſumpſit:

quemunere publico Vir Prudentiſſimus, quia humilitas abnuit : ſine Eccleſiaſtico Sacerdotio Galliæ Cancellarij frater, Franciſcus Brulártius Abbas olim Valliregius, quod Dei priuatæque vitæ amore abiecit. Marmor marmori loquor, niſi tanti Viri Manibus bene appreceris. Hoc te volebam. Abi.

Pijs Manibus ſacrum. Huc ergo, Viator, oculos, non manus: Nam Theſaurus hoc in loco latet, in quo iacet gemma Præſulum Fr. Brul. Abbas olim Vallir. qui cor habuit in amicos inimicosque charitate aureum : pectus rebus in aduerſis conſtantiâ adamantinum : manus in pauperes Deique cultum liberalitate argenteas : ſenſum in res caducas ſtudioſo frigore marmoreum : corpus in morbos (vno ferè excepto) ſanitate æreum & totum venerando candore eburneum. Terræ conditus eſt heic Theſaurus VI. Nonas Nouembris anno M DC XXX

Sta Viator. Hîc tibi mors prælidit, dum vitam ludis Diſce, quod ſcire proſit, Moriendum. Obijt Fr. Brul. Ab. Vallir. vir majorum gloria, Fratrum amplitudine, familiæ ſplendore nobilis, at ſua etiam virtute illuſtrior. Vixit annos LXXX. ſi tempus attendas, multum; ſi pauperum vota, parum : ſi moriendi neceſſitatem, ſatis : ſi virtutes & merita, abunde : Diu vixit qui Deo ſemper vixit. Viuens Franciſcus honorum fuga, deſpicientia diuitiarum, liberalitate in pauperes beneficentiâ in omnes, cælo terriſque gloriam ſibi peperit : oblatas repudiauit infulas, legatus Regem offenſum Remenſibus placauit. nobile Soc. Iesv Collegium erexit, verè dignus æternùm viuere Brulartius. At Parca nemini parcit; mors cuique

certa, mora incerta, ſerius ocyus fato concedendum: præit ille, nos ordine iuſſi ſequemur omnes. Quid luges, lector? lacrymas fundi oportet miſeris, non beatis. Viuit Franciſcus in cælo, cælo illatus virtutum alis, hominum precibus, indigetum votis, indiges ipſe Brulartius. Tu ſi ſortem æmularis & præmia, virtutem æmulare & merita. Vale & cælo viue.

*Plura vide in Academicis Parentalibus à Collegio Remenſi Soc. IESV perſolutis anno MDCXXX.*

## XLVIII.

## FRANCISCI DE SALES GEBENNENSIS Ep. Anniſſiaci in B Mariæ.

QVisquis ad hunc tumulum proſtas, Sta, Attende, Venerare, Mirare, Profice. Sta, ad nobile monumentum palmis, oleis, lauris inumbratum. Attende ad Antiſtitis noſtri omnium ſenſibus, vocibus, lacrymis, præconijs verè Magni Franciſci De Sales depoſitum diues: quem immatura morte raptum, alienis ereptum, ſuis redditum, cælo reddendum, hic mœrentes filij colunt. Venerare in hoc depoſito præclarum Eccleſiæ lumen, Fidei columen, Præſulum paradigma, Patrum ſupparem, Doctorum arbitrum, Deuotionis Magiſtrum, Præconem Apoſtolicum, Scriptorum Philotheum, Theotimum, nouatorum nouatorem, nutantium firmatorem, virtutum ſpeculum, Principum delicias, populi amores. Mirare tot ornamentis hominem de cælo lapſum, Angelum apotropæum domeſticum Deum, omnium luctu, omnium ſolatio ſubductum. Profice, ſi cælum cogitas, cogita tanto lumine præ-



Digitized by Google

luſtrem. Interim Parthenijs eius oſſibus & cæleſtes ſpirantibus odores, ſparge lilia & roſas. Obdormiuit in Domino Lugduni die 26. menſis Decembris, anno 1622.

## XLIX.

### FRANCISCI TOLETI S. I. CARD. Romæ in S. Mariæ Majoris.

D. O. M.

FRanciſco Toleto Cordubenſi S.R.E. Preſbytero Cardinali, ſummo Theologo, Verbi Dei Prædicatori eximio, in rebus magnis agendis conſilio & prudentia ſingulari, qui ob excellentem virtutem & merita præclaro Clementis VIII. Pontificis Max. iudicio primus in Societatem IESV ampliſſimam dignitatem intulit. Vixit annos 73. menſes 11. dies 10 Obijt anno 1596. die 14. Septembris Sancta Dei Genitrice herede inſtitutâ, Preſbyteris, qui ad eius altare Miſſas celebrant, cenſum perpetuò attribui iuſſit. Benedictus Iuſtinianus & Petrus Aldobrandinus Cardinales Executores Teſtamentarij Collegæ optimo, Capitulum & Canonici huius Baſilicæ Viro Ampliſſimo & optimè de ſe merito poſuerunt.

## L.

### FRANCISCI TVRNONII CARD. In Templo Collegij Turn. S.I.

D. O. M.

ÆTernæque Memoriæ Franciſci à Turnone Epiſcopi Oſtienſis, Sacri Cardinalium Collegij Decani, Eccleſiæ Lugdunenſis Antiſtitis-

Galliarum Primatis, qui poſt impenſam Chriſtianiſſimis Regibus Franciſco I. Henrico II alter quoque Franciſco, poſtremùm Caroli IX maximam in rebus per annos L. felicem ac memorabilem operam, poſt procuratas ſingulari fide & non mediocriter auctas Regum populíque Gallici maximas vtilitates, poſt ſæpe compoſitos pacificatóſque grauiſſimos & periculoſiſſimos bellicorum diſſidiorum æſtus, poſt conciliatos, quoties res tulit, ſummorum Pontificum & magnorum Principum animos, poſt aſſertam inuictâ animi conſtantia aduerſus Hæreticorum tumultus Catholicæ doctrinæ veritatem: denique poſt exhibitum in omni vitæ parte præclarum integerrimum ac pientiſſimum Pontificis ſpecimen, extructo hoc lapide quadrato Gymnaſio, ſapientiæ pietatíſque Academiâ inſtitutâ & Societatis IESV curæ perpetuò tradita, Deo Optimo Maximo tot bonorum auctori animam piè commendauit ac reddidit anno Chriſti 1562 10 Kal. Maij, ætatis ſuæ 72. apud Sanctum Germanum in Layâ.

*Non quæ ſuper terram.*

## LI.

## FRANCISCI DE LA ROCHE-FOVCAVD S. R. E. CARD. EMINENTISSINI

### Elogium Sepulcrale.

*Auctore Petro Calloüet S. I*

HVc queſtus Roma: huc lacrymas Gallia: huc ambæ vota, vbi iacet maximo omnium dolore depoſitus *S. R. E Cardinalis* FRANCISCVS DE LA ROCHEFOVCAVLD: Quem cælum annos ſeptem ſupra octoginta terræ commodatum repetijt; terra diutiùs retinere non potuit.



Digitized by Google

Quiſquis verò legis, attende, nonquid Viri tanti modeſtia voluerit, ſed quid meritis inſignibus debeatur.

Datus hic à Deo fuit in ornamentum Eccleſiæ, in exemplum Præſulibus, Clero in Oraculum, Pauperibus in ſolatium, in præſidium Ordinibus Religioſis, Verbo vno natus alijs magis quàm ſibi.

Eius non vitæ potiùs finis quàm initium prædicari iure poteſt: par ſanctitas in vtroque: ita ſuus ſemper & ſimilis ſui, complexus in ſe eſt virtutis indolem, Dei conſtantiam. Tres apud Galliæ Reges gratioſus, omni procul oſtentatione vixit: Religione in aula eximius, doctrinâ conſpicuus, modeſtiâ clarus, comitate amabilis, liberalitate magnificus, innocentiâ homine maior: in cunctis re veriùs quàm dignitate *Eminentiſſimus*.

Obſcurum nihil in eo, cuius vel ortum illuſtrauit Inculiſmenſium primaria apud Aquitanos Nobilitas. Carolus Randani Comes Pater huic fuit, Mater Fuluia Pica, Mirandulæ Principis filia: dubium parentéſne filij, an filius parentum major longè gloria. Pariſijs, Orbis in theatro, ſuſceptus in lucem FRANCISCVS eſt, ſecundo quinque inter liberos loco, nulli ſecundus meritis.

Politiores litteras, Philoſophiam, Theologiámque ipſam ſacram, quibus & dignitates ſuas exornauit, & mores, non alio è fonte hauſit, quàm è Collegio Claromontano: alumnus primùm Societatis IESV, alter poſtea Parens. Cuius vt defenſor foret quantopere poſſet æternus, qui viuere æternùm non poterat; *Cor ſuum*, Beneuolentiæ pignus, amoris conſtantiſſimi ſedem-

fontem vitæ, legauit ipſi moriturus ſic tamquam Murum aduerſus hoſtium impetus inuictiſſimum, propugnaculum aduerſus inuidiam ſacroſanctum.

Quas diu expectare alij ſolent, hunc ſacræ expectauerunt infulæ, dignum ante ætatem omnibus. Aſcitum iam Regiæ ad Capellæ Præfecturam ſummam Rex Galliarum HENRICVS III. Ne quid *Clari* adeò ſideris deperderetur de lumine, ſi populis aliunde, quàm è *Monte* præluceret, *Claromontis* apud Aruernos nominauit Epiſcopum.

Turbatâ pro Religione Galliâ, Deo vni non tempori ſeruijt; nec fluctuantem tranſlatitio, vt multi, ingenio præ ſe tulit fidem, ſed inconcuſſus conſtitit Catholicæ: quam ſummo Chriſtiani orbis gaudio amplexus cùm primùm ipſe eſt HENRICVS IV. Fortitudinis non maioris quàm iudicij Princeps, tantò deinde pluribus Antiſtitem Claromontanum ornare ſtuduit beneficijs, quantò ſibimet antea alieniorem nouerat, fideliorem erga Religionem.

Illum adeò ſancti Spiritus Equitum Ordinis *Commendatorem* creaſſe parum viſum eſt Principi magnifico, niſi *Romanam* eidem *Purpuram* accerſeret. Hanc ergo enixè depoſcere, hanc precibus vrgere; quibus vltrò victus PAVLVS V. Pontifex Maximus, Renuntiat FRANCISCVM CARDINALEM. Eò quidem glorioſiùs, quòd ad ſumma nobilitatis virtutiſque merita, ipſius etiam, cui reconciliatus fuerat Epiſcoporum Galliæ vltimus, *Europæ Arbitri* ſuffragium acceſſiſſet.

Quæ fuerunt ſacri Antiſtitis officia, omnia ſemper ſic præſtitit, vt diſſitam longiùs Diœceſim

Claromontanam, cùm minùs poſſet Regijs diſtentus imperijs, eâ, quæ foret opus curare diligentiâ, cum Siluanectenſi continuò commutauit: vſque adeò Paſtorem vocari, nec eſſe tamen, ducebat religioni.

Componendis porrò rebus Eccleſiaſticis Galliæ, ab Rege Romam mittitur Cardinalis; ſelectus ad id vnus ex omnibus admodum fortunate: quò Religionis Arci Romæ, quæ neminem præter ſanctos laudat, vitâ ipsa & moribus probaret omni ſe famâ & opinione ſânctiorem.

Vt primùm verò aduenit illuc, Congregationibus ſancti Officij, Epiſcoporum, & Regularium addicitur à Pontifice ſummo: quod in munus pariter atque Galliæ res ſic ſe totum animo & corpore contulit, eáque integritate virtutis, dignum vt iam tunc exiſtimarint plurimi qui daret Eccleſiæ leges aliquando; Romáque tota, quod mortuis paucis, viuo adhuc nemini contigit, ipſam ante mortem *Cardinalem ſanctum* pronuntiarit, anticipato præconio.

Non alium vnquam Francia *Protectorem* ſui Romæ vigilantiorem elegit, vel incorruptiorem iſto: Sed tanto locorum interuallo diutius abeſſe non eſt paſſus, præſentis conſilio & operâ indigens LVDOVICVS XIII. Quem idcircò reuocauit Româ, Vt ſuſcepti non multò antè Regni res omnes, cùm eruditâ ſapientiâ, tum ſingulari auctoritate ſtabiliret.

Redierat ille vix, cùm in Comitijs toti indictis Galliæ, pari, quo ſideribus reliquis ſplendore præſtat ſol, præſidere viſus eſt Eccleſiaſtico Ordini. *Feliciſſimum Cardinalem!* Qui ſubleuatâ multorum inopiâ felices multos fecit: *Ditiſſimum!* cui

Digitized by Google

opes creuerunt liberalitate; quippe qui pro facultatibus plura dedit, quàm debuit, pro affectu pauciora: adeóque ne vitæ quidem horam prope vllam perdidit, qui nullâ propè alicui gratificatus non fuit: hinc factum reipsâ priùs vt eſſet, quàm vocaretur, *Eleemoſynarius Galliæ Maximus* Quâ & dignitate, debitâ iamdudum beneficæ indoli, cùm inſignitus tandem poſtea eſt *ab Rege Iuſtiſſimo*. Vbicumque fuit, ibi locum cœpit beneficijs quærere: ac ne alijs aliò curis auocaretur, Siluanenctenſi idcircò Eccleſiâ abdicauit ſeſe; tantundem nouo eleemoſynæ genere largitus pauperibus, quantum eorum causâ de ſuo remitteret. Lvdovici XIII *Reginæque Matris* abalienatos paulò nimiùm animos, pietate non maiori, quàm felicitate reconciliauit ſuſpectus neutri Pacificator: procuratóque induſtriè mutuo Turonibus congreſſu, bonis gaudium reddidit, tranquillitatem Regno, Filio Matrem.

Regio demum Conſiſtorio præfuit *Princeps* creatus *Conſi ij*: quam dignitatem nemo ei inuidit, qui merita attenderet. Quamquam Virum tantum inuidit, propè Galliæ Roma, cùm Gregorii XV. Pontificis Maximi mortui cogitauit dare locum Rvpifvcaldo: Atque haud ſcio an dediſſet alteri, ſi præſentem iſtum habuiſſet; qui vel abſens, ſuffragia tamen vndecim ad Eccleſiæ regimen obtinuit.

Tantos adeò per honorum gradus dignitatéſque varias, ſeneſcente numquam nominis famâ ſenectutem adeptus quàm illuſtrem, tam venerandam, alia quibus ſe probaret vixiſſe diu, præter ætatem habuit argumenta: nec feliciùs ideò cæteris vixit, quia diutiùs; ſed quia ſanctiùs.

Reuocandorum primam ſuam ad Regulam Religioſorum Galliæ Ordinum commiſſa huic ab Sede Apoſtolica poteſtas, argumento fuit neminem eo in Gallia iudicari religioſiorem. Cùm verò S. Auguſtini Regulares Canonicos vnam in domum conuocatos tanquam in tyrocinium legibus nouis informauit ad ſanctitatem alterum ſe toti Galliæ probauit *Auguſtinum*.

Oblatas vltrò plures ab Regibus dignitates Eccleſiaſticas recuſauit conſtanter, nec vllam ſibi vnquam verbo nutuve depopoſcit. Non ille in veſtibus cultum clariorem quæſijt, qui ſericas geſtauit nunquam; neque Præſules inter enituit tantùm Purpurâ, quantùm Religione. Ædes non ſibi, ſed ægris pauperibus extruxit magnificas. Ac ne impartitæ cuipiam ſemel finis eſſet miſericordiæ, magnificis ijs ædibus excipi voluit *Inſanabiles*.

Sic vixit, ſic eſt mortuus Cardinalis Rvpifvcaldvs. Moriturus nunquam, æternùm victurus Religioſis in Ordinibus, quibus primum ſplendorem reſtituit: in Noſocomijs liberalitate eius inſigni conſtructis: hoc in Templo, cuius parietes ipſi, æra, marmora, gemmæ, totidem ſunt monumenta Magnificentiæ.

Tu quanto honore Tumulus hic dignus ſit, exemplo diſce publico, & venerare.

## LII.

## FREDERICI SPINOLÆ.

## D. OPT. MAX SACR. ET MEMORIÆ

Sequentis æui

POlyxena Grimaldi primarum princeps hîc lumen tuum alterum, hic Genuæ decus immortale, amor ſimul atque honor Fredericus Spinola

poſt fata quieſcit. Qui dum virtutem ſequitur in excelſo ſitam inuiâ ad gloriam graſſatus eſt viâ; cujus maſcula mens, eruditio elegans, gnaua fortitudo, poſteris æmulanda, inuidenda antiquis parem non habuerunt. Liberalitate exprompta, læto lepidóque ingenij vigore obligauit ſibi publicè omnes, priuatim ſingulos. Cui viuenti Neptunus vterque vltro Tridentem ſubmiſit ſua ſceptra, viditque inferiorem ſe mortali, nec inuidit: miratus in corpore humano impauidum pectus contra decumanos fortunæ fluctus ad extrema conſtans. Flandrorum ſaluti poſthabuit ſuam, pro Morinis non timidus mori, VValachirâ omni obſtupente. Flores Mater non lacrumas ſpargo M.DCIII. XXVI. Maij. *Victor ſuper aſtra triumphet.*

## *Aliud.*

DEo Sacratam atque æternitati Friderici Spinulæ Philippi F. Ambroſij Fratri, inclytæ ſtirpis, ingentis animi viri: Qui domi cùm inertem odiſſet quietem, belli apud Belgas gloriam meliori virtute quàm fato deſeruit atque aſſecutus eſt. A maximo Philippo Hiſp. Indd. Rege potentiſſ. Morinorum claſſi præpoſitus, dum MDCIII. VII. Kal. Iunij acriter atque animosè, cum hoſtibus nauali prælio certat, dignam ſe factiſque atque Ambroſio fratre ſtans, aduersóque pectore mortem excepit, Regi, Principibus, totique Belgarum populo dolore inflicto, deſiderio relicto maximo. Sic abiſti heu! patriæ, imò Europæ futurum decus.

## LIII.

## GABINIÆ GAVDENTIÆ.

*Romæ in vetere S. Petri Baſilicâ*
*Refert Sirmondus ad Sidonium.*

GAbinia Gaudentia H. F. in qua fuit inimitabilis caſtitas in probiſſima verecundia, incomparabilis innocentia perpetua. Quieſcit in pace: quæ vixit an XVIII. m XI. d XXI. Vartus Victor conjugi B M. D. XII. Kal Augusti.

## LIV.

## GENOVEFÆ RVXELIÆ.

*A Ioanno Ruxelio Cadomenſi.*

GEnouefæ Ruxeliæ virgini honeſtiſſimâ familiâ natæ, incredibili quadam ingenij gloriâ, eximia & prope diuina in Poëticis & Muſicis facultate, virtute, conſtantia ſingulari, ſuauiſſimis moribus, pietate ſumma, liberali formâ, inſigni pudicitiâ præditæ: quæ cùm annos XXIV. nata eo vſque à nuptijs abhorruit, vt ad eas nullis amicorum precibus, nullâ procorum commendatione inuitari poſſet, cúmque iam animum à rerum humanarum cogitatione ad cæleſtis ſapientiæ ſtudium traduxiſſet, repentè veniâ prius delictorum petitâ in matris cariſſimæ complexu extremum vitæ edidit ſpiritum. Ioannes Ruxelius patruus multis cum lacrymis poſuit idibus Iunij M. D. LXXV. à Chriſto nato

Vixiſti *Chriſto*, vixiſti virgo, *Camœnis*:
Teque vetat *Chriſtus*, téque *Camœna* mori.

Digitized by Google

## L V.

## GODEFRIDI BVLLONII REGIS HIERɫ

*Inſcriptum eius ſepulcro in ſacello S. Ioannis Euang in monte Caluariæ.*

HIc iacit inclytus Godefridus de Buillon, qui totam iſtam terram acquiſiuit cultui diuino, cuius anima requieſcat in pace. Amen. *Vide Villamontij itinerarium libri II. cap. XXI. Quod autem & Adam in eadem loco fuerit ſepultus docet & inter alios S. Hieronymus epiſtolâ ad Marcellam his verbis*: In hâc verbe, imo in hôc tunc loco, & habitaſſe dicitur & mortuus eſſe Adam, vnde & locus, in quo crucifixus eſt Dominus noſter, Caluaria appellatur: ſcilicet quòd ſit Antiqui Hominis Caluaria condita, vt ſecundi Adam, id eſt Chriſti, Sanguis de Cruce ſtillans primi Adam & iacentis Protoplaſti peccata dilueret, & tunc ſermo ille Apoſtoli compleretur: Excitare qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus, &c.

## L V I.

## GVILLELMI SIRLETI CARD.

*Romæ in S. Laurentio in Paniſperna.*

GVillelmo Sirleto, Card. Stili in Calabriâ nato, huius Eccleſiæ Preſbytero, ſedis Apoſtolicæ Bibliothecario, Hebraïcæ, Græcæ, Latinæque linguæ peritiſſimo, humanarum diuinarumque Diſciplinarum ſcientiâ claro, eruditorum & pauperum patrono ac parenti beneficentiſſimo, ob probitatem eius pietatémque ſingularem à Pio IV. Pont. Max. ſacro inſtante Collegio Cardinali creato Vixit annos LXXI. Obijt anno M. D. LXXXV.

Digitized by Google

## LVII.

## HADRIANI IVNII.

*Middelburgi in Zelandiâ.*

D. O. M. S.

HAdriano Iunio Hornano, Philoſopho, Medico & Poëtæ celeberrimo, Batauiæ Hiſtorico fideliſſimo, cuius in omni diſciplinarum genere exquiſita eruditio, ſingularis induſtria, infinitæ lectionis præſtantia, multiplex linguarum ſcientia pari conjuncta comitate, doctorum omnium admirationem laudémque meruit: poſt varia incomparabilis ingenij monumenta quibus æternam ſibi memoriam comparauit, ſub hoc marmore condito Patri optime de ſe merito Petrus Iunius mœſtiſſimus pietatis ergò P. C. Vixit annis LXIII. Obijt XVI. ſibi cognominis menſis. Anno Salutis Chriſtianæ M D. LXXV.

*Iunius hic ſitus eſt: vltrà ne quære Viator,*
*Oculiſque ſat debere te tuis puta,*
*Tam magni ſpectare viri queis contigit vrnam.*
*Oculi ô beati, ô verè ingens ſpectaculum!*

## LVIII.

## HENRICI VVENI PVERI.

*Antuerpiæ in D. Iacobi.*

IN hoc ſepulcro haud pulcro pulchellus infans dormit *Henricus Henrici VVeni* magni Conſilij Senatoris filius: quem puerum mox crudelis Parca fecit ſenem, maluitque ſuperis quam hominibus diu iungi Præiuit ille, lector, ego túque ſequimur: mortalitatis vitare legem nullus qui viuit poteſt. Ergo faue Lector, & innocuæ

huic animæ bene feliciter apprecare. Deuixit annos IX. Obijt anno à Virginis partu M. DCIV Idibus Iunij *Henricus Vuenus*, Senator ordine naturæ turbato filio pientiſſimo mœrens P. ſubſcribente altero filio Georgio S. P. Q. A. à Secretis.

## LIX.

## HIER. OSORII ALGARBIORVM EP.

*In regno Luſitaniæ.*

HIeronymus Oſorius Algarbienſis Epiſcopus verè pius, Diuinæ gloriæ valdè ſtudioſus, Chriſtianæ religionis propugnator inſignis, excellens Theologus, in ceteris diſciplinis non mediocriter eruditus, poſt Tullium Romanæ eloquentiæ Princeps, patriæ ſuæ decus, cuius vtilitatem ſuis rebus ſemper prætulit, veritatis amator, timoris & ambitionis omninò expers, veræque gloriæ cupidus ſeptuageſimo quarto ætatis ſuæ anno ſalutis humanæ 1580. Auguſti menſis die 20. obijt.

## LX.

## IACOBI CANAII I.C.

*Auctore Petro Pithœo.*

IAcobo Canaio Pariſienſi I. C Clariſſimo. Qui poſt adoleſcentiæ annos iuri diſcendo, docendo in nobiliſſimâ Biturigum Cuborum Academia Andrea illo Alciato Duce & Antéceſſore ſedulo impenſos; ſubortis inter Chriſtianiſſimum Regem & Heluetios fœderatos controuerſijs dirimendis arbiter addictus, demum in ampliſſimo Francorum

Senatu per annos propemodum quatuor & quinquaginta cauſis agendis, ſcribendo, cauendo, reſpondendo, integra fidei, probitatis, prudentiæ, iudicij, doctrinæ apud omnes ordines fama ſummam nominis gloriam conſequutus, tandem octuagenarius animam Deo B. F. reddidit pridie Nonas Februarij anno CHRISTI MD. XCIII. Magdalena filia vix heu reliqua, Philippo fratre, Suſannâ & Maria ſororibus cariſſimis motuum pluſquam ciuilium turbine à communi parente diuulſis, poſt cetera omnia pietatis officia, quæ virgo potuit debuitque viuo ac moruo religioſè præſtita patri optimo, ſanctiſſimo, dulciſſimo, incomparabili hunc etiam ſupremum tituli honorem non ſine lacrymis P. C.

M. P P. Q.

Conditur examinis tumulo Canaïus iſto
Magna Palatinæ gloria militiæ:
Hoc etiam major quod primus & vltimus idem
Se dignum haud liquit quem probet Ordo Ducem,
Vixiſti magni ætatem, Canæe, Senatus,
Quid mirum ſi ambos vna ruina rapit?

LXI.

IACOBI CVIACII.

*Auctore Petro Pithœo.*

IAcobo Cujacio V. C. Toloſæ illius, dum quondam Palladia fuit, alumno ſubcineritio, heredique ex aſſe poſtumo Romani iuris à ſummis conditoribus interpreti primo & vltimo, cui quidquid puræ natiuæque lucis ei ſcientiæ vndecumque acceſſit, ætas ſua habet, poſtera etiam ſi quæ legum cura manet debitura eſt, P. Pithœus P. F. Doctori bene de ſe, bene de literis omnibus

bus merito M. P. Vale Cujaci nos te ordine, quem Deus & natura iuſſerit, iuncti ſequemur. Deceſſit IV. Nouas Octob. Annos natus P. M. LXIX. anno CIↃ. IↃ. XC.

Nec te artis fugit morientem gloria Iuris,
Ius fuit auctorem Iure cadente mori.

*Aliud.*

Cujaci Themidiſque vides commune ſepulcrum;
Conduntur ſimul hic qui periere ſimul.

LXII.

IACOBI PERRONII CARD.

*In Cathedrali Senonum.*

IAcet hic quod claudi potuit Iacobi Dauy Peronij, qui S.R. E. tit. S. Agnetis in Agone Preſbyter Cardinalis, annos quaterdenos Archiepiſcopus Senonum, Galliarum & Germaniæ Primas, Magnus Franciæ Eleemoſynarius duodenos, inter homines mortales ternos & ſexagenos mortalis homo vixit. Mortalis eſſe deſijt Nonis Septembribus anno Chriſti Domini 1618. At viuet poſthac æternúmque apud omnes gentes atque nationes gloriâ immortalis quam ex hæreſi toties reportatæ victoriæ, acta in Italia Franciaque conſtituendis ac confirmandis Eccleſiæ nutantis rebus felicia iuxta & præclara, Libri denique quos plurimos atque diuiniſſimos incomparabilis ingenij clariſſima monumenta reliquit, ei meritiſſimo pepererunt.

Pariſijs in Templo S. Ludouici S. I.

Iacobi Dauy S.R.E. Card. Perronij Senonenſis Arch. Gall. & Germ. Primatis, Magni Franciæ Eleemoſynarij Tanti COR Viri tantillo iacet in loco.



Digitized by Google

## LXIII.

## IACOBI SADOLETI CARDINALIS.

D. O. M.

IAcobo Sadoleto Epiſcopo Carpentoractis S. R. E. Preſbytero Cardinali, Viro morum grauitate, prudentiâ, & vitæ integritate præſtantiſſimo, doctrina & eloquentia cum ijs quos mirata eſt antiquitas comparando, Paulus Sadoletus Epiſcopus Carpentoractis & Camilllus Sadoletus Fratrum filij mœſtiſſimi multis cum lacrymis Patruo B. M. pro tempore poſuerunt. Vixit annos 70. menſes. 3. dies 6.

## LXIV.

## IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI.

*Incerto Auctore.*

DVbium valdè, cælúmne hîc ſit, an ſolum; mortiſne tumulus an vitæ cumulus; Sacrâ namque hâc humo latet Deus-Homo, mors hîc ſepulta iacet, vita ibidem in triduum tacet. Hîc Chriſtus vitæ gaudia, mortis odia, qui nimio tui amori morem gerens è cælo deſcendit, in cælum vt aſcenderes: hîc morte cecidit, mortémque cecîdit, vicit victus; atque adeò vitam ſuâ nobis dum morte emit, mortem ipſam peremit, injuſtè iuſtus morti damnatus morte damna parata reparauit, parentiſque noſtri, æterni Dei iuſſis non parentis, Adami ademit culpam inculpatus, furtúmque eiuſdem duos inter fures vt tulit, ſuſtulit. Quin clauis cruci affixus expirauit, fixam vt vitam ſpirares, & vitâ mortem peccati ſortem vitares, ità vt ſola vnius mors Chriſti tua ſit & omnium, morte inuitâ, vita; vnius interitus cunctis bene viuendi ritus. Crucis dedecus vni-

Digitized by Google

uerſorum decus, & vt paucis, Chriſti claui cælorum claues. Tu verò ſi Chriſtianus, quem amor è cælo elicuit Chriſtum elige; ſi colis, dolores recole; & qui patrem in cælis exorauit, in terris adora; quin in Crucem ſequere, quem in cælis aſſequare. Sic pulcrum hoc Chriſti Sepulcrum erit in terris cælum, & in cælis ſolum, tibique à mortis faucibus erepto mors dabit vna Deum, quem dedit vnus amor.

## LXV.

## IOANNÆ DARCIÆ PVELLÆ.

*Aurelianenſis immortali memoria.*

*Ad Ligerim in ponte Aurelianenſi*

*A Nicolao Rigaltio.*

PVellæ viragini Ioannæ Darciæ, Domnoremig. in Tullenſibus Leucis natæ. Quod eius ductu ac diuinitatis inſtinctu Carolus VII. Aurelianum liberauerit, & rem Galliæ publicam debellato hoſte perniciosiſſimo reſtituerit, Magiſtratus P. Q. Aureli C. V. F. C. Sciant perduelles pro Franciæ Salicæ tutelâ feliciter armari etiam fœminas.

Gallia terribili multum vexata Britanno
　Ecce puellari ſtat reparata manu.
Numen in hâc refugas puppes ſenſiſſe puellâ
　Iuraret Tameſis: ſed premit ora pudor.

*A Iacobo Gutherio Patr. Romano.*

D. O. M. Quas olim bonas preces precatus eſt Karolus VII. Rex Chriſtianiſſimus, eaſdem lubens merito tu qui properas, iterare propera: Vti volens propitiúſque regni huius libertatem & ſalutem deuictis æternùm hoſtibus tuetur, Gallis omnibus erga Principem det gloriam obſequij, aut maturam & ſine morâ pœnitentiam. Túque Regina, Virgo Regni, Vrbis, Orbis cuſtos certiſſima



Digitized by Google

quæ difficillimis temporibus Galliæ præſto adfuiſti, adſis ipſa etiam nunc, preceſque bonas tuis potioribus iterum adjuua, Aue, & Faue.

Karoli VII. Francorum Regis inuictiſſimi. Qui hac tranſis, vultus effictos venerare qui Viuos olim hoſtes terruerunt. Ille rebellione ciuitatum penè omnium & procerum paternâ domo ejectus, ab hac vrbe fidiſſimâ exceptus, Dei Opt. virtute & ſuâ, queis ſolis Gallorum imperium continetur, tam de Burgundo quàm de Britanno, & omni eorum factione iuſtis Galliam vltus eſt armis. Nullum hac in virtute fortuna aut fatum ius ſibi vendicant, quæ aduerſa tunc erant. Vicit fortunam prudentia, pietas fatum. Hæ Francorum Reges vtrique inuictos reddunt.

Ioannæ Darciæ. Armatam Virginem quiſquis intueris non ſexus verecundiam ſed miraculi magnitudinem cogita. Hæc eſt Ianæ Darciæ Aurelianenſis puellæ imago quæ abs exercituum domino militiam edocta Anglorum copias de Gallis triumphantes vbique fudit, fugauit, & Karolo VII auitum Imperium reſtituit. Hoc Galliarum fatum eſt, vt noſtrorum Principum auſpicijs labantes res aut afflictæ Feminarum illuſtrium factis conſultiſve feliciter reparentur.

*A Nicolao Bergerio Remo.*

Sta & lege. Viator, plurimum hic pretium moræ. Carolus VII. apud Bituriges in anguſto poſitus, reliquâ ditione occupatâ: Aureliâ obſeſſâ: ſi iure non injuriâ pro regno dimicaret, vt regno vti frui daretur, Kal. Nou. tacitas ad Deum fundit preces: quas Mariæ precibus ratas Iana puella diuinitus præſciuit, prædixit; vrbem obſidione gentem internecione liberauit. In rei bene geſtæ

memoriam, Carolus annuas ſupplicationes inſtituit; ſe puellámque Filio, Matrique ſupplicantes ex ære ſtatuit: vt ſcires in rebus deſperatis ſupplicandum, non deſperandum.

Perennitati. Quiſquis es qui ſtatuas fuſiles ſed ſtabiles, Ligeri fluenti ſed manenti ſuper impoſitàs ammiraris, diſce hinc, ſi neſcis, Francorum regno, fatis datam æuiternitatem: hanc Lex Salica firmat, inſtinctu diuinitatis lata: Quæ, vt vides, Rege ſupplicante, Màriâ ſuffragante, Deo annuente, ad regni perennitatem pro maribus, etiam feminas armat in feminas

D. O. M. & Ianæ Arxeæ Iacobi F. Virgini pijſſimæ, Caſtiſſimæ, Bellicoſiſſimæ Dumnoremagio in Leucis, quà Franci ſunt, oriundæ; Quòd eius ductu Genabum obſidione liberatum, vrbes captæ aut receptæ, Angli fuſi fugatique, Carolus VII Durocortum Remorum perductus, ibique feliciter inunctus ſit; S. P. Q. Aurel. iubente Rege, omnium ordinum votis obſequentibus, in perpetuam rei memoriam H. M. D. C. A. S. M.CCCC, LIIX.

*Ab Antonio Oiſelio.*

ISTic perſta Viator. Hic enim quondam Francorum Anglorúmque dubia fortuna ſtetit ... rùm D. O M benignitate, Virginis Mariæ ... ctu, Virginis puellæ manu; Sic Francorum ... rediјt atque recruduit, Anglorum abiјt atque ... cuit: vt Karolus VII. Rex non modò in ... num Regnum, ſed etiam in auitas pro... ſedes tamdem ſit reſtitutus.

*Ab alio.*

IOannæ Darciæ Virgini ſine exemplo innoc... tiſſimæ: Cui nemo auſus eſt maledicere ...

contra quem ſtetit, Virtute omnibus retro memorabili, quæ militans liberauit obſidione Aureliam, Anglos ſubegit, multis victorijs feroces coërcuit, Galliæ proſtratæ difficillimis temporibus ſubuenit, & illius æternitati conſuluit: Rex Chriſtianiſſimus ſociæ bellorum & victoriarum hanc ex ære ſtatuam habitu militari conlocari voluit, vtque S P. Q. Aurel. Heroinæ nomen ad memoriam æternæ gloriæ annuâ veneratione celebraret.

*A Ludonico Dorleans.*

Quò ruis, &c. quæ omitto.

## LXVI.

## IOANNIS ALBASPINEI EP.

DEo Opt. Max. & memoriæ æternæ IOANNIS ALBASPINEI VR. qui poſt Senatoriam dignitatem in ſuprema regni Curia per aliquot annos ſumma integritate geſtam virtutis pietatiſque meritis primùm ad Lemouicenſem, deinde ad Aurelianenſem Epiſcopatum promotus, Principalis etiam conſiſtorij ſub Henricis III. & IV. Regibus Chriſtianiſſimis Conſiliarius adſcitus, demum à ſuæ diœceſeos clero delectus, vt indicto Eccleſiæ Gallicanæ Conuentui intereſſet Lutetiæ magno omnium mœrore deceſſit VII. Kal. Martij anno Chriſti M D. XCVI. natus annos XXXIX. Menſes X. N.. Albaſpineus frater & N.... Albaſpinea ſoror fratri cariſſimo in ſpem reſurrectionis P. C.

## LXVII.

## IOANNIS BAPT. VILLANI.

*Neapoli in S. Laurentio.*

IOannes Baptiſta Villanus quam viuus nequiuit mortuus inuenit requiem. *Perſimile huic addimus*

Quiſquis es, hoc te ſepultus rogat, ſua ne moueas

ſeu inquietes oſſa; vt qui viuus numquam quieuit, ſaltem quieſcat mortuus.

LXVIII.

IOANNIS BEYERLINCK.

*Bergæ ad Zomam in Eccleſiâ S. Gertrudis.*

VIator adſta, & quæ in rem tuam ſient, vide. Ioannes Beyerlinck ciuis & huius vrbis patricius, in quâ non vnum munus cum laude obiui, te hîc expecto. Fui, præiui, nunc es, præibis quoque alios. Sic omnes cogimur Abi, & mihi id adprecare, quod optaueris tibi: Obijt anno ſal. hum. MD. L. Id Martij *Anna de Bie* conjux & liberi mœſti poſuere Viue pius, moriere pius.

LIX.

IOANNIS MORETI.

*Antuerpiæ in Templo B. Virginis.*

CHRISTO RESVRGENTI SACRVM *Ioanni Moreto Antuerpienſi*, magni *Plantini* genero, eiuſdem virtutum atque artium *Laboris & Conſtantiæ* hæredi: queis juuenis ſeneſcentem ſocerum juuit vitâ functum ſuperſtes expreſſit: publicè vtiliſſimus, priuatim benignus, paſſim modeſtus, probus, prudens, omnium bonorum elogio bonus. Vixit, præclarum ſuis honeſti exemplum, annos LXVII. Menſes IV. Obijt inſignem in Deum pietatem teſtatus 10. Kal. Oct. M.D. CX. *Martina Plantina* optimo marito cum lacrymis optimè apprecata ſibi & poſteris mortalitatis memor P. C.

LXX.

IOANNIS TOERASII A. S. BONETO, GALLIÆ MARESCALLI,

*Auctore Aloyſio Iuglari S. I.*

LVgete Poſteri mortuum, quem vix credatis extitiſſe mortalem. Toeratius hic eſt, ex aſſer-

tore euerſor hæreſios: ſine quo nec componi potuere bella, nec geri.

Ad Rupellam Rupellâ fortior, Rheam inſulam ita occupauit, ac ſi nullus obſiſteret; ita defendit ac ſi nullus impeteret. Cùm ipſi prope omnia defuiſſent, nulli ipſe deficiens, mutantibus Anglis locum certaminis, non fortunam, ſuas impreſſit in omni Elemento victorias.

Dignitate auctus à Rege, præconijs à Pontifice, ab iis ipſis, quibus injuriam intuliſſet, laudes extorſit, Galliæ vtilis, Italiæ neceſſarius pro oppugnatoribus propugnator Caſali datus vnâ in arce multas defendit.

Conſtitutus Arbiter pacis, qui fuerat ante bellorum, docuit non minori ſe peritiâ homines tractaſſe quàm arma, auro non deterius quàm ferro vſus, illud miſeriæ, hoc proteruis impendens: Neſcius an plures ſeruaret beneficus, an mactaret iratus; ſed noua ſibi ab inuidis excitans bella dum vinceret, nullibi ſciens tutiorem innocentiam, quàm victoriæ in regno, illuc accurrit vbi virtutis ſuæ & teſtes habere poterat & patronos. Romam profectus, vt in vno ſuos Duces omnes Roma reuiſeret, quòd ita timeretur ab exteris, amatus ab Italis, regiæ & gratiæ redditus, & militiæ, magis memor muneris quàm periculi, auream animam plumbeâ glande admiſſa extulit.

Vir verè magnus, in quo ſola puniri magnanimitas potuit; illi condonanda fiducia quam non temeritas, ſed victoriarum vſus effecerat. Non metuite Tœratij fata mortales, ſi virtutem habetis. Præclara vita omnem honeſtare obitum poteſt.

Digitized by Google

LXXI.

IVVENIS ANONYMI.

Heu! Heu!

HIc ante annos Iuuenis jaceo, morti ludibrium, fratri funus patri mœror, matri lacryma. Muſis luctus, Iuuenibus exemplum, ſenibus ſuſpirium, mihi tabum, cinis, nihil. Deo quid? Ah! Viator, quid rogas? Eheu! Iam audiam quod timeo, quod ſpero. Tu cras ſcies. Curioſe cinis abi.

*Adjiciam & hoc libens verè Chriſtianum.*

VIXI miſer, & verè DIXI:
Putredini Pater meus es,
Mater mea & Soror mea
Vermibus,
Donec veniat immutatio mea.
Domine IESV Chriſte,
Propitius eſto Mihi Peccatori,
In ſæcula ſæculorum,
Amen. Amen.

ÆTERNITAS! ÆTERNIT ÆTERNITAS!

LXXII

C. LÆLII.

*Gruterus Inſc. Theſ.* DCXCII. 10. & DCXCIV 8.

C. Lælio C. F. IV. Magnâ omnium expectatione genito & decimo octauo ætatis anno ab immani Atropo è vitâ reciſo Fuſca mater ad luctum & gemitum relicta eum lacrymis & opobalſamo vdum hoc ſepulcro condidit.

LXXIII.

LÆVINI TORRENTII EP.

*Antuerpiæ in æde B. Mariæ.*

D. O. M.

LÆuinus Torrentius Patria Gandenſis literis & legationibus domi foriſque ſpectatus, ex Archi-

Digitized by Google

diacono & Principis Eccleſiæ Leodienſis Vicario Generali II. Antuerpienſis Ep. III. Maclinienſium Arch. deſignatus, Collegij S. I. apud Louanienſes fundator, ad rerum ſtatus Belgici Conſilium adſcitu; dum præcipitantem rempublicam fractus viribus animo infracto Conſilijs ſuſtento Bruxellæ deceſſi 6. Kal. Maij 1595. Vixi annos 70. menſem vnum, dies 18.

## LXXIV.

## LAVDICIÆ NONII VERI VXORIS.

*Mutinæ apud Gruterum Fol.* 1058. *alioſque.*

L. Nonius Verus V. C. bis Corrector Apuliæ & Calabriæ Venetiarum & Hiſtriæ, Comes Patronus Mutinenſium Aquilegienſium, Brixianorum, & vniuerſarum vrbium Apuliæ Calabriæque, Viniciæ C. filiæ Cœciliani P. V. bis, Ration. Vrbis Romæ; Africæ, Præſidis Luſitaniæ, Corr. Apuliæ & Calabriæ Vic. Præf. per Italiam, Laudiciæ conjugi ſanctiſſimæ ac benigniſſimæ, cujus vita morum ſtudiorumque laudibus & vniuerſis virtutum & corporis tam clara extitit, vt admirabilia veteris vetuſtatis exempla ſuperarit. Quo merito omniumque iudicio ſingulari præconio matronarum decus ornamentumque eſt habita.

## LXXV.

## LEVCADII.

*Apud Gruterum* 1051. *II. ex Apiano & Alciato.*

M. M.

DISCORDIA Leucadio conjugi, qui vixi annos ſexaginta & dies duodecim bene meren ti: c um quo vixit annos triginta duos & menſe duos, quem (ſeu potiùs quam) poſt mortem expo liauit frater tuus Eugenius. Sic illi reddat Deus,

& ſpiritus tuus, qui me fecit ſic nudam remanere infelicem memoriam.

LXXVI.

LVCRETIÆ CARACCIOLÆ.

*Neapoli in S. Mariâ Annunciatâ.*

SI genus, pulcritudo, ingenium, ſi parentum amor, pietas, labor ac diligentia mortales aſſerere poſſent ab impetu furentis mortis, *Portia Pignatella* infelix mater, inuitáque ſuperſtes numquam Lucretiæ Caracciolæ, nobile cadauer. lacrymans ſacro ſpiritui, hoc tumulo condidiſſet, Vixit an. XXIV. m. XI. d. XXVI. deceſſit à partu Virgineo an. M.DLII. *In Sancto Auello non abſimile viſitur.* QVI legis mortem incuſato, quæ tot venuſtatis ornamenta, tot gratiarum elegantias, tot pudicitiæ floſculos in vnâ Portiâ Caracciolâ germinantes acerbiſſimè ſepeliuit. Iſabella Soror hanc illi vtnam immortalium cauſſam lacrymarum erexit. M.D.L. Quiſquis me nunc calcas viuus, cogita, ſi ſapis, idem te mox futurum.

LXXVII.

LVDOVICI LVCENÆ.

*Romæ in S. Mariæ de Populo.*

L*Vdouico Lucenæ Hiſpano*, qui præter cæteras virtutes, quibus longè alijs excelluit, hanc maximam coluit, vt omnibus aſſiduæ benefaceret, & neminem ob id ſibi deuinctum eſſe vellet.

LXXVIII.

MANVELIS CHRYSOLORÆ

Conſtantiæ ad Rhenum. Omiſſum.

MANVEL Chryſoloras miles Conſtantinopolitanus ex vetuſto genere Romanorum qui cum Conſtantino Imp. migrarunt, vir doctiſſimus

prudentiſſimus, optimus, qui tempore generalis Concilij Conſtantienſis diem obijt eâ exiſtimatione, vt ab omnibus Sacerdotio dignus haberetur, die XV. Aprilis conditus eſt anno M. CCCCXV.

Ille ego qui Latium priſcas imitarier artes
Exploſis docui ſermone ambagibus, & qui
Eloquium magni Demoſthenis & Ciceronis
In lucem retuli CHRYSOLORAS nomine notus
Hîc ſitus, emoriens peregrinâ ſede quieſco.
Huc me Concilij deduxit cura trium dum
Pontificũ Eccleſiam vexaret ſchiſma per orbem,
Roma meos genuit majores, me bona tellus
Byzantina tulit, cineres Conſtantia ſeruat.
Quo moriare loco nil refert: vndique cœlum,
Pœnarumque locus menſurâ diſtat eadem.

## LXXIX.

## MARCANÆ ET MARCELLINÆ

*Apud Gruterum pag* 804. *n.* 5. *&* 9.

D. M. *Marcana C F. Vera*, *T. Caſius Lyſimachus*, Conjugi ſanctiſſimę & ſibi viuus poſuit.

VEr tibi contribuat ſua munera, florea, grata:
Et tibi grata comis nutet æſtiua voluptas.
Reddat & Autumnus *Bacchi* tibi munera ſemper
Ac leue hiberni tempus tellure dicetur.

D. M. & memoriæ æternæ *Marcellina Solicia* filiæ, animæ ſanctiſſimæ & rariſſimi exempli quæ vixit annis 22. m. 5. d. 4. ſine vlla animi conjugis ſui læſione, integro corde, felix etiam in eo quòd prior occupauit *Martius* maritus ſuæ cariſſimæ & ſibi viuus P. C. & ſub aſciâ dedicauit.

Digitized by Google

## LXXX.

## MARIÆ IARSIÆ GORNÆÆ.

*Franciſco Mothæo Vayerio Franc. F. auctore.*

ADſta Viator, gradum inſtantem ſiſte, lege & luge: Iacet hîc cujus mens numquam jacuit Nobilis & Perita Maria Gornacenſis; inclyta ge genere, ſed viuendi genere magis inclyta: omnibus agnita, nulli tamen viro cognita: virgo & mater, ſterilis & fœcunda. Hîc tegitur, quæ numquam liberos, libros ſæpiùs edidit. Hôc ſaxo premitur, quam ſæpiùs preſſit inuidia, numquam oppreſſit. Hôc quieſcit denique tumulo ſtrata, quæ jam ſtaret, ſi non obſtaret, quæ Regibus non parcit, Parca. Rem literariam mirum in modum ornauit totius orbis ornamentum: miranda ſcripſit ſæculi decus, gloria, miraculum; & quod mirere magis ipſa Patrem ſibi elegit ſuum, imò & fecit; hic nempe Montani laudibus cumulus accedere debuit, vt tam ſanctum religioſumque cognationis fœdus cum eâ contraheret. Annos vixit propè octoginta, famæ quidem ſatis, amicis commodóque publico minùs, tum omnium in ore memoriâque celebris, occubuit. Die menſis anno 1645. ætatis LXXIX. cum menſ. IX. & diebus VII. Perge Viator & vale.

## LXXXI.

## S. MARII MARTYRIS.

*Apud Boſium Roma Subterranea pag. 217.*

TEmpore Adriani Imperatoris, Marius adoleſcens dux militum, qui ſatis vixit dum vitam pro Chriſto cum ſanguine conſumpſit, in pace tandem quieuit. Bene merentes cum lacrymis & metu poſuerunt.

Digitized by Google

## LXXXII.
## MARTI DORPII.

*Auctore Ioanne Ludouico Viue.*

QVicunque properas, Viator, ſiſte, exiguam morulam poſcimus; tuane magis causâ an noſtrâ, vbi hæc cognoueris, cenſeto. *Martinum Dorpium Batauum* mors ſuperum miniſtra mortalibus eripuit, immortalibus reddidit. Sic vixit, vt terra eſſet eo indigna: ſic mortuus eſt, vt cœlum videretur illum terris inuidere. Animam tulit Deus, carnem morbus, oſſa nobis ad ſolatium relicta, Amicis talem mortem precamur, inimicis talem vitam: in rem tuam maturè nunc propera. Vale & viue.

## LXXXIII.
## MARTINI NAVARRI.

*Romæ in æde D. Antonij de Paduâ in Campo Martio nationis Luſitanicæ.*

D. O. M.

MArtinus ab Aſpilcuetâ Nauarrus H. S. E. Diuini humaníque Iuris conſultiſſimus, qui *Salmanticæ* primùm, deinde *Conimbricæ* fauentibus *Portugalliæ* Regibus Ius Pontificium docuit, Románam profectus *Pio V. Gregorio XIII. Sixto V.* PP. MM. carus, omnibus nationibus gratus, huic Xenodochio beneficus. Obijt XI. Kal. Iulij MD. XXCVI. ætatis anno XCIV. menſe VI. die VIII. multis doctrinæ ſuæ per vulgatis monumentis. *Martinus Zuria* auunculo B. M. P.

Digitized by Google

*Anagramma.*

MARTINVS AB ASPILCVETA.

Beatus in cœlum aſpirat.

LXXXIV.

MICHAELIS VIOLÆI ABB.

D. O. M. IM. S.

HEus, Viator optume ſei vacat, ſei lubet, adſtà paululom & con lacrumis hęc pauca pellege. H. ſ. e. vir ſc. MM. Michael Violæus nob. g. n. ſuper D. Euurti Cœnobiarcha digniſſ. Qui dum viueret familiæ ſplendore clarus, morum probitate conſpicuus, multiplici eruditionis genere admirandus, Deum pietate coluit, gregem doctrinâ pauit, ciueis conſilio fouit, omneis exemplo juuit C. V. C. poſtquam Deo volente f. m. it. funus ejus c. o. luctu poblico proſequuta eſt: crudeles Parcæ quæ nemini parcunt dulceis Galliæ violas auſu violento violarunt. Ejus tamen vicem, Viator, flere te veto, quojus ſors non miſeranda ſed miranda, nec querenda ſed quærunda tibi eſt felici commercio terrena cum cæleſtibus, caduca cum æuiternis, bellum cum pace, tenebras cum luce, mortem cum vita commutauit, Vixit annos LXX. menſ. V. D. VIII Hoc te volebam, Hoſpes, vale, & abei in rem tuam.

D. O. M. S.

MIchael Violæus Cœnobiarcha, vir omni virtutis & ſcientiarum genere præclariſque animi dotibus inſignis, apud hunc tumulum in ſpem futuræ reſurrectionis depoſitus ad tempus quieſcit. Qui vetuſtâ & nobili ſtirpe ortus familiæ ſplendorem propriâ virtute, inflammato ſtudio, indefeſsà vigilantiâ, certâ fide, & ſumma pietate illuſtrauit: omnibus exemplo, Eccleſiæ præſidio, reip decori,

ſuis ornamento, pauperibus adjumento, laudabili vitæ continentiâ perpetuò extitit, vt importuno demum potiùs quàm immaturo fato è viuis ereptus veris & perennibus lacrymis tanquam Præſul optimè meritus ab omnibus haud immeritò deſletus ſit. Sed tamen hoc maximum in grauiſſimo luctu ad conſolationem ſolatium ſupereſt, cum pijs namque, vt aliquando mortuus viueret, piè ſemper vixit vt moriturus.

Habes etiam & Tertium Quartúmque Volſcâ linguâ, quâ primitus Roma loquebatur, conſcriptum ſub finem Parentalium quæ Aureliæ an. M. D. XCII. magno numero prodierunt in lucem: illud, vt & pleraque alia breuitatis ſtudio prætermiſimus.

## LXXXV.

## NICOLAI PEIRESCII SEN. AQ.

*A Iacobo Rigaltio.*

HIc ſitus Nicolaus Fabry Peireſcius ampliſſimi ordinis in Aquarum Sextiarum curiâ Senator Chriſtianam reſurrectionem expectat. Reconditiſſimos antiquariæ ſupellectilis theſauros ſagacitate, conſilio, liberalitate multis orbe toto diſciplinarum ſtudioſis aperuit: doctiſſimis vnde proficerent ſæpe monſtrauit, mirâ beatitate felix: ſeculo ſatis rixoſo notiſſimus ſine querelà vixit VIII. Cal. Iulias anno Chriſt. CIↃ. IↃↃ. XXXVII. ætatis ſuæ LVII. Optimo viro bonos omnes adprecari decet.

*Qui plura iis volet conſulat Monumentum Romanum Nicolao Claudio Fabricio Pereſcio Senatori Aquenſi doctrinæ virtutiſque cauſâ factum Auctore Franciſco Barberino Cardinale Eminentiſſimo, curante Ioanne Iacobo Buccardo Pariſienſi, qui & Latinam laudationem habuit & carmina Academicorum Romanorum recitata in concione funebri triaque*

*que Elogia edenda curauit cum πάγγλωσσα ſiue Generis Humani Leſſo Epigrammatis Chaldaico Stranghelo, Chaldaico, Syriaco, Targumico, Hebraico, Samaritano, Arabico, Perſico, Turcico, Georgiano, Armenio, Æthiopico, Cophto, Græco veteri ac recenti, Latino, Italico, Prouinciali veteri ac recenti, Gallico, Hiſpanico, Luſitanico, Cantabrico, Britonico ſeu Armorico, Hibernico, Germanico, Saxonico, Belgico, Danico, Anglico ſiue Britannico, Scotico, Sclauonico ſiue Illyrico, Ruthenico, Moſchico, Polonico ſiue Sarmatica, Lituanico ſiue Alanico, Hungarico ſiue Hunnico, Albanienſi ſiue Epirotico, Indico Brachmanico, Iaponico, Americano Peruano, ad mortem ejuſdem Fabricij decorandam ingenioſè conſcriptis & vndique conquiſitis.*

## LXXXVI.

## NICOLAI FABRI LVD. XIII REGIS CHRISTIAN. Præceptoris.

*Ipſe ſibi viuens ſcripſit.*

NIcolaus Faber peccator non vnus ex multis hîc jaceo. Quid de me dici veriùs, aut à me vtiliùs non video. Agnoſco, Bone IESV! tu ignoſce. Ad hoc enim natus es, ad hoc paſſus, ad hoc pro nobis tremuiſti, vt per te ſecuri eſſemus. Vixit annis LXVIII. m. IV. die vno: deceſſit pridie Nonas Nouembris, anno M.DC.XII.

R. I. P.

## LXXXVII.

## ODETTI LAVTRECCI.

*Neapoli in S. Mariâ nouâ.*

ODetto Lautrecco Fuxio Conſaluus Ferdinandus Ludouici Cordubani F. Magni Conſalui N. cùm ejus oſſa, quamuis hoſtis, vt belli fortuna

tulerat, ſinè honore jacere comperiſſet, humanarum miſeriarum memor Gallo Duci Hiſpanus Princeps in auito ſacello P.

*Idem Petro Nauarro parentauit.*

OSſibus & memoriæ Petri Nauarræ Cantabri, ſolerti in expugnandis vrbibus arte clariſſimi Conſaluus Ferdinandus Ludouici F. Magni Conſalui N. Sueſſæ Princeps Ducum Gallorum partes ſecutum pio ſepulcri munere honeſtauit, cum hoc in ſe habeat præclara virtus, vt etiam in hoſte ſit admirabilis.

## LXXXVIII.

## PAPIRII MASSONI I. C.

*Pariſiis in æde Billeticâ.*

PApirius Maſſonus Foreſius in Senatu Pariſienſi Aduocatus hoc in loco jacet, quem ſibi longè ante obitum elegerat. Deceſſit VIII. Ianuarij M. DC. XI.

Si ſepulcra ſunt domus mortuorum, Papirius Maſſonus Annalium ſcriptor in hâc domo quieſcit. De quo alij fortaſſè aliquid, ipſe de ſe nihil: niſi quod olim qui hæc legerit, illum vidiſſe cupiet.

## LXXXIX.

## PAVLÆ MARIÆ TAVRILLIÆ.

*Mediol. In S. Fidelis templo Coll. Soc. IESV.*

PIæ memoriæ ſacrum. Paula Maria Taurilia, Guaſtallæ Comitiſſa, Chriſtianæ perfectionis imago etiam hîc fulget; in ipſa mortis vmbra æternis virtutum facibus illuſtris: Diuini amoris, dum vixit, flamma, poſtquam vixit, aſtrum; quam patronam aucta religio, quam matrem reſtituta pietas agnoſcit. Re magnâ Deo dicatâ, factis, non ſcriptis heredibus eſſe inter mortales deſijt V. Kal. Nouemb. M. D. LXIX.

Digitized by Google

## XC.

## F. PETRI BERCORII.

*In Eccleſia Prioratus S. Eligij Pariſienſis.*

HIc jacet vir venerabilis maximæ profundæque ſcientiæ ac mirabilis & ſubtilis eloquentiæ F. Petrus Bercorij Prior huius Prioratus qui fuit oriundus de villâ S. Petri de itinere, in Epiſcopatu Malliziacenſi in Pictauiâ. Qui tempore ſuo fecit quinque opera ſolemnia, ſcilicet Dictionarium, Reductorium, Breuiatorium, Deſcriptionem mundi & Tranſlationem cuiuſdam libri vetuſtiſſimi de Latino in Gallicum, ad præceptum Excellentiſſimi Principis *Ioannis* Regis Francorum, qui obijt anno 1360.

## XCI.

## PETRI CANTORIS PARISIENSIS.

*In Clauſtro Abbatiæ Longipontis.*

HIc jacet Petrus Cantor Pariſienſis Doctor celeberrimus, qui in Epiſcopum Tornacenſem electus vocationem humiliter declinauit, & ſuis Auditoribus ſcientiæ ac morum norma exiſtens aſſumpto in hoc monaſterio Ciſtercienſi habitu, vitam beato fine compleuit 14. Kal. Iunij anno 1180. corpúſque ejus emortuum mirificum ac ſuauiſſimum odorem exhalauit.

## XCII.

## PETRI IAECX.

*Mechliniæ in Templo D. Rumoldi.*

D. Petrus Iaecx Theologus huius Metropoleos ciuis & Paſtor primarius doctrinâ atque vitâ bonus, muneris obiti an. XV. ætat. XLIII. Chriſtiano M.DC.XI. VII. Kal. Maias ſepulcrum hoc ſibi voluit, ſcholam, Lector, tibi. TRIA eſſe OMNIA, paſſim Sophi prædicant: iſte breuius ac verius VNVM OMNIA. Hunc ſcire, ſcire eſt: cete-



Digitized by Google

ta, eſt inſcitia. Hunc frui, fructus eſt: cetera, eſt miſeria. O vne, ô trine, ô omnia! da nobis te ſcire: ipſo te frui.

## XCIII.

## PETRI PITHOEI I. C.

*In nomine Domini, Amen.*

MOribus valdè corruptis ac prauis, ſeculo infeliciſſimo, quantum in me fuit, fidem ſeruaui.

Amicos ex animo amaui & colui. Inimicos benefactis vincere aut contemnere quàm vlciſci malui.

Conjugem vt meipſum habui. Liberis parum indulſi. Famulis vt hominibus vſus ſum.

Vitia ſic odi, etiam in meis, vt virtutes in externis vel hoſtibus veneratus ſim.

Priuatæ rei ſeruandæ potius quàm augendæ operam dedi.

Quod mihi fieri volui, alteri vix vnquam feci, aut fieri paſſus ſum.

Iniuſtam aut difficilem gratiam vt venalem ſpreui.

Sordes & auaritiam in omnibus, præcipuè verò in Religionis ac Iuſtitiæ ſacerdotibus & miniſtris exſecratus ſum.

Puer, juuenis, vir ſenectuti multum detuli.

Patriam vnicè dilexi.

Opus potiùs quàm honores, aut magiſtratum amaui: ac prodeſſe quam præeſſe malui.

Priuatus vltrò publico ſtudui: Ei nihil prætuli atque in commune conſulere, potius tutiuſque ſemper exiſtimaui.

Statum publicum laborantem prudenter ſanari, emendarique optaui: Peruerti, immutari, nouari, aut perturbari penitus numquam cupiui.

Pacem vel iniuſtam, quod bona omnium bono-

rum veniâ dixerim, ciuilibus diſcordijs bellóque potiorem putaui.

Pietatis & religionis ſacroſancta nomina, ambitioni atque auaritiæ, ſceleribuſque prætexi & obtendi grauiùs tuli.

Melioris antiquitatis non indiligens quæſitor, admirator & cultor, nouitates facilè inſuper habui. Quæſtiones vanas diſputationeſque ſubtiliores de iis quæ ad Deum pertinent, vt noxias odi ac fugi.

Simplicitatem prudentiâ aliquâ conditam & ſeptam, aſtutia & calliditate tutiorem feliciorem que ſæpius expertus ſum.

Rectè de rebus judicandi ſtudium eloquentiæ artibus prætuli.

Procul ambitu atque auaritiâ, inuidiáque, inter amicos plures ac bonos potentéſque, fortunâ non planè infimâ, ſollicitiùs aliquanto vixi, quàm priuatum fortaſſis decuit: de publicis tamen & amicorum rebus magis quàm de proprijs cogitans.

Nullum duxi gratiorem diem, quàm quo publico aut amicis adeſſe aut prodeſſe datum eſt.

Mala præſentia quàm metum impendentium fortiùs tuli: Extremáque faciliùs quàm dubia.

Recta, ſincera, æquabili atque conſtanti inter omnes Iuſtitiæ adminiſtratione, etiam ſceleratiſſimis atque audaciſſimis os occludi, manus obligari, vidi, expertus ſum.

De patrimonio ac bonis meis, quantulacumque illa poſt mortem meam erunt, legibus potiùs quàm mihi judicium permiſi, permittóque.

Verum opto & ſpero, vt quem in me animum cariſſimæ ac probiſſimæ conjugis integrum viuus expertus ſum, eundem in communibus liberis educandis, tuendis, curandíſque gerat.



Digitized by Google

Sit hæc apud poſteros teſtatio mentis meæ, quam ab illis ſic candidè accipi velim, vt ſimpliciter & ingenuè ex animi mei ſententia à me prolata eſt.

Veni Domine, & miſerere.

*Pro titulo, Tumulo inſcribi volo.*

Petri Pithœi P. F. IC. benè de ſuâ, benè de poſterâ ætate meriti corpus majorum ſepulcro conditum reſurrectionem & immortalitatem hîc expectat.

Katharina Palludella conjux amantiſſima conjugi amantiſſimo, & Lodoica ac Maria filiæ Kariſſimæ patri obſeruandiſſimo.

*Alterum à Franciſco Petri fratre P.*

Petro Pithœo, P. F. Tricaſſino Sauodiæ domino, nobilitate, actibúſque ad exemplum præcipuo, Aduocato, Iuriſconſulto vndequaque doctiſſimo, eâ æquitate arbitro, vt inter omnes, qui ad eum animo litigantis intraſſent, parentem ſe magis his quàm judicem præbuerit petitu bonorum, teſtimonio Senatus, judicio Regum per Prouinciam Aquitaniam & iterum Lutetiæ Pariſiorum difficillimis temporibus perfuncto Procuratoris Generalis officio, licet egregia ejus in Rempublicam merita & ipſius ſcripta veterumve Auctorum monumenta ab illo in lucem primùm data aut reſtituta atque doctorum omnium pervulgata de eodem teſtimonia ad memoriam ſempiternam ſufficiant, attamen fideliſſimæ deuotionis gratia & pro ſingulari circa eum amore fratri piiſſimo atque incomparabili Franciſcus Pithœus bonâ piáque mente M. P. Vixit annos LVIII. obijt natali ſuo magnorum virorum fato, Kal. Nouemb. M. D. XCVI.

## XCIV.

## PETRI PVTEANI V. C.

*Auctore Rigaltio.*

PETRVS PVTEANVS Claudij Puteani Senatoris ampliſſimi filius ex Claudiâ Sanguinâ filia Barbaræ Thuanæ, quæ fuit Chriſtophori Thuani Senatus Principis ſoror, Clementis Puteani Iuris æuo ſuo peritiſſimi nepos, optimis parentibus optimè reſpondit: doctrina, pietate, prudentia, fide, grauitate, conſtantiâ probatiſſimus; Regi à Conſilijs & Bibliothecis: Imperij Gallicani jura, exemplis ſummo labore prouiſis, rempublicam miniſtrantibus conſultiſſimè ſuggeſſit: Procerum & Clariſſimorum vbique Virorum officijs, obſeruantiâ, frequenti conuentu celebratiſſimus. Vixit annos ſexaginta nouem, menſem vnum. Hic ſitus XIX. Kal. Ian. an. Chr. M D. C L I. immortalis per Chriſtum vitæ gratiam expectat. Iacobus Puteanus fraternæ gloriæ conſors, orbitatis ſuæ mœſtitiam Nicolai Rigaltij verbis amicitiæ veteris honorem teſtantibus, quanto per Chriſtianæ modeſtiæ præcepta fas eſt, ſolatio conſolatur.

## XCV.

## PETRI RONSARDI VINDOC.

*A Io. Heroardo Regis Medico.*

D. M.

CAue, Viator, caue: ſacra hæc humus eſt: abi, nefaſte, quam calcas humum, ſacra eſt. Ronſardus enim jacet hîc: quo oriente oriri Muſæ & occidente commori ac ſecum inhumari voluerunt. Hoc non inuideant qui ſunt ſuperſtites, nec parem ſortem ſperent nepotes.

Ludouicus Aurelius alterum ſoluta oratione, ſed longiuſculum ſcripſit Epitaphium quod cùm angu-



Digitized by Google

ſtos hujuſce opuſculi limites prætervolet, omiſimus.

## XCVI.

## PII V. ROMANI PONT.

Religionis ac pudicitiæ vindex, Recti ac juſti aſſertor; Morum & diſciplinæ reſtitutor, Chriſtianæ reipublicæ defenſor, ſalutaribus editis legibus Gallia conſeruatâ, Primatibus fœdere junctis, partâ de Turcis victoriâ, ingentibus auſis & factis pacis bellique gloria Maximus, Pius, Felix, Optimus Princeps. Obijt anno 1572.

## XCVII.

## PLANCII MILITIS.

*Tarracone, vt ex Scaligero Gruterus p. 556. n. 3.*

Bene ſit tibi Viator qui me prætereiſti: Voluiſſem tamen niſi legendo præteriſſes. Si miles, malè ſit tibi. Ego *T. Planc. Glauciâ Aciliâ* natus miles eram, & ordo milit. ore pio Manes debet milit. ſaluere. Bene vixi, & mihi; & meis, & patriæ: neque vllæ de me querelæ. *Glancia* mater me hîc poſuit natum 88. annos, cùm ipſa 117. jam annum ageret. Felix ſi ego eam ante humaſſem.

## XCVIII.

## POLYNICIS ET TATIANI AGITATORVM.

*Romæ via Preneſtina tertio ab Vrbe lapide, vt habet P. Sirmondus in Notis ad Sidonium.*

M. Aur. Polynices nat. verna, qui vixit ann. XXIX. menſ IX. diebus V. qui vicit palmas N. DCCXXXIX. Sic: in ruſſeo N. DCLV. in praſino LV in veneto XII in albo N. XVII. premia XL. N III XXX. XXVI pura N. XI. octoiug. N. VIII. dec. N. IX. ſeiug. N. III.

*Pari jugo cum ſuperiore.*

M. Aurel. Mollicius Tatianus natione verna. Qui

vixit ann. XX. menſ. VIII. diebus VII qui vic palmas N. CXXV. ſic. in ruſſeo LXXXIX in praſino XXIII. in veneto N.V. in albo N. VII premia XXX. N.II.

Θρέψε πάτρη Ρώμη κλυτὸς ἡνίοχος Πολυνείκης,
Υἱὲ δύο Μάκαρ Ταλιανόν τε χάσιν.

## XCIX.

## PONTIÆ.

*E Mazzochio Gruterus pag. 921. num. 6. quamquam de ingenuitate dubitet.*

PONTIA *Titi Pontij* filia hîc ſum quæ duobus natis à me veneno conſumptis, auaritiæ opus, miſeræ mihi mortem conſciui. Tu quiſquis es qui tranſis, ſi pius es, quæſo, à me oculos auerte.

## C.

## RAPHAELIS PICTORIS.

*Romæ.*

RAphaeli Sanctio Io. Fil. Vrbinati Pictori eminentiſſimo, veterúmque æmulo. Cuius ſpectãtes prope imagines ſi contemplere, naturæ atque artis fœdus facilè inſpexeris. Iul. II. & Leonis X. PP. MM. picturæ & architecturæ gloriam auxit. Quo die natus eſt, eo eſſe deſijt. 8. Idus Aprilis M.D.XX.

## CI.

## RENATI DE PRIA CARD.

*In Abbatia de Pratea Bitur. diœceſis.*

HEu Mortales! Reuerendiſſimus Dominus de Prie Cardinalis titulo S. Sabinæ, Epiſcopus Bajocenſis ac Lemouicenſis, Abbas S. Mariæ de Prateâ ab humanis diſcedens animam Deo Optimo Maximo tradidit, ejúſque cadauer juſſit humillimè

juxta Diuam Fauſtam recondi. Obijt V. Idus Septembris M.D.XVI.

CII.

RVARDI TAPPERI DOCT.

*Louanij in æde primariâ D. Petro Sacrâ.*

D. Ruardo Tapper ab Euchuſiâ, Theologiæ Profeſſori celeberrimo, Decano, Cancellario: quòd ſuâ incomparabili doctrinâ, auctoritate hunc chorum annis XXIV. Scholam XXXIX. rexerit, docuerit; quòd ſupremus Fidei Inquiſitor, patriam ſectis purgare, ſalutaribus doctrinis, etiam libris ad hoc editis complere ſtuduerit: quòd Catholicam Religionem hæreſibus vexatam ad Tridentinum Concilium è Belgio primus euocatus, conſtanter defenderit, quòd ſui temporis Pontificibus, Carolo V. Cæſari, Philippo Hiſpaniarum Regi non immerito cariſſimus fuerit memoriæ ergo poſitum. Obijt Bruxellæ anno Domini M.D.LIX. Martij II. ætatis vero LXXI. Pauperibus omnium bonorum heredibus inſtitutis Ejus animæ pacem precemur.

*De eodem Tappero vide plura pag. 253. Inſcriptionum Suuertij.*

CIII.

SABBÆ CASTILLIONÆI EQ. HIEROS.

*Quod viuens ipſe ſibi poſuit.*

D. O. M.

PVtredini & corruptioni reſurrecturus vtinam in melius! Sabbas Mediolan. ex gente Caſtill. Fr. & Mil. Hieroſolymitanus: Paruo contentus vixi: paruo contentus & ſolitarius hîc jaceo anguſtè. Qualis fuerim, nec ego ſciui, nec tu quæras. Quiſquis es, ſi pius es, deprecare Deum pro me. Hoſpes ſoſpes abi! Vale & viue memor lethi. Vi-

Digitized by Google

uens morituro mihi poſui. Mortalium vita, ortus, labor & mors. Obijt anno Dom. Sal. M D L. iii. die Martij, Reliquum mortale & corruptibile Fratris Sabbæ.

## CIV.
## SALVIDIENÆ.
*Inſcrip. Gruteri DCLXIII. 5.*

V. *Saluidiena* Q. L. *Hilara* ſibi & ſuæ libertæ *Saluidiena Fauſtillæ* deliciæ ſuæ eruditæ omnibus artibus. Reliquiſti mammam tuam gementem, plangentem, plorantem. Vixit annis XV. menſ. III. diebus XI Horis VII. Virginem eripuit fatus malus. Deſtituiſti vitilla mea miſeram mammam tuam.

## CV
## SEBASTIANI MVNSTERI.
*In Baſilienſibus Monumentis Grunei.*

Germanus Eſdras heic Strabóque conditur.
Si plura quæris, audies:

SEbaſtianus Munſterus Ingelheimenſis *Quis enimvero Theologum ſummum vocet in hæreſi pertinacem*, qui morte impia ſexagenario maior fœdauit ſol. Aſcenſionis memoriam, anno ſal. M D.LII.

## CVI.
## SIMONIS MARQVEMONTII CARD.
Romæ in S. Trinit. PP. Minimorum.

D. O M.

DIonyſij Simonis S. R E. Tituli huius Eccleſiæ Cardinalis de Marquemont.
Roma quem Iudicem Rotæ integerrimum,
Lugdunum Paſtorem incomparabilem,
Rex Chiſtianiſſimus Neſtorem fideliſſimum,
Gallia pietatis exemplar puriſſimum,
Eccleſia decus & ornamentum,

Boni omnes tutelare præſidium,
Sibi totique mundo ereptum lugent,
Lugeas & tu qui legis & tantum
Virum imitare; ſi nequeas, admitare.
Obijt die Mercurij 16. Sept. anno 1626. ætatis 54.

## CVII.

## STANISLAI HOSII CARD.

Romæ in S. Mariæ Trans Tiberim.

STaniſlao Hoſio Polono, S.R.E. Presbytero Cardinali, Varmienſi Epiſcopo, Majori Pœnitentiario, vitæ ſanctitatis, eruditionis & eloquentiæ gloria celeberrimo, Catholicæ fidei acerrimo propugnatori, qui cum antiquæ probitatis & Epiſcopalis vigilantiæ præſtantiam in humilitate, caritate, caſtitate, & beneficentia expreſſiſſet, hæreticas ſectas ſcriptis & conſiliis ſapientiſſimis feruenter oppugnaſſet, multos ab erroribus reuocaſſet, grauiſſimiſque legationibus pro pace Eccleſiæ Dei cùm apud Carolum V. & Federicum Cæſares, tum præcipuè in ſacro Concilio Tridentino Pij IV. Pontificis nomine feliciſſimè perfunctus Chriſtianæ reipublicæ plurimùm profuiſſet, omnium virtutum laudibus & exemplis ad imitandum abundans obdormiuit in Domino Nonis Augusti, anno ſalutis 1579 ætatis ſuæ 76. Staniſlaus patruo & Staniſlaus Reſcius patrono beneficentiſſimo Executores Teſtamentarij poſuere.

## CVIII.

## SVLPITIÆ.

*Tordæ in Tranſyluania Grut. 742.7.*

VIXI, dum, vixi, benè. Iam mea peracta: mox veſtra agetur fabula. Valete & plaudite. Vixi annis 67. *Sulpitia* auiæ *Plautianus* B.M.P.

## CIX.

## TAVRVSII ET BARONII CARD.

Romæ in S. Mariæ de Vallicellâ.

FRanciſco Mariæ Tauruſio & Cæſari Baronio Sorano ex Congregatione Oratorij S. R. E. Preſbyteris Cardinalibus, ne corpora diſiungerentur in morte quorum animi diuinis virtutibus inſignes, in vita conjunctiſſimi fuerant, eadem Congregatio vnum vtrique monumentum poſuit. Tauruſius vixit annos 82. menſes 9. dies 14. obijt III. Idus Iunij 1608. Baronius vixit annos 68. menſes 8. Obijt pridie Calendas Iulij 1607.

## CX.

## S. TERESIÆ VIRGINIS.

Albæ in Hiſpaniâ tumulo eius inſcriptum.

RIGIDIS Carmeli Patrum reſtitutis regulis, plurimis virorum feminarúmque erectis clauſtris, multis veram virtutem docentibus libris editis, futuri præſcia, ſignis clara, cœleſte ſidus ad ſidera euolauit B. Virgo Tereſa IV. Nonas Octobris MDXXCII. Manet ſub marmore, non cinis, ſed madidum corpus, incorruptum proprio ſuauiſſimum odore, oſtentum gloriæ.

## CXI.

## VLPII PHÆDIMI.

*Romæ vt docent Pontanus, Smetius, Gualtherus.*

M. Vlpio Aug. L. Phædimo Diui Trajani Aug. à potione: idem à Lagena & tricliniarch. Lectori proximo & à comment. beneficiorum: vixit annos 27. abſceſſit Selinunte pridie Idus Auguſti Nigro & Aproniano Coſſ. Reliquiæ trajectæ ejus 3. Nonas Febr. ex permiſſu Collegij Pontificum piaculo facto, Catulino & Apro Côſulibus. Dulciſ-

ſimæ memoriæ decus Valens Aug lib. Phædimianus à veſte Ben M. fecit.

## CXII.

## VVIDONIS COMITIS.

*In Cluniacenſi cœnobio.*

HIc requieſcit VVido Comes Matiſconenſis boni exempli memoria: qui nullum hæredem ſeculo relinquens, conuerſionis gratiâ, Domino ducente, Cluniacum venit, cum vxore, filijs, ac filiabus ac triginta militibus qui omnes Monachi facti ſunt. Hæc acta perhibentur tempore S. Hugonis Abbatis qui obijt anno 1109.

## CXIII.

## VVOLFANGI GRVINSTEINII.

*In Templo Campidonenſis Abbatiæ O. B.*

SAlue Viator & noli terreri: hæc eſt, quam aſpicis, mortalitatis noſtræ facies Sed qui ſim requiris. Fui, non ſum: Es, non eris: nec ego te in tenebris noſcere poſſum, ſed vt teipſum noſcas, rogo. Vale, nouiſſimorum tuorum nunquam immemor, vt non pecces, & moriaris perpetim. Obijt anno MDLV.

## ADMONITIO AD LECTOREM.

*FRuſtra equidem facere hic videar, ſtudioſe Lector, ſi te pluribus admoneam maximè in hac XI. Theſauri noſtri parte adſcribendum eſſe conſuetum cæteris omnibus epiphonema.*

ΟΥΤΕ πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων.

*Neque omnia, neque paſſim, neque ab omnibus.*

Addam tamen, quod ſequitur, ſuoque loco paullo ante præteritum fuit, Epitaphium

ROBERTI MIRONIS,

*Auct. Guidone Patino Medico Pariſienſi celeberrimo ac Regio publicis in Scholis Iatrices Profeſſore.*

D. O. M. V. Q. M. L.

HIC jacet Robertus Miro, Eques, Dominus du Tremblay, Comes Conſiſtorianus, ſpectatæ in omnibus muniis prudentiæ; primùm in ſupremo Senatu Pariſienſi Conſiliarius, ann. 1595 vnde in Aruerniam & varias regni partes, necnon ad exteros, de rebus grauiſſimis delegatus, vbique ſemper egregiam operam nauauit; pleriſque vrbibus & prouinciis, quæ ad defectionem & res nouas ſpectare videbantur, ac Henoticorum reliquiis, ad obſequium & fidem reuocatis. Præterea, finibus regni & tractûs Mediomatricum, cum Archiduce Flandriæ, & Duce Lotharingiæ ritè conſtitutis ann. 1601. apud gentes illas variis honoribus & curis nomine Præfecti Iuſtitiæ functus, inde redux à Rege honorificè exceptus, in numerum Conſiliariorum interioris admiſſionis meruit cooptari, ann. 1604. cùm aliquot antè judicialis Prouocationum decuriæ Præſes fuiſſet. Anno 1610. cùm iterum in exercitu regio jus dicturus eſſet, profectus in Campaniam, audita Henrici Magni deploranda morte, celeriter ad Vrbem redire coactus eſt; in qua ann. 1614. Præfectus Mercatorum creatus eſt; ac pro ejus muneris ratione venientem ex Hiſpania Reginam magnificè excepit: quæ & illum ſibi Procuratorem catholicum delegit: nec multò pòſt, Comitiis regni Lutetiæ habitis, tertij ſtatus Præſes interfuit: donec anno 1617. Legatus ad Heluetios profectus, ibi decennium exegit, Regis & Sociorum conſentientibus ſuffragiis, ob res prudenter

juxtà ac feliciter adminiſtratas laudatus. Domum reuerſus, interjectu trium annorum, miſſus eſt in Septimaniam ann. 1631. vt Prouinciæ Comitijs & ſummo juri dicundo præeſſet, magno Regis commodo, formidoloſis temporibus, inter infauſtos rebellantium conatus: quibus oppreſſis, iterum Duci Halluinio, ejus Prouinciæ Præſidi adeſſe juſſus eſt, majore habita ejus in rebus gerendis ſolertiæ ratione, quàm admiſſa ætatis, & ſontici morbi excuſatione, vnde miſſionem vix impetrare potuit; tandem menſe Iunio anni 1640. penatibus ſuis redditum morbus continenter lecto affixit; orbitate inſuper cumulatus lectiſſimæ ac dilectiſſimæ vxoris Margaretæ Bretæ; tanto majore Viri dolore, quòd eam omnium itinerum comitem & legationum ferè ſemper habuerat, præter ſpem ſuam ei ſuperſtes, qui vitam continuis morbis afflictam jamdudum traheret. Itaque perculſus admodum jacturâ chariſſimæ conjugis, cum qua ſupra xl. annos ſummâ concordiâ vixerat: quam exacerbabat trium filiorum in ætatis flore paulò antè extinctorum memoria: tot animi & corporis malis demùm ſuccubuit Idibus Auguſti 1641. ann. ætatis 72. nono poſt elatam vxorem menſe, eodem die eadémque hora & gemino morbo quo Illa interierat, nempe inflammatione pulmonis.

Sexdecim liberorum ſex ſuperſunt: tres mares, totidem feminæ: Rob. Miro, Regis Conſiliarius & Magiſter in Curia rationum: Carolus Miro, Eques Melitenſis: & Vrſus Franciſcus Miro, adoleſcens: Maria Mironia, vidua Antonij de Valles, Meſnilij Domini, Regi à Conſilijs, & totius Galliæ rationum Diſpunctoris atque Antigraphi: Margareta Mironia, vxor Chriſtophori Leſchaſſier, Cameræ rationum Magiſtri; & Magdalena Mironia, Veſta-

lis

lis Vaſſlinarum profeſſa. Qui liberi mares & fœminæ, quantum memoriæ & meritis erga ſe optimorum Parentum deberent, hoc poſito Epitaphio poſteris teſtatum eſſe voluerunt.

*Addatur & hoc alterum auctore Stephano Tonbeau Biturico, Theologo.*

RENATI MOREAV, DOCTORIS Medici Pariſienſis, Regijque in Cameracenſi aula Medicinæ & Chirurgiæ Profeſſoris emeriti.

SIſte viator, lege & luge. Fato ſuo functus eſt, Qui diù fatorum fuit Arbiter. Victus jacet, Qui toties de morte triumphauit. Vincendus nunquam, Niſi virtus arti obſtitiſſet. Vir verè Regius, Qui Patrem & Filium Reges, Morbo graui laborantes, Non tàm ſanitati, quàm Galliæ reſtituit. Medicus Nobilis, Quem Pariſienſis Academia, non priùs vidit, Quàm ſuſpexit. Quem cum aſciuit ſibi, ſe claram fecit Tanto aucta Lumine. Pietatis & doctrinæ laudes ita conjunxit, Vt ambigas, Vtra præſtantior ac Illuſtrior fuerit. Cùm peſtifera Lues arderet, Arſit charitate in egenos, Animæque non minùs, quàm corporis Medicum egit. Annos Nouem ſupra ſexaginta numera, ſi Ætatem cenſes. Secula repone, Si virtutis caniciem ſpectas. Die decimâ ſeptimâ Octobris, anni M. D C. LVI. Inter Homines eſſe deſiit, vt inter Angelos viueret. Vale & diſce nihil eſſe diuturnum, Niſi quod Æternum.

# SELECTORVM EPITAPHIORVM THESAVRI

## PARS DVODECIMA ET VLTIMA.

Regum, Reginarum, plurimorumque Regiæ Francorum familiæ Principum Virorum Fœminarumque præcipua quæque Epitaphia exhibet non ſeruato ſæculorum Chronologico, ſed elementorum alphabetico ordine.

### I.

### ADELÆ FILIÆ ROBERTI REGIS
Vxoris Balduini Pij Flandriæ Comitis
In Meſſinenſi cœnobio prope Ipras.

Hæc qui ſcripta legis, jacet Adela filia Regis,
Hæc loca ſancta piè fundans in honore Mariæ.

### II.

### ADHELEIDIS FILIÆ PIPINI REGIS.
*Ex libro Pauli Diaconi Foroiulienſis de Epiſcopis Metenſibus.*

Perpetualis amor capiendæ & cauſa ſalutis
Pectore quem vigili huc properare facit,

Noſſe cupis cur buſta ſacer numeroſa retentet
Hic locus, aſtrigeri quà patet aula poli?
Iſte ſacer Domini qui poſt ſeruauit ouile,
Legitimi fuerat germinis ante pater.
Cujus poſteritas atauo confiſa patrono
Hoc cupit in ſancto ponere membra loco.
*Pipini* hic proles *Adheleid* pia virgo quieſcit,
Quam ſimul & reliquas *ſancte* tuere *Pater*.

III.

ADELEIDIS FILIÆ CAROLI MAGNI.

*Ex Paulo Diacono de Ep. Metenſibus.*

HOc tumulata jacet puſilla puellula buſto,
*Adeleid* amne ſacro quæ vocitata fuit,
Huic ſator eſt *Karolus* gemino diademate pollens,
Nobilis ingenio, fortis ad arma ſatis.
Sumpſerat hæc ortum prope mœnia celſa *Papiæ*
Cùm caperet genitor *Itala* regna petens,
Sed *Rhodanum* properans rapta de lumine vitæ,
Ictáque ſunt matris corda dolore procul.
Exceſſit patrios non conſpectura triumphos:
Nunc patris æterni regna beata tenet.

IV.

ADELHARDI ABBATIS CORBEIENSIS.

Bernardi filij, Caroli Martelli nepotis.

*Ex vitâ ejuſdem à Paſchaſio Ratberto ſcriptâ.*

HIc jacet eximius meritis venerabilis Abbas
Noſter *Adelhardus*, dignus honore ſenex.
Regia proſapies, Paradiſi jure colonus,
Vir caritate probus, moribus atque fide.
Quem dum ſub tumulo recolis tu quiſque viator
Cerne quid es, quid eris, mors quia cuncta rapit.
Nam poſt octauas Domini hîc carne ſolutus
Succedente die aſtra petiuit ouans.



Digitized by Google

## V.

## AGNETIS ET CLEMENTIÆ SORORVM FF. CAROLI DVCIS DYRRACHINI.

*Neapoli in Eccleſia S. Claræ.*

HIc jacena corpora illuſtriſſimorum Dominarum Dominæ *Agnetis de Francia* Imperatricis *Conſtantinopolitanæ*, ac Virginis Dominæ *Clementia de Francia* filiæ quondam illuſtriſſimi Principis Domini *Caroli* de Francia Ducis Duracij, quarum animæ requieſcant in pace.

## V I.

## ALBRADÆ F. LVDOVICI VLTRAMARINI, Comitiſſæ Remenſis & I.

*In Choro S. Remigij Remis juxta Gerbergam Reginam.*

HOc *Albrada* tocor de puluere puluis in antro,
Et genus *Heroum* proteror hîc miſerum.
De primo qualem contraxi puluere ſortem,
Ac cauſam ſortis hæc monimenta ferunt.
Particulas *Sol* quinque means luſtrarat *Aquari*
Hæc me cùm tenebris obruit vrna ſuis.

Raginaldi ſeu Ragenoldi Albradæ illius conjugis, qui jacet in eodem Choro Abbatiæ S. Remigij Remenſis Epitaphium vide ſupra pag. 136.

## V I I.

## ALEIDIS EIVSQVE MARITI HENRICI III.

*In Clauſtro Oudergheem prope Bruxellas Monialium Dominicanarum:*

*Vel, vt alij, Louanij in Eccleſiâ FF. Prædicatorum.*

HIc ſubtus jacet Dominus *Henricus* huius nominis Tertius, Princeps illuſtris, Dux Lotharingiæ & Brabantiæ ſextus, huius Clauſtri funda-

Digitized by Google

tor, ac totius fundi dator, qui obijt anno 1260. vltimâ die Februarij.

Hîc jacet Domina *Aleidis de Burgundia* Duciſſa eius vxor, illius clauſtri d'Oudergheem pia fundatrix, necnon Ordinis Prædicatorum benigna amatrix, quæ obijt anno Domini 1273. die 23. Octobris.

## VIII.

## ALEXANDRI MONTAC. EPISC. CABILONI.

*In Eccleſia Maceria in Burgundiâ.*

PRæſul *Alexander* ex prole Ducum generatus,
*Cabilone* ferens onus olim Pontificatus:
*Virginis* in ſacro partu fuit hic tumulatus.
Sobrius, & caſtus, mundi phantaſmata, faſtus,
Vt licuit, ſpreuit, & ſic in pace quieuit.
Annis ter quinque tenuit Cathedram *Cabilonis*
Cuſtos deuotus ſponſæ veri *Salomonis*.
Anno milleno centeno bis numerato
Et ſexageno primo cum fine beato,
Se præſentauit *Chriſto*, quem ſemper amauit.

## IX.

## ALIENORDIS VERMANDORVM COMITISSÆ.

*In Clauſtro Abbatia Longipontis.*

FRatri juncta ſoror Comiti Comitiſſa *Radulfo*
Nobilis *Elienor* hîc tumulata jacet:
Qui cum claruerint alui natalibus alta
Vincunt illi autem nobilitate genus.
Sed quid honor, quid opes, quid gloria ſanguinis alti?
Ecce breuis pariter texit vtrumque lapis.
In ſpeculum, Lector, tibi ſint: pro temet & ipſis
Sors tua te moneat fundere vota precum.



Digitized by Google

X.

# ANDREÆ NEAPOLITANORVM REGIS.

*In ſacello S. Ludouici Eccleſiæ Metrop. Neap.*

ANdreæ Caroli Pannoniæ Regis filio, Neapolitanorum Regi, Ioannæ vxoris dolo & laqueo necato, Vrſi Minutuli pietate hîc recondito: Ne Regis corpus inſepultum, ſepúltúmve facinus poſteris remaneret, Franciſcus Berardi F. Capicius ſepulcrum, titulum nomenque P. Mortuo anno XIX. ætatis, 1345. 14. Kal. Octobris.

X I.

# ANNÆ REGINÆ.

*A Io. Franc Quintiano Stoâ Brixienſi.*

HEvs tu Viator, qui tuum huc refers greſſum,
Morare paulum, marmor hoc rogat ſacrum,
Tuearis vt ſe. Hic *Anna* dormiens, cœli
Regina, lumen vnicum & iubar terræ
Iacet. Viator cede, ſed prius dicas,
Quieſcat Anna in pace: Iam ſatis dixi.
Extinctam Proceres quid me ſpectatis & altos
Cur veſtra & querulos pectora dant gemitus?
Si qua mei fuerat quondam reuerentia, fletum
Ponite, & immotum ferte ſupercilium.
Viuo ego inextincto ſub nomine: ſpiritus aſtris
Cùm viuat terris famâque: non perij.

*Addidit & hæc duo cum Elegia & Monodiâ, aliíſque quamplurimis.*

Mortale corpus flere ſi poſſent Dei,
Lugeret *Annam* ſancta Reginam cohors.
Quæ poſtquam iniqua mortis extincta eſt manu,
Oblitus omnis iura ſubjectis dare.

Lucretiarum pudiciſſimæ omnium, Virtutis ſacrario incomparabili, Annaï conjugi pientiſſimæ

Ludouicus Gallorum duodecimus Rex monumentum hoc dedicabat. Felicitatem daturus, ſi humanæ facultati concederetur. Sic amor monſtrat.

*Aliud auctore Melino Sangelaſio.*

Contendunt dum fortè *Venus*, *Tritonia*, *Iuno*,
Cui prior ex ipſis ſit tribuendus honos:
*Iuppiter* iſta Deos veritus ne rixa moueret,
Expulſas ſupero priuat honore *Deas*:
Præreptámque *Annam* terris, ſuffecit *Olympo*;
Atque erit hæc, inquit, pro tribus vna ſatis.

## XII.

## ANTONII BVRGVNDI BRABANTIÆ DVCIS.

*Furnis in Comitatu Flandriæ ſepulti.*

A*Ntonius*, juſtus, acer, ac militaris pugna Azineurenſi cæſus VIII. Kal. Novembris M. CCCC. XV. cadaueribúſque hoſtium obrutus triduum, & pulcherrimâ morte velut ſepultus jacuit, vt majorem huic gloriam tumulo inferret.

## XIII.

## ARNVLFI IMPERATORIS.

*Ratiſponæ in Monaſterio S. Emmeramni.*

HAc *Arnulfus* humo eſt *Cæſar Romanus* humatus,
Quem *Galli* Regem; *Boij* habuere Ducem.
Hic ædem *Emmerane* tuam defendit & auxit:
Prædia ſunt teſtes, ſplendidus atque liber.
Ad noſtram cineres *Dionyſi* tranſtulit vrbem,
Finibus è *Gallis* quos, pia furta, tulit.
Poſtquam nongentos *Titan* compleuerat annos,
*Cæſar* perſoluit debita jura necis.



Digitized by Google

XIV.

ARNVLFI REM ARCH. F. LOTHARII REGIS.

*Qui jacet in Choro S. Remigij Remis.*

HIc jacet *Arnulfus* regali ſtemmate fuſus,
*Remorum* Præſul, nulli pietate ſecundus,
Spes inopum, pes debilium, paſtor *Monachorum*,
Aſſertor veri, rigidi ſeruator honeſti;
Quem fera mors rapuit, quæ nulli parcere nouit,
Flete Patrem *Monachi* lacrymarum fonte perenni.

XV.

AVSTRIGILDIS REGINÆ.

*Apud Ducheſnium Tom. 1. pag 517.*

COnditvr hic Regum genitrix & Regia conjunx,
Præcellens lumen patriæ, lux orbis, & Aulæ,
*Auſtregilde* potens, Regis decus, gloria mundi,
Principis inuicti quæ magnum auferre furorem
Sueuerat, & pulſis abſoluere corda periclis.
In quâ magnorum præceſſit culmen honorum,
Omnipotentis amor, cujus dum ſedula juſſis
Paret, & *æterni* ſequitur præcepta *Magiſtri*
Ad cælos præmiſit opes, dextriſque rogantum
Terrenum ſtatuit transferre ad ſidera regnum.
Sed tantis prouecta bonis ſunt tempora vitæ.
In ſpatio breuiata ſuo, cui pulcrior ætas
Terdenos tribuens geminos ſuperaddidit annos,
Magna ſed anguſto deducens ſæcula curſu.

XVI.

BEATRICIS SICILIÆ REGIS CAROLI II. F.

*Andria in Eccleſiâ primariâ.*

REx mihi pater erat *Carolus*, fratérque *Robertus*,
*Loiſius* frater, Regia mater erat.

Digitized by Google

*Bertrandi* thalamos non dedignata *Beatrix*
A quo deducta eſt *Bancia* magna domus.
Si tangunt animos hæc nomina clara meorum,
Eſto memor cineri dicere pauca: Vale.

XVII.

BERNARDI REGIS ITALIÆ CAR. M. N

*In Templo S. Ambroſij Mediolani*

BErnardus ciuilitate mirabilis, cæteriſque pijs virtutibus inclytus Rex hîc requieſcit. Regnauit annos quatuor, menſes quinque. Obijt 15. Kalendas Maij indictione vndecimâ. Filius piæ memoriæ Pipini.

XVIII.

BLANCÆ REG. MATRIS S. LVDOVICI.

*In Abbatia de Malo Dumo propè Pontiſaram.*

EX te, *Caſtella* radians vt in æthere ſtella,
Prodijt hæc *Blanca*, quam luget natio *Franca*.
Rex pater *Alfonſus*, *Ludouicus* Rex ſibi ſponſus;
Quo viduata Regens agit, vt vigeat requie gens.
Hinc peregrinante Nato benè rexit, vt ante.
Tandem ſe *Chriſto* cœtu donauit in iſto.
Cujus tuta malis viguit gens *Franca* ſub alis.
Tanta priùs, talis jacet hîc pauper Monialis.

XIX.

BLANCÆ PRIMOGENITÆ S. LVD. IX.

*In Eccleſia Abbatia Regalis-montis.*

HIc jacet *Blanca* primogenita *Ludouici* Regis *Francorum*, huius Monaſterij fundatoris, quæ in ætate infantiæ migrauit ad Chriſtum, anno Domini 1243. tertio Kal. Maij.

Digitized by Google

## XX.

## CAROLOMANNI PIPINI FR.

Avrea ſceptra tibi ſors Karlomanne parabat,
Vt morũ generiſque ſimul probitate cluẽti:
Omnia ſed ſpernens nihilum quandoque futura,
Gaudes æterni geſtans inſignia regni.
Hæc ſunt Chriſte tuis quæ donas præmia Sanctis,
Vt te percipiant qui te ſuper omnia quærunt.

## XXI.

## CAROLÆ AVST. DVCISSÆ CALABR.

*Neapoli in Eccleſia S. Laurentij O. M.*

Hic jacet *Catharina* filia Regis *Alberti* & neptis Regis *Radulphi Romanorum* Regis, ac ſoror *Friderici* in Regem *Romanorum* electi, Ducum *Auſtriæ*, conſors ſpectabilis *Caroli* primogeniti Sereniſſimi Principis & Domini noſtri *Roberti* Dei gratia *Ieruſalem* & Siciliæ Regis illuſtris Ducis *Calabriæ*, ac eiuſdem Domini noſtri Regis Vicarij Generalis, inſignis vita & moribus exemplaris. Quæ obijt Neapoli anno Domini noſtri *Ieſu Chriſti* 1322. die 25. menſis Ianuarij regnorum prædicti Regis anno 14.

## XXII.

## CAROLI MARTELLI PATRIS PIPINI REGIS.

In baſilica S. Dionyſij in Francia extat Principis hujuſce ſtatua regijs ornata veſtibus, ejuſque tumulo inſcriptum

CAROLVS MARTELLVS REX.

Qua de re plura Chiffletius, Dominicyus, Tenneurius, & alij paſſim. Iactatur hoc in eundem Tetraſtichon.

Ecce Brabãtinus Dux quartus in orbe triumphat,
Malleus in mundo ſpecialis Chriſticolarum,

Digitized by Google

Dux, dominuſque Ducum, Regum quoque Rex fore ſpernit:
Non vult regnare, ſed Regibus imperitare.

Atque inde Gallicum Epitaphium prodijt.

*Charles giſt en ce lieu, ſeul boulier des François,*
*Marteau des Sarrazins, qui par mai tes victo res*
*Dompta leur fier orgueil, & mépriſant la gloire,*
*Refuſa d'eſtre Roy pour commander aux Roys.*

## XXIII

## CAROLI MAGNI IMP. ET R. FR.

*Aquigrani in Baſilicâ B. Mariæ.*

*Ex eius vitâ per Eginhardum.*

SVB hoc conditorio ſitum eſt corpus *Karoli, Magni atque Orthodoxi Imperatoris*, qui *Regnum Francorum* nobiliter ampliauit, & per annos 47. feliciter rexit. Deceſſit ſeptuagenarius anno ab *Incarnatione Domini* 814. Indictione 7. quinto Kalendas Februarias.

*Eiuſdem Epitaphium Metricum extat in calce operum Agobardi Lugdunenſis Archiepiſcopi, & in MS. Codice Cœnobij Nonalicienſis in Valle Seguſianâ.*

KAROLVS Rex Francorum atque Imperator & Patricius Romanorum poſtquam 76. annis vitæ vixerat in ſæculo migrauit ex orbe quinto Kal. Februarij. Nam regna tenens ipſe quadraginta & ſex annis feliciter, jam ab Incarnatione Domini anni euoluti octocenties & quatuordecim. Sic enim in ſuo Epitaphio legitur:

Aurea cœlorum poſtquam de *Virgine Chriſtus*
Sumpſerat apta ſibi mundi pro crimine membra,
Iam decimus quartus poſt centies octo volabat
Annus fluctiuagi meruit quo feruida ſecli
Ætherei, *Carolus*, *Francorum* gloria gentis,

Æquora tranſire & placidum cõprendere portũ
Qui deciéſque quater per ſex feliciter annos
Sceptra tenẽs regni & regno Rex regna rejũgẽs
Febro migrauit quinto-ari-ex orbe Kalendas,
Septuaginta ſex vitæ qui terminat annos.
Quapropter flagito precibus ſi flecteris vllis
Quique huius relegis verſus epigrãmata Lector,
Aſtriferam *Caroli* teneat, dic, ſpiritus arcem.

*Aliud.*

Tutor opum, Vindex ſcelerum, largitor honorum,
*Carolus* orbis honor, Orbis & ipſe dolor.

*Aliud ex Cincconio in vitis Pontificum Rom.*

Magni *Caroli* Regis Chriſtianiſſimi Romanorúmque Imperatoris corpus hoc ſepulcro conditum jacet.

*Sunt & alia plura quæ omitto.*

## XXIV.
## CAROLI CALVI REGIS FRANC. ET IMP.

*In Eccleſia Sancti Dionyſij in Franciâ.*

IMPERIO *Carolus Caluus* regnóque potitus
*Gallorum* jacet hic ſub breuitate ſitus.
Plurima cum villis, cum clauâ cúmque Coronâ
Eccleſiæ viuus huic dedit ille bona.
Multis ablatis nobis fuit hic reparator,
*Sequanij* fluuij, *Ruoliique* dator.

*Aliud in Prioratu Nantuæ, vbi conditus primùm: Vide Nomenclaturam Abbatiarum Cl. Roberti.*

Hoc Domini *Caroli* ſeruantur membra ſepulcro,
Conſpicuus *Romæ* qui fuit Imperio,
*Dardanidæ*que ſimul gentis, non ſceptra relinquẽs,
Sed potiùs placidè regna tenens alia:
*Eccleſiam*que pio tenuit moderamine *Chriſti*,
Semper in aduerſis tutor & egregius.

Digitized by Google

*Italiam* pergens, febribus corrumpitur atris,
Et rediens noſtris abijt in finibus.
Quem *Deus* excelſis dignetur jungere turmis,
*Sanctorúm*que choris conſociare pijs.
Quinta dies menſis lumen cum panderet Orbi
Octobris ſpiritum reddidit ille *Deo*.

## XXV.

## CAROLI CRASSI IMPERATORIS ET REG. GERM. ET FRANC.

*In Cœnobio Chunghfeldenſi in Heluetia.*

CAROLVS Craſſus Rex Sueuiæ, Pronepos Caroli Magni, Italiam potenter intrauit, eámque deuicit: imperiúmque Romanum, vbi Cæſar coronatus, obtinuit; ac mortuo fratre ſuo Ludouico vniuerſam Germaniam & Galliam jure hæreditario acquiſiuit. Demum animo, mente, & corpore deficiens, ab imperio, ſanè magno cum fortunæ ludibrio dejectus, à ſuis omnibus poſtpoſitus humili hoc in loco ſepultus jacet. Obijt anno Domini 888. Idibus Ianuarij, in cuius memoriam Chriſtophorus Dei gratiâ Epiſcopus Conſtantienſis Augiæque majoris Dominus, monumentum iſtud de nouo reſtaurari & refici curauit.

*Saxo ſub quo conditur hæc inciſa leguntur.*

*Pannonas*, & *Cimbros*, diuerſo *Marte* ſubegit,
*Carolus* à *Craſſo* corpore nomen habens.
Sed bene quas Iuuenis regni tractarat habenas,
His iterum Senior diſpoliatus obit.

## XXVI.

## CAROLI SIMPLICIS.

*Peronæ in S. Furſei Baſilicâ.*

HIC jacet KAROLVS PIVS Francorum Rex, cuius animam abſoluat omnipotens & miſericors Deus. Amen.

## XXVII.

## CAROLI VIII. FRANCORVM REGIS.

*In Abbatia S. Dionyſij, Auctore, vt ferunt, Paganino Mutinenſi.*

HIc Octaue jaces *Francorum Carolo* Regum
Cui victa eſt forti *Britonis ora* manu:
*Parthenope* illuſtrem tribuit captiua triumphum,
Claráque *Fornouio* pugna peracta ſolo.
Cœpit & *Henricus* regno depulſus auito
Bellare auſpicijs *regna Britanna* tuis.
O plures longinqua dies ſi fata dediſſent,
Te nullus toto major in Orbe foret.

Vixit annos 28. Obijt anno à Natali Domini 1498. Aprilis 7.

## XXVIII.

## CAROLI IX FRANCORVM REGIS.

*In Monaſterio S. Dionyſij in Franciâ.*

MEMORIÆ ÆTERNÆ.

Optimi & mitiſſimi Principis *Caroni noni*, Regis Chriſtianiſſimi, bonarùm artium ingeniorúmque fautoris liberaliſſimi,& Fidei ac Religionis Catholicæ propugnatoris acerrimi.

CAROLVS expectat loculo Rex Nonus in iſto
Supremi clangat dùm tuba judicij.
Quem quicumque bonus nouit bene, luxit acerbe
Extinctum, viuum deperijt tenerè.
Leni adeò fuit ingenio, leni bonitáte,
Aſpectu leni, lenior alloquio.
Aſpera enim cùm ſæuirent circum omnia: in illum
Confluxit terris quidquid vbique fuit.
Nam puer ad ſceptrum venit Regale decennis,
Annos quod tredecim dimidiúmque tulit.
Continuis in proditionibus, atque periclis
Belli inteſtini & jugibus inſidijs.

Digitized by Google

Majorum dum ſacra pius fortiſque tuetur,
Nec peſſum cultus ire pios patitur,
Hæreticos reprimens cæca ambitione rebelles
Numinis oblitos, Principis, & Patriæ.
Donec præcipiti fato tum deſijt eſſe
Heu quando potius debuit incipere.
At tu pro tanto veræ pietatis amore
Quæſo bone, & tantâ pro bonitate. Deus.
Hunc facias numerum in cælis augere bonorum,
Et ſedem Manes inter habere pios.
Bis ſeptem totos bellum tibi juge per annos,
Quos Rex vixiſti *Carole*, pæne fuit,
In deſertores, Patriæ Cælóque rebelles,
Dum pro aris pugnas fortiter, Hæreticos.
Sacrilegis quorum è manibus regnum aſſeruiſti
Ter variâ raptum proditione tibi.
Verum hoc tu ſeregis ſcelus à radicibus imis,
Suppliciíſque reos afficis emeritis.
Ecce nefas primæ moriens in flore juuentæ
Mane velut cum ſol defluit exoriens
Proh dolor! heu ſpes fruſtratas & vota piorum
Ante diem curſu deſeris in medio:
Iuſtitiâ & pietate tuam fulcire coronam
Nempe hoc, & duplex illa columna fuit:
Quæ pro mortali ſemper durabile cingit
In cælis capiti nunc diadema tuo.

*Aliud Auctore Petro Ronſardo.*

*Carolus* in terris terrarum gloria vixit
Maxima, *Iuſtitiæ* magno & *Pietatis* amore:
Nunc idem cælo viuens, eſt gloria cæli,
Quo ſe *Iuſtitiæ* & *Pietatis* ſuſtulit alis.

Digitized by Google

XXIX.

CAROLI ANDEG. PRIMI SICILIÆ REGIS.

*Neapoli in Eccleſiâ primaria ad dextram altaris.*

CONditur hac paruâ *Carolus* Rex primus in vrnâ
*Parthenopes*, *Galli* ſanguinis altus honos.
Cui ſceptrum & vitam ſors abſtulit inuida, quando
Illius famam perdere non potuit.

XXX.

CAROLI ANDEGAVI COM. CENOMANORVM.

*In Eccleſia S. Iuliani Cenomanenſis.*

G*Allorum* priſcâ veniens ab origine Regum,
*Carolus* hoc tumulo clauditur *Andegauus*.
Filius eiúſdem ſucceſſit nominis hæres,
*Trinacriæ* Princeps, Rexque *Hieroſolymis*.
Huic templo bis quinque dedit Pater aurea vaſa
Quæ ſacra *Diuorum* molliter oſſa tegunt:
Tercentum *Clero* ſoluenda numiſmata natus
Annua legauit: parcat vtrique *Deus*.

XXXI.

CAROLI POSTREMI BVRGVNDIÆ DVCIS.

*Apud Nanceium in Lotharingiâ caſi & ſepulti.*

TE pacis piguit, te tæduit atque quietis
*Carole*, ſicque iaces? iámque quieſce tibi.

XXXII.

CAROLI BORBONII PRINC. DE RVPE IONICA.

*Auctore Ioanne Paſſeratio.*

DIſce Hoſpes, vitámque meam, noménque genúſque,
*Carolus* hic iaceo *Borbonius*, inclytus armis,

Victorique

Digitized by Google

Victorique potens Dux formidatus *Ibero*,
Cuius ego infregi *Morinorum* ad littora vires.
Delectus Regis pueri moreſque domumque
Qui regerem, rerum experiens & ſanguine iunctus;
Extorſi infenſis ſceleratos ciuibus enſes
Conſilio, méque incolumi pax integra manſit.
Clauſa decem luſtris fuit hæc mihi longior ætas,
Natorum immatura, parens, quod funera vidi.
Nam vix egreſſus biſ-ſeptem filius annos
Dum ciet haſtati pugnam ſub imagine *Martis*;
Stratus humi quadrupes effuſum, pondere vaſto
Eliſit iuuenem: nec plures filia menſes
Edita compleuit, quàm condita matris in aluo.
Inſenuit luctu nobis inuita ſuperſtes
Fida tori conſors & nnnc premit oſſibus oſſa.
Dura, Hoſpes, muto didiciſti ex marmore fata;
Parce tamen lacrymis decorare vt lumine caſſum,
Clarior à tumulo quem tollit ad æthera virtus.

## XXXIII.
## CHILDEBERTI FILII CLODOVEI, Ac Pariſiorvm Regis.

SEpultus eſt in Baſilica S. Vincentij ſeu S. Germani à pratis, quam extruxerat, extatque effigies eius inſculpta lapidi, at ſine vlla inſcriptione. Extat quoque Reginæ imago (quam Vltrogotham) eiuſdem Childeberti conjugem, plerique autumant.

## XXXIV.
## CHILPERICI REGIS FR.
*In Eccleſia S. Germani de Pratis*

REx *Chilpericus* hoc tegitur lapide.
De eiuſdem ac Fredegundis Reginæ imagini-

bus ſepulcralibus, vide plenius Fr. Iacobum Breulium in Antiquitatibus Pariſienſibus.

XXXV.

CHLODOBERTI F. CHILPERICI REGIS.

*Ex Fortunati libro IX. Carmine 4.*

FLERE mouent populum crudelia funera Regum,
Cum caput orbis humo mœſta ſepulcra tegunt.
Hoc igitur tumulo recubans *Chlodobertus* habetur,
Qui tria luſtra gerens raptus ab orbe fuit.
De proauo veniens *Clodonecho* celſa propago,
*Clotharijque* nepos, *Chilpericique* genus.
Quem de Reginâ ſumpſit *Fredegunde* iugali,
Auxerat & naſcens *Francica* vota puer.
Quem Patris & patriæ dum ſpes adoleſceret ampla,
Accelerante die ſors inimica tulit.
Sed cui nulla nocent queruli contagia mundi,
Non fleat vllus amor, quem modo cingit honor.
Nam puer innocuus, viuens ſine crimine lapſus;
Perpetui regni ſe fauet arce frui.

XXXVI.

CHLODOMERI F. GVNTCHRAMNI REGIS.

*Apud Ducheſnium Tomo I. pag. 518.*

OLim quæ proprijs lætara eſt *Gallia* regnis,
Inque nouos luctus gaudia priſca rapit.
Conueniunt lamenta tibi, eſt & cauſa doloris,
Gloria qui potuit nominis eſſe tui.
*Chlodomeris* enim excellens Regia pubes

Digitized by Google

Migrauit regnum raptus ad æthereum.
Qui tendens annos, animis dum vincitur ætas
Tempora præcurrens cœperat eſſe puer.
Cuius præcipuis creſcens infantia rebus,
Ipſáque iam verbis murmura mixta dabat.
Verbáque majorem hec dum monſtrantia ſenſum,
Certabat magnis paruulus ingenijs.
Lactea mellifluis reſerabat pectora dictis,
Erumpens tenero cordis ab ore rigor.
Hunc rapuit mox ſæua dies cum quarta tumeſcens
Denſaret gelidos horrida bruma niues,

XXXVII.

CHLOTHARII F. GVNTCHRAMNI REGIS.

*Apud Duchesnium Tomo I. pag. 518.*
*Ex M. S. Bibliotheca Petauiana*

IVNGITVR hic tumulo fratris germanus; & almo
Dulcia conſocians tradidit oſſa loco.
Vt cœlo reddens animam, ſic membra ſepulcro
*Chlotharius* Magni nomine dictus Aui.
Abſtulit hunc decimus mundanis curſibus annus;
Feſtinus celſis addere lucra polis.
*Francica* ſic patrium ſenſerunt regna dolorem,
Qui quoque cum populis perculit & proceres.
Concuſſit & ſceptra ſimul patriſque tribunal,
Quamuis immotus *Principis* eſſet honor.
Heu! nullæ vires poterunt, non vlla poteſtas;
Vitare heu! morſum mors inimica tuum.
Nunc quia *Regis* amor neſcit deponere luctus,
Vincit & inuictum mors miſeranda virum.

## XXXVIII.

## S CLODOALDI CLODOMERIS F.

*In cognomine vico prope Lutetiam.*

ARtubus hunc tumulum *Chlodoaldus* conſecrat almis,
Editus ex Regum ſtemmate perſpicuo.
Qui vetitus regni ſceptrum retinere caduci,
Baſilicam ſtuduit hanc fabricare Deo.
Eccleſiæque dedit matrici, iure tenendam,
Vrbis Pontificis quæ foret Pariſij.

## XXXIX.

## CLODOVEI I. FRANC. REG. CHRIST.

*In Eccleſiâ S. Genouefæ quæ olim S. Petri dicta.*

*Recenti opere manúque ſcriptum.*

HIc eſt illuſtriſſimus Rex *Ludouicus*, qui & *Clodoueus* ante baptiſmum eſt dictus, *Francorum* Rex quintus, ſed verus Chriſtianus: qui ab Anaſtaſio Imperatore Conſul & Auguſtus eſt creatus. Hunc ſanctus *Remgius* baptizauit, & in baptiſmate eius *Angelus* Ampullam ſacri Chriſmatis detulit Vi *Aquitania Arianos* expulit & totam illam terram vſque ad montes Pyreneos ſubjugauit. Huic per *Viennam* fluuium ceruus miræ magnitudinis viam oſtendit, per quàm Rex ac milites vadum tranſierunt: & in eius aduentu muri *Angoliſmæ* ciuitatis corruerunt. *Alemaniam*, *Toringiam*, *Burgundiam*, tributarias fecit, & terram adjacentem tranſiuit. Pariſijs ſedem regni conſtituit, Eccleſiam iſtam fundauit in honore Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* monitis ſanctiſſimæ & non ſatis commendandæ *Clotildis* vxoris ſuæ & beatæ *Genouefæ*, quam ſanctus *Remigius* dedicauit: in quâ poſt laudabilia opera Rex ſepultus eſt à quatuor filijs ſuis Regibus *Theoderico*, *Clo-*

Digitized by Google

*domiro, Childeberto & Chlotario.* Anno Domini 513 [ Corrige 511 ] regni ſui trigeſimo.

*Pronuper verò procurante Eminentiſſimo Cardinale Franciſco de Rupe-Fucaldi ſepulcro Clodonei hac addita fuit inſcriptio.*

CLODOVÆO Magno, Regum Francorum primo Chriſtiano, huius Baſilicæ fundatori, ſepulcrum vulgari olim lapide ſtructum & longo æuo deformatum Abbas & Conuentus meliori opere cultu & forma renouarunt.

## XL.

## CONSTANTIÆ F. ROBERTI I. DVCIS BVRG. COM. CABILLONI ET REG. CASTELLÆ.

*In monaſterio Sahagunenſi in Hiſpaniâ.*

DOrmit in anguſto poſt gaudia vana ſepulcro
Vxor *Adelfonſi*, *Conſtantia* nomine, Regis,
Regalis proles *Francorum* germine florens,
Conſilijs pollens: fuit huic ſapientia ſolers,
Conſtans, fœcunda, viguit bene religioſa.

## XLI.

## DAGOBERTI REGIS

*Ex Codice M.S. Bibliotheca Petauiana Tomo I. Duchesnij pag. 590.*

HAc *Dagobertus* humo Francorum gloria Princeps
Cum *Nanthild* decubat conjuge, pacis apex.
Quem meritis ſceptro *Dionyſius* extulit alto;
Cuius ope & gazis hîc ſtat in arce locus.
Nonum *Ianus* agens decimúmque per æquora ſolé,
Viceſimo luſtro reddidit oſſa ſolo.
Diues, inops, proceres, populus, rex, aduena, ciuis,
Sint horum memores, dent & in aſtra preces.



Digitized by Google

*Eiuſdem Regis ſtatuæ baſi verſus inſcripti in Clauſtro Abbatiæ S. Dionyſij.*

Fingitur hac ſpecie bonitatis odore refertus,
Iſtius Eccleſiæ fundator Rex *Dagobertus*,
Iuſtitiæ cultor, cunctis largus dator æris,
Affuit & ſceleris ferus ac promptiſſimus vltor.
Armipotens bellator erat veluti que procella
Hoſtes confregit, populóſque ſub arma ſubegit.

XLII.

DAGOBERTI F. CHILPERICI REGIS.

*Ex Fortunati libro IX. Carmine 5*

DVLCE caput populi *Dagoberte*, perennis amore,
Auxilium patriæ ſpes puerilis obis.
Germine regali naſcens generoſus & infans,
Oſtenſus terris, mox quoque rapte polis,
Belligeri veniens *Clodouechi* gente potenti,
Egregio proaui germen honore pari.
Regibus antiquis reſpondens nobilis infans,
*Chilperici*que patris, de *Fredegunde* genus.
Te veneranda tamen mox abluit vnda lauacri,
Hinc licet abreptum lux tenet alma throno.
Viuis honore ergo, & cum *Iudex* venerit *Orbis*,
Surrecturus eris fulgidus, ore nitens

XLIII.

DROGONIS EP. MET. F. CAROLI MAGNI.

*In Abbatiâ S. Arnulfi Metenſis.*

CONDITVR hoc buſto Præſul *Drogo* marmore ſculpto,
Spiritus in requie lætus ouat *Abrahæ*.
Filius hic *Magni Karoli* fuit Imperatoris,
Vir pius & prudens, vir probitate cluens.
Aulæ Regalis moderator, Paſtor ouilis,
*Metis* & Eccleſiæ, jure pater patriæ.

Digitized by Google

Hic Præſul,Præſes,Dominus,Primáſque cis *Alpes*,
 Eius judicio paca fuit regio.
Iſte *Glodeſſindis* ſolemniter oſſa leuauit,
 Condignéque loco condidit eximio.

## XLIV.

## FASTRADÆ VXORIS CAROLI MAGNI:

*Moguntiaci in æde S. Albani.*

INclita *Faſtradæ* Reginæ hic membra quieſcũt,
 De medio quam mors rigida flore tulit.
Nobilis ipſa viro conjuncta & jure potenti eſt:
 Sed modo cæleſti nobilior thalamo.
Pars illi melior *Carolus* Rex ipſe remanſit.
 Cui tradat mitis tempora longa Deus.

Tribuitur idem Epitaphium Theodulfo Epiſcopo Aurelianenſi. Vide paginam 179. operum eius à Sirmondo editorum.

*Extant nunc in primariâ æde Moguntiacenſi dua alia teſte R. P. Chriſtophoro Brouuero lib. 7. Antiq. Treuerenſium.*

Primum antiquius.

*Faſtradana* pia *Caroli* conjunx vocitata,
*Chriſto* dilecta jacet hoc ſub marmore tecta,
Anno ſeptuageſimo nonageſimo quarto,
 Quem numerum metro claudere *Muſa* negat.
Rex pie quem geſſit Virgo, licet hîc cinereſcit
Spiritus hæres ſit patriæ, quæ triſtia neſcit.

Alterum recentius.

QVÆ *Faſtradana* coram monumenta tueris
 Haud iſto primum fixa fuere loco.
Æde ſed *Albano* ſacrâ, cæliſque propinqui,
 *Martyribus* claro vertice collis erant.
Nunc ea quòd perijt flammis hoſtilibus ædes,
 Mota locis. z. lo. ſunt monimenta pio.



Digitized by Google

## X L V.

## FRANCISCI I. FRANCORVM REGIS.

*In Monaſterio Alta Brueria dicto Ord. Fontebraldenſis, vbi cor illius ſepultum eſt.*

Rex *Franciſce* tuum ſuperi quum fata dedere,
Ocyus *Iliaca* facta ſeuera domus
Contemptis lacrymis deſiderióque recenti
Amplius hoc, quo te proſequeremur, erat.
Puluere in exiguo quàm magni pectoris exta,
Cor quantum *Hectoreâ* ſtrenuitate jacet.

Chriſtianiſſimo Regi *Franciſco* primo, Victori, Triumphatori, Anglico, Hiſpanico, Germanico, Burgundico, Iuſtiſſimo clementiſſimóque Principi, *Henricus* ſecundus Rex Chriſtianiſſimus amantiſſimo Patri pientiſſimus filius.

*Alterum.*

Hic obſtat paries ne poſſis cernere, quo ſit
Cor conditum Regis loco.
At non intercedet, vti ne pectore fundas
Ex intimo preces Deo.
Det Regi æternam ſecum placidámque quietem,
Suóque iam vultu frui.

*Tertium.*

Vobis *Camana* flere laceris jam comis,
Vobis quoque artes ingenuæ, Vobis ſimul
Et diſciplinæ omnes vel ad vnam bonæ
Collacrymare jam liceret plurimùm;
Quòd ille libertatis aſſertor pius
Vindexque noſtræ, quod Camillus & parens
Veſter paterno qui ſinu vos vſque aluit
E vitâ abijt, mortalis & eſſe deſijt.
Et cana Fides fleret & adeò ipſa Eccleſia
Demortuo: niſi contigiſſet optimus

Et gnatus & hæres, qui vel æquet vel ſuperet
Poſthac patrem pietate animóque in vos bono.
Ergo placidâ jam pace fruatur ſpiritus
Ille ille *Franciſci* parentis optimi
Ac filio *Henrico* duplo detur melior.

XLVI.

# FRANC. BORBONII DVCIS MONPENSERII.

*Auctore P. Læto Iuliodunenſi.*

D. O. M. S. Et ſempiternæ memoriæ *Franciſci* Borbonij, Montiſpenſerij Ducis, Dumbarum Principis, cuius genus à D. Ludouico Francorum Rege eſt. Ipſe toto orbe per innumerabiles virtutes illuſtris, ob res præclarè pace bellóque geſtas, conſanguineis ſuis Chriſtianiſſimis Regibus Henrico II. Franciſco II. Carolo IX. Henrico III. & Henrico IV. chariſſimus ſemper vixit. Legatus de maximis rebus in Angliam bis trajecit, honorificentiſſimè exceptus à Reginâ, & Inſulanis omnibus admirabilis. In expeditione Belgicâ Franciſcum Regium Fratrem Andium Ducem comitatus, humanitatis, fidei, fortitudiniſque laudem inuenit. Allobrogas primùm, dein Neuſtrios ſummâ moderationis & iuſtitiæ famâ Prorex in Regum fide retinuit: Arboricenſibus, alijſque perduellibus ad deditionem coactis nihil vltra durus: pietatis cultor, æqui obſeruans, patriæ ſeditionibus afflictæ ſalutem fideliſſimè procurauit: tumultuantibus non odio priuato, ſed amore in patriam infeſtus prælijs omnibus ciuilibus interfuit, Regum partes conſtanter & cum imperio ſequutus nouiſſimóque Euriacenſi inter ſuos fortiſſimè dimicans, excuſſus etiam equo & humi proſtratus, victoriæ occaſionem Henrico Regi

Digitized by Google

præbuit. Tandem varijs valetudinum inſultibus, articularíque morbo iampridem fractus, cùm nullos militares ciuiléſque labores recuſaret, corporis reficiendi causâ Lexouium ex Regis exercitu repetens aſſidua febri paucis diebus extinctus eſt, relicto Henrico vnico filio, bonorum dignitatúmque omnium atque virtutis incomparabilis hærede. Obijt quarto Nonas Iunias anno Domini 1592. ætatis quinquageſimo currente.

## XLVII.

## FVLRADI ABBATIS SANCTI QVINTINI

Hieronymi F. cui pater Carolus Martellus.

*Auctore Theodulfo Ep. Aurelianenſi.*

QVùm denis luſtris ternos minus inclytus annos
Rex ageret *Carolus* ſceptra tenendo pia &c.

## XLVIII.

## GALTHERI BVRG. EP. LINGONENSIS.

*In Cartuſia Lugniacenſis Eccleſiâ.*

PRæſul *Linganicus* ſapiens ac mente *pudicus*,
Nomine *Galtherus*, patiens, humilis quoque, *verus*,
Zelator cultûs *Chriſti*: manet hicque ſepultus.
Hic nos *fundauit*, templum pariter *dedicauit*,
Faſtum *calcauit*, Mundum ſtercus *reputauit*.
Noſter & inde *fuit* factus; terreſtria *ſpreuit*,
Ac habitum *tenuit*, in quo cum pace *quieuit*,
Anno *milleno centeno ſeptuageno*
Octauo *pleno* migrauit corde *ſereno*.

Illud verò, octauo pleno, id eſt completo atque perfecto, atque adeò currente jam 1179. vt inani labore vexentur qui Epitaphium publicis quibuſdam monumentis & Chronico Benigniano aduerſari exiſtimant.

Digitized by Google

## XLIX.
## GERBERGÆ VXORIS LVD. TRANSMARINI.

*In choro Eccleſiæ S. Remigij Remis.*

FRANCORVM ſpecimen, *Francis* memorabile nomen,
Hoc Regina ſacro *Gerberga* locatur in antro.
Grandis honor regni, cui vita Monaſtica cordi
Hæc Era *Remigio* ſua rerum contulit almo.
Sol quintus Maij quam vidit carne reſolui.
*Remigij* meritis cui detur vita perennis.

Verſus alios Leoninos in ejuſdem Gerbergæ Reginæ honorem exhibuimus ſupra paginis 162, & 163.

## L.
## HENRICI II. GALLIÆ REGIS.

*Auct. Ioachimo Bellaio.*

OPtatam Henricus pacem conceſſerat orbi,
Ceſſerat ac toto Martius orbe furor.
Indoluit Mauors belli indignatus alumnum
Ad placidæ mentem vertere pacis opus.
Ergo illum fictis ludentem prælia bellis
Euolat emiſſo dum violentus equo,
Perculit imbelli confractæ cuſpidis ictu,
Ludentique ferus ſeria damna tulit.
I nunc, & Marti, Princeps, confide cruento,
In media quem ſic ludere pace iuuat.

*Alterum ejuſdem de eodem.*

Cum fruſtra Henricus pulcram per vulnera mortem
Quæſiſſet toties, dum fera bella mouet,
Dum belli effigiem ludit, Martémque laceſſit
Improbus & læuo fertur in arma Ioue,
Lumina perfoſſus, fuſóque per arma cruore,

Ceu voti compos, ſic moriturus ait:
Nunc tandem fictis animam ponamus in armis,
Quandoquidem veris ponere non licuit.

HENRICI II. GALLIÆ REGIS.

*In fine longioris elegiæ quam ſcripſit Ioachimus Bellaius.*

HIc jacet Henricus, qui fui orbis amor.

*Auctore Ioachimo Bellaio.*

Cùm fruſtra *Henricus* pulcram per vulnera mortem
Quæſiſſet toties, dum fera bella mouet.
Dum belli effigiem ludit, *Martémque* laceſſit
Improbus, & læuo fertur in arma *Ioue*.
Lumina per foſſus, fuſoque per arma cruore,
Ceu voti compos, ſic moriturus ait:
Nunc tandem fictis animam ponamus in armis,
Quandoquidem veris ponere non licuit.

*Adriani Turnebi ad Bellaium.*

Immeritâ Regem ſic luges morte peremptum,
Flebilibúſque citas carmina noſtra modis,
Integrat *Actæas* vt aëdon orba querelas,
Et ſua vocalis funera cantat olor.
Debueras aliâ, *Rex optime*, morte perire,
Mors tua non alio debuit ore cani

*Aliud ab Hippolyto Capilupo.*

Pro Gallis, *Henrice*, feros dum tendis in hoſtes,
In latere læſerunt ſpicula nulla tuo,
Dum pacem celebras ludis armiſque cruentis,
In te fracta tuum perforat haſta caput.
Ah ſcelus! haud potuit te *Pax* arcere periclo,
Illa licet per te ſit modò lapſa polo.
N[illegible] tua quæ forti ſeruaſti pectore regna,
Seruare à mortis te valuere manu.

Digitized by Google

*Aliud auct. Peno Angelio.*

*Henricum* triſtis cùm jam *Bellona* videret
 Cepiſſe inuictâ regna ſuperba manu,
Móxque ſibi generum pactis emiſſe *Philippum*
 *Auſtriacum*, & populis otia longa ſuis:
Indoluit, celebriſque inter ſpectacula ludi,
 Obuia, perfractâ caſſide fudit humi:
Atque in connubij, paciſque hoc fœdere, dixit,
 Quæ caderet, nuſquam victima major erat.

*De eiuſdem Regis corde apud a Reuerandos Patres Celeſtinos Pariſienſes carmina hec extant. Necnon de corde Catharinæ Medicæ Reginæ, Et Annæ Montmorancij Coneſtabilis.*

I.

Cor junctum amborum longum teſtatur amorem
 Ante homines; iunctus ſpiritus ante Deum.

II.

Hic ſua Rex Regina ſimul ſtatuere reponi
 Corda, locus veri pignus amoris erit.

III.

Huius Pyramidos ſi quis myſteria gliſcit
 Noſſe, ſub iſta ſuo Cor pede Regis habet.
Virgineos habet hæc triplici ſub imagine vultus,
 At *Charites* ternas.
Prima *Fidem* propriè ſignat, *Spem* rite ſecunda,
 Tertia dilectam denotat eſſe *Charin*.
Quas Rex *Henricus* miro poſſedit amore,
 Has veluti ſponſas totus habebat amans.
Firma *Fides* Regis, *Spes* certa, *Chariſque* perennis,
 Nullis temporibus deſeruere virum.
Hinc fit vt admixtas cernantur iungere dextras,
 Quòd nuſquam fuerit Rex pius abſque tribus.
Iure manus igitur conjunctas ſemper habentes,

Abſque tribus ſcandit nullus ad Aſtra, docent.
Carminis iſtius lectorem quemque monebo,
Hoc Regina ſuum cor cupit eſſe loco.
Dum Vitæ *Lacheſis* præſentes finiet annos,
Et fuerit proprium morte ſecuta virum.
Vt quorum fuerit Cor vnum atque vna voluntas;
Dum ſimul amborum mutua vita foret.
Corporibúſque ſuis vnum viuendo cubile
Vt fuit, & viuis ſpiritus vnus erat.
Sic quoque Mors properans minimè diuiſit vtroſque,
Vt fuit illorum ſic erit vnus amor:
Iſtius ergo rei ſit Pyramis optima teſtis
Quæ ſimul amborum corda ligata tenet.

IV.

ADSTA viator non leue pretium moræ:
Hoc grande patrio Cor duplex jacet loco.
Regis, Duciſque: Regis *Henrici*, Ducis
*Momorantij Annæ*, per gradus qui ſingulos
Ad Militaris ordinis faſtigium
Peruenit, & res maximas ſub maximis
Domi foriſque Regibus geſſit tribus,
*Franciſco*, & *Henrico*, vltimóque *Carolo*.
Sed præcipua quò ſingularis & Fides
Inter Ducémque, Regem & *Henricum* foret
Teſtata corda juſſit amborum ſimul
Rex ipſe poni, pignus haud dubitabile,
Quòd juncta eorum vita perpetuò fuit,
Hîc juncta quorum mors habet vitalia.

Digitized by Google

## L I.

## HENRICI III. FRANC. ET POLON. Regis.

*Scripſit Paulus Thomas Engoliſmenſis.*

DVra ego pene puer diſcrimina Martis adiui,
Aſſererem vt fratri Gallica regna pio.
Agmina collatis bis ſtraui hoſtilia ſignis
*Pictonicis* campis, quáque *Carenta* fluit.
Me ſibi dein Regem fortes petiere *Poloni*,
*Gallicá*que idcirco terra relicta mihi eſt.
Nondum illic totum geſtaram ſceptra per annum,
Cùm celeri fato frater ademptus obit.
Delata accipio *Franci* moderamina regni,
Do pacem *Gallis*, ciuica bella fugo.
Rex toties, victor toties, en lubrica fata!
Cultello Monachi ſaucius hîc jaceo.

## L I I.

## HENRICI MAGNI GAL. ET NAV. Regis.

*A Franciſco Remondo Soc. IESV.*

SIſte Hoſpes: mora parua tibi eſt hic namque futura,
Sed reliqua eſt oculis tota tenenda via.
Nobilius toto ne quæras orbe ſepulcrum.
Rex major nullo clauditur in tumulo.
Nulla Orco erupit magis impia dextera, quàm quæ
Tam ſanctum potuit contemerare latus.
Nulla tot ex oculis hauſit mors flumina, nullum
Tam mœſtos funus fregit in aſtra ſonos.
Sunt lacrymæ, gelido quas cernis marmore, guttæ:
Quantumvis felix, flet tamen ipſe lapis.
Conſocia gemitum, Heu! vitam regni & decus orbis
Sic potuiſſe mori, ſic potuiſſe tegi.

Digitized by Google

*Alterum.*

Auguſti æternum cineres ſaluete ſepulti,
Oſſáque tam celebri digna locata cado.
Præſtantes varijs ſi tot virtutibus vna
Relliquias tanti numinis vrna capit.
Omnis enim *Henricus* ſuperum conceſſit in orbem,
Cum ſecuere ſuos improba fata dies.
Hoc ſolum memori ſeruantur marmore honores,
Sculptáque nobilibus fortia facta notis.
Is modo cæleſti reſidens auguſtior aulâ
Grandius æthereo ſidus in axe micat.

*Hic quoque adſcribenda eſſet Elegia integra quam R. P. Henricus Auberius S. I. in Henrici Magni parricidium ſcripſit, ſed quia prolixior eſt, ex eâ aliquot dumtaxat verſus ſeligam. Vide Miſſum eius Poëticum pag.* 20.

Æternùm intereâ nobis Regum Optime Salue.
Æternùm Regum Maxime Aue atque Vale.
Te raptum querimur, Patrem ſibi Patria; Regem
Regnum; Aſſertorem Gallica ſceptra ſuum.
Occidit Henricus Regum decus, vna futuri
Lux miranda æui, Præteriti vnus honor.
Gallorum ille ſimul Victor, Vindéxque, Paréńſque
Occidit. Heu! prohibet plura referre dolor.
Occidit. At cujus ſcelere occidit? Obmuteſce
Phœbe, nec hunc Galli dic cecidiſſe manu.

Ex Lacrymis Flexienſibus.

Audi, Viator, quem vides graui preſſum
Saxo, putaſti Galliæ, Nauarræque
Regem, quietis publicæ patrem & pacis:
Hîc ne require, cippus iſte non claudit,
Heroa tantum tam breue haud capit marmor.
Nam mens beatas ætheris colit ſedes;
Sparſos honores, gloriam, decus, fama

Vexit

Vexit remoti in orbis vltimos tractus;
Memoria grato Galliæ in ſinu viuit,
Superſtitem ingens ſpiritus animat natum.
Vnde ergo cælo tanta tollitur moles?
Lapiſque Parius funeris notas præfert?
Viator abi, & hoc diſce, ſi mori Henricus
Potuiſſet, iſto conditus foret cippo.

D. O. M.

## LIII.
## HENRICI BORB. MARCH. DE BELLO PRATELLO.

*Auctore Stephano Boëtio ſen. Burdeg.*

Lvxiſti toties, iam perfice *Gallia*, talem
Materiam lacrymis non dabit vlla dies.
Vix toto Regum duo funera vidimus anno:
En mox Auguſtæ tertia damna domus.
Occidit heu! Diuum ſanguis puer! occidit, in quo,
Quod totus meritò lugeat orbis, habet.
Iam vir conſilio, iam canus moribus: vna,
Cur poſſes puerum dicere, forma fuit,
Cur donant, quæ mox repetant lugendáque terris
Oſtentant raptim gaudia falſa Dei?
An quia vel vidiſſe ſat eſt? mediocribus vti
Sorte datum nobis, maxima Numen habet.

## LIV.
## HENRICI DVCIS MONTISPENSERII.

*Auctore R. P. Iac. Sirmondo S. I.*

Henrico Borbonio Duci Montiſpenſerio, domino Dombarum, Proregi Normanniæ, Principi præſtantiſſimo, generis ſplendorem ſummis virtutibus æquanti, pio, forti, pacifico: de quo in vita iure vnquam queſtus eſt nemo: quod

immaturus obijt, dolent omnes.

*Quod breuia fuerint ſpatia vitæ non queror:*
*Vita quod iſti perijt, æterna eſt datum.*

## LV.

## HILDEGARDIS VXORIS CAROLI MAGNI.

*Ex libro Pauli Langobardi Diaconi Foroiul. De Epiſcopis Metenſis Eccleſiæ;*
*Et apud Alcuinum pag.* 1758. *ac Baronium.*

AVRI Aſquæ fuluis rutilant elementa figuris,
Quàm clara extiterint membra ſepulta, docent.
Hic Regina iacet Regi præcelſa potenti
*Hildegard Carolo* quæ bene nupta fuit.
Quæ tantùm claræ tranſcendit ſtirpis alumnos
Quantùm quo genita eſt Indica gemma ſolum.
Huic tam clara fuit florentis gratia formæ
Quâ non occiduo pulcrior vlla foret.
Cuius haud tenerum poſſunt æquare decorem
Sardonix Pario, lilia mixta roſis.
Attamen hanc ſpeciem ſuperabant lumina cordis,
Simplicitáſque animæ, interiorque decor.
Tu mitis, ſapiens, ſolers, iocunda fuiſti,
Dapſilis & cunctis condecorata bonis
Sed quid plura feram, cùm non ſit grandior vlla
Laus tibi, quàm tanto complacuiſſe viro.
Cúmque vir armipotens ſceptris iunxiſſet auitis
Liniferúmque *Padum*, Romuleúmque *Tibrim*:
Tu ſola inuenta eſt, fueris quæ digna tenere
Multiplicis regni aurea ſceptra manu.
Alter ab vndecimo rurſus te ſuſtulit annus,
Heu genitrix Regum! heu decus atque dolor!

Te *Francus*, *Sueuus*, *Germanus*, & ipſe *Britannus*,

Cúmque *Getis* duris planxit *Ibera* cohors.

Accola te *Ligeris*, te deflet & *Itala* tellus

Ipſáque morte tua anxia *Roma* gemit.

Mouiſti ad fletus & fortia corda virorum:

En lacrymæ clypeos inter & arma cadunt.

Heu! quantis ſapiens & firmum robore ſemper

Vſſiſti flammis pectus herile viri!

Solatur cunctos ſpes hæc, ſed certa dolentes,

Pro dignis factis quod ſacra regna tenes.

LVI.

HILDEGARDIS FILIÆ CAROLI MAGNI.

*Ex Paulo Diacono de Epiſcopis Metenſibus.*

HILDEGARD rapuit ſubitò te funus acerbum,

Ceu raptat Boreas vere liguſtra nouo.

Expleuit necdum vitæ tibi circulus annum,

Annua nec venit lux geminata tibi.

Paruula non paruum linquis virguncula luctum,

Confodiens jaculo regia corda patris.

Matris habens nomen, renouas de morte dolorem,

Poſtquam vixiſti vix quadraginta dies.

Pectore nos mæſto lacrymarum fundimus amnes,

Tu nimiùm felix gaudia longa petis.

LVII.

HVGONIS MAGNI ROBERTI REGIS F.

*Auctore Girardo Aurelianenſi.*

*Ex codice Bibliothecæ Petauianæ.*

SVBLATVM viduæ iuuenem tibi *Francia* luge,

Quæ caput extuleras damna tui lugeas.

Exue quidquid habes, feſtina ſcindere veſtes,
Dilacerans crines da capiti cineres.
Indomitos dociles qui redderet arduus hoſtes
*Hu o* decus patrium, flos cecidit iuuenum.
Indolis extremæ miro dilectus amore,
Nunc etiam luctus & dolor immodicus.
*Celtiberi* lacrymant, te Regem *Roma* petebat,
O miſerande puer? ſed tumulatus hic es.
Aſpectu pulcher, iuſtis pius, hoſtibus acer,
Si fore vir poſſes, te *Babylon* tremeret.
*Parthus* & in pharetrâ propter te conderet arma,
Apparénſque minor cederet orbis honor.
Pax igitur tibi ſit, quæ claudi limite neſcit:
Lector ad hoc pronus quòd repetat petimus.

*Glaber Rodulfus libri iij. Hiſtoriarum ſui temporis cap. nono in eius Principis mortem ſcripſit aliquot verſus Iambicos, ex quibus octo tantum hic deſcribam.*

ANNIS florebat mundo iuuenilibus,
Terdenis minus excreuerat duobus,
Regnorum lumen *Hugo*, Regum maximus,
Quem nox funeſta inuidit hominibus.
Leone preſſo Virgo ſolem ceperat
Tua cum dirus membra pallor occupat,
Denis diebus forte fit lux ſeptima,
Te patri fama perdidiſſe nuntiat.

## LVIII.

## HVGONIS I. DVCIS BVRGVNDIÆ.

*In Eccleſia Abbatiæ Cluniacenſis.*

HIc requieſcit celebrandæ memoriæ, magnúſque ſæculi contemptor, *Hugo*, olim Dux *Burgundiæ*, poſtea Sacerdos & Monachus huius ſanctæ Eccleſiæ *Cluniacenſis*. Anima eius requieſcat in pace. Amen.

Digitized by Google

LIX.

INGEBVRGIS SEV ISENBVRGIS DANÆ VXORIS PHILIPPI II. AVGVSTI

*In Eccleſia S. Ioannis Corbolienſis.*

HIc jacet *Iſburgis* Regum generoſa propago,
Regia, quòd Regis fuit vxor, ſignat imago.
Flore nitens morum vixit patre Rege *Danorum*.
Inclyta *Francorum* Regis adepta thorum.
Nobilis huius erat, quod in ortis ſanguine claro
Inuenies rarò, mens pia, caſta caro.
Annus millenus aderat deciéſque vicenus,
Ter duo, terque decem, cum ſubit ipſa necem.

L X.

IOANNÆ I. REGINÆ NEAPOLITANÆ.

*Neapoli in Eccleſiâ S. Claræ ſeu V. Sacramenti.*

INclyta *Parthenopes* jacet hic Regina *Ioanna*
Prima, prius felix, mox miſeranda minus.
Quam *Carolo* genitam mulctauit *Carolus* alter,
Qua morte illa Virum ſuſtulit ante ſuum.
*Obijt* 1382. *die* 22. *Maij Indictione quintâ.*

L X I.

B. IOANNÆ DVCISSÆ BITVRICENSIS.

*Sepultæ Biturigibus in cryptâ Eccleſiæ Conuentus B. Virginis Annunciatæ.*

OBijt inclyta & meritis plena Sancta *IOANNA à Francia* illuſtriſſima *Ludouici XI. Regis* filia, & ſoror alterius videlicet *Caroli VIII.* Quæ viro ſoluta caſtè viuens, Mundo orbata, & diuinis ac ſacris addicta, huius ſancti Cœnobij, imò & totius Orbis *ſacrorum Beneplacitorum Euan-*



Digitized by Google

*gelicorum* Fundatrix & rectrix extitit pientiſſima. Porrò nunc Beata in cœlis, laureata perpetuò cum Beatis *Deo* fruitur, die quinta Februarij defuncta anno Domini MDIV. *ſeu more Romano, quem modo ſequimur, milleſimo quinquageſimo quinto.*

## LXII.

## IOANNIS FILII S. LVDOVICI FR. REGIS.

*In Eccleſia Abbatiæ Regalis montis.*

HIc jacet *Ioannes* excellentiſſimi *Ludouici* Iunioris Regis *Francorum* Filius, qui in ætate infantiæ migrauit ad Chriſtum, anno Gratiæ 1247. ſexto Idus Martij.

## LXIII.

## IOANNIS DVCIS DYRRACHII PR. ACH.

*Neapoli in Eccleſia S. Dominici.*

DVx *Duracenus* Regali à ſtirpe *Ioannes*
Atque Comes dignus *Grauina*, mente benignus,
Ac *Albanorum* Dominus, corrector & horum,
*Angeli montis* ſancti dominator honoris,
Princeps diſcretus, mira pietate repletus,
*Francia* cui Patrem confert, *Hungaria* Matrem
Sanctâ de gente generatus vtroque parente,
Hic jacet illuſtris, vitæ clauſis ſibi luſtris,
Anno milleno, quo *Chriſtus* corde ſereno
Et tricenteno perfulſit ter quoque deno
Quinto migrauit cæleſtia qui properauit.
Tertia perſtabat Indictio quæ numerabat.
Oramus *Chriſte* cæli Dux inclytus iſte
Viuat in æternum, Patrem ſpeculando ſupernum.

Digitized by Google

LXIV.

IOANNIS BVRGVNDI DVCIS BRABANTIÆ.

*Furnis in Flandria Comitatu.*

IOannes natu major, pietatis ac doctrinæ amans, decimo-tertio ætatis anno Dux, decimo-ſexto maritus: at infauſto mox conjugio vigintiquatuor: Academiæ Louanienſis conditor, diem haud multò poſt obijt xv. Kal. Maias M. CCCC. XXVI.

LXV.

ISABELLÆ FILIÆ S. LVDOVICI REG. FRANC. VXORIS THEOBALDI REGIS NAVARRÆ.

*In Eccleſiâ Abbatiæ Claraualenſis.*

SI quemquam fortuna fauens à morte tueri
 Poſſet, *Iſabellis* haud moritura foret,
Filia *Francorum* Regis, Regina *Nauarræ*,
 Vndique Fortunæ cincta fauore fuit.
Forma decens, illuſtre genus, florénſque iuuentus,
 Virtus quæ mortis damna lucroſa facit,
Mens deuota, pius affectus, vita pudica,
 Poſt mortem meliùs viuere præſtat ei.
Felix quæ potuit blando ſpecie tenus vti
 Mundo, mente colens ſeduliore Deum.

*Aliud in eodem Monaſterio.*

HÆc quicumque legis, ſcito quòd filia Regis
Inclyta *Francorum* digniſſima laude bonorum,
Iſtum corde Chorum proprio facit eſſe decorum.
Hîc cor Reginæ *Nauarræ* fragrat odore,
Quod dedit in fine, Conuentus huius amore.
Regis *Nauarræ Theobaldi* ſponſa ſecundi,
Hic cor habet, quod non decepit gloria mundi
Huic *Campania* paruit, & *Bria*, nam Comitiſſa
Clara, Palatina, diues quondam fuit ipſa.

Sed tamen hic mores adjunxit nobiliores,
Nam pietas, affabilitas, hanc intitularunt
Simplicitas & ſobrietas in eâ radiarunt:
Munditiæ ſpeculum fuit & titulus probitatis,
Illuſtrans populum famâ propriæ bonitatis.
Hæc ſapiens, humilis, formoſa, diſerta, pudica,
Vix eſt huic ſimilis cui virtus tam ſit amica.
Quidquid fortuna, natura vel ars meditari
Sciuit in hac vnâ voluit Deus accumulari.
His margaritis fuit adornata decenter
Inſuper & mitis, aduerſa tulit patienter,
Cum Patre, cum ſponſo, cum Fratribus optat adire
Hieruſalem, ſed mors hanc fecit retro redire.
Mors Patris & Fratris cor præſens valdè grauauit,
Sed Sponſi dulcis amor illud plus cruciauit.
Nomen ſi quæris fuit *Iſabella* vocata,
Regalis generis flos, gloria, laus celebrata.
Hac cor in Eccleſiâ tibi miſit *Virgo Maria*,
Vt ſibi propitia ſit per te *Vera Sophiâ*.
Hanc tibi commendet deuotus grex Monachorum
Inſuper emendet operum forefacta ſuorum.
Dum currunt anni ſub *Chriſto* mille ducenti
Septuaginta monos, tumulatur honore decenti,
Has res qui legitis, *Iſabellam*, quæſo, iuuate,
Vt veſtris meritis poſſit regnare beate.

LXVI.

IRMINGARDIS VXORIS LOTHARII IMPER.

*Auctore Rabano Mauro.*

INGREDIENS quiſquis hanc ædem rite requiſas,

Noſcere te libeat quid tumulo hoc lateat.
Fœmina hîc pauſat Auguſta & nobilis ortu,
*Irmingarda* cui nomen erat deditum
Quæ hoc opus incipiens hanc aulam condere juſſit,
Ad *Chriſti* laudem atque ſui requiem.
Nam pia relliquias *Sanctorum* ex Vrbe receptans
*Romana* huc vexit, hícque locauit eas,
Ipſorum caperet meritis vt gaudia vitæ,
Delicti ac veniam perciperet precibus.
Caſtè conuerſans, mundana hæc gaudia ſpreuit
Pauperibus larga, & omnibus apta bonis.
Nobiliter vixit, alijs exempla reliquit
Virtutum, ſibimet præmia læta parans.
Hæc quoque dum expleret iuuentile hic tempus, & annos
Maturæ ætatis inciperet jam, obijt.
Linquens regna ſoli penetrauit regna polórum,
Cum *Chriſto* & Sanctis gaudia vera tenens.
Hanc rogo tu Lector commenda rite Tonanti
Aſſiduis precibus, *Chriſtus* eam vt habeat.
Cum quo congaudens viuat feliciter ipſa,
Angelicis ſemper mixta beata choris.
Has ego *Rhabanus* confeci verſibus odas
Ex obitu mœſtus, ex requie & gratulans.
Obijt Irmingarda Imperatrix anno Dom. Incarn. 851. Iuentione 14. decimo tertio Kal. Aprilis in die paraſceue hora quaſi ſexta & requieuit in pace.

LXVII.

IVDITHÆ BALDVINI FL. VXORIS.

*Gandaui in D. Petri Abbatia.*

REgis Francorum Caroli ſum filia Calui,
Nobilis illa *Iudith* & ſpecioſa nimis.
Vxorem ſibi quam me ſumpſit Ferreus olim

Balduinus, Duce quo Flandria pacem habuit.
Gloria qui veterum mihi quondam magna meorum
Extitit, heu! Carolum mors rapuit iuuenem.
Alter ſuccedens Patri regnauit & ipſe
Tempore ſat longo, mors rapit hunc ad eum.
Omnia deficiunt mortalia gaudia mundi,
Et ſub ſole nihil permanet hîc ſtabile.
Princeps prima fui Flandrenſis & inclyta quondam,
Nunc ſed in anguſto contrahor hoc tumulo.
Iam mihi nil proſunt vir, proles, patria diues,
Eſt mea ſed fœdis vermibus eſca caro.

## LXVIII.

## LADISLAI REGIS NEAP. CAROLI III. F.

*Neapoli in Templo PP. Augustinianorum.*

IMproba mors noſtris heu ſemper & obuia rebus!
Dum Rex magnanimus totum ſpe concipit Orbem
En moritur, ſaxo tegitur Rex inclytus iſto,
Libera ſidereum mens ipſa petiuit Olympum.

*Secundum ibidem.*

Qui populos bello tumidos, qui clade tyrannos
Perculit intrepidus, victor terráque marique
Lux *Italûm* regni ſplendor clariſſimus hic eſt
Rex *Ladis laus* decus altum & gloria Regum.
Cui tanto heu la rymæ! ſoror illuſtriſſima fratri
Defuncto pulcrum dedit hoc Regina *Ioanna.*
Vtraque ſculpta ſedens Majeſtas vltima Regum.
*Francorum* ſoboles *Caroli* ſub origine primi.

*Tertium auct. Actio Sincero Sannazario, ut & alia plura omittere cogimur.*

Digitized by Google

LXIX.

LOTHARII IMPERATORIS

LVD. PII F.

*Auctore Rhabano Mauro.*

CONTINET hic tumulus memorandi *Cæſaris* oſſa

*Lotharij* magni Principis atque pij.

Qui *Francis*, *Italis*, *Romanis* præfuit ipſis,

Omnia ſed ſpreuit, pauper & hinc abijt.

Nam bis tricenos *Monachus* ſic attigit annos,

Et ſe mutauit, ac bene poſt obijt. *III. Kal. Oct.*

LXX.

LOTHARII FRANCORVM REGIS.

*A Gerberto Monacho Auriliacenſi poſitum.*

CVIVS ad obſequium coiere Duces, bonus omnis

Quem coluit, ſate *Cæſaribus*, monumenta doloris

*Cæſar Lothari* prætendis luce ſecundâ

Terrifici *Martis* quod eras conſpectus in aſtro.

Deceſſit VI. Nonas Martias anno Chr. 986.

LXXI.

LVDOVICÆ MATRIS FRANC. I.

*Benedicto Theocreno auctore*

QVæ jacet hîc veteres Heroïdas anteit, Hoſpes:

Tu modò de multis proxima facta lege.

Hæc nato regnum ſeruauit, mox ſibi natum,

Et regno Regem reddidit incolumem.

Quid, quòd jam nullis ſperatam emittere pacem

E medio belli turbine viſa fuit?

Qui tituli implebunt tantarum pondera rerum?

Digitized by Google

Quíſue honor æternùm talia geſta manet?
Credita ne fuerit patriæ materque, decúſque,
Laudatam credas inferiùs meritis.

Ejuſdem ALOYSIÆ MATRIS FRANCISCI I.

*A Franciſco Oliuario Cancellario.*

ISto Loyſa diua ſub tumulo jacet,
Pietate magnos ac meritis æquans Deos,
Quam ſi quis olim nouit, hic certè nihil
Aſiæ imperaſſe fœminas mirabitur.

LXXII.

LVDOVICI PII REGIS FRANC. ET IMP.

*In Monaſterio S. Arnulſi Metenſis.*

IMPERII fulmen, *Francorum* nobile culmen,
Erutus à ſeculo conditur hoc tumulo.
Rex *Ludouicus* pietatis tantus amicus,
Quòd *Pius* à populo dicitur & titulo.
*Hildegard* ſoboles, *Karoli Magni* pia proles,
In pacis Metas colligit hunc pietas.
*Rumelicum* villam, quidquidque refertur ad illam,
*Arnulfo* ſancto contulit, huicque loco.
Stirps à quo Procerum, Regúmque, vel Imperatorum:
Quorum muneribus ſiſtitur iſte locus.

LXXIII.

LVDOVICI II. IMP. LOTHARII F. LVD. PII N.

*In Eccleſiâ S. Ambroſij Mediolani.*

HIc cubat æterni *Ludouicus Cæſar* honoris,
Æquiparat cuius nulla *Thalia* decus.
Nam ne prima dies regno ſolióque vacaret,
*Heſperia* genito ſceptra reliquit Auus.

Quam ſic pacifico, ſic forti pectore rexit,
Vt pueri breuitas vinceret acta ſenum.
Ingenium mirérne, fidem, cultúſve ſacrorum,
Ambigo virtutis an pietatis opus.
Huic vbi firma virum mundo produxerat ætas,
Imperij nomen ſubdita *Roma* dedit:
Et *Saracenorum* crebras perpeſſa ſecures,
Libera tranquillam vexit vt antè togam.
*Cæſar* erat cœlo, populus non *Cæſare* dignus.
Compoſuere breui ſtamine fata dies.
Nunc obitum luges infelix *Roma* patroni,
Omne ſimul *Latium*, *Gallia* tota dehinc.
Parcite, nam viuus meruit hæc præmia, gaudet
Spiritus in cœlis, corporis extat honos.

LXXIV.

LVDOVICI III. IMPER. FILII ARNVLFI.

*In choro Monaſterij S. Emmerani Ratiſpona.*

PAVSO ſub hoc ſaxo *Ludouicus* Regia proles,
*Romani* Regem quem ſtatuere ſibi.
Mi fuit *Arnulfus* genitor, qui proximus illic
A cornu altaris conſpiciendus adeſt.
Hic vbi pertæſus vitæ ſua tempora clauſit,
*Romani* Imperij ſors mihi ſceptra dedit.
O nimis infelix! quatuor vix luſtra videbam,
Iniecit rapidas cùm mihi *Parca* manus.

LXXV.

LVDOVICI VI COGNOMINE GROSSI.

*In Abbatiâ S. Victoris Pariſienſis.*

ILluſtris genitor *Ludouici* Rex *Ludouicus*
Vir clemens, Chriſti ſeruorum ſemper amicus,
Inſtitui fecit *Paſtorem Canonicorum*

In Cellâ veteri trans flumen *Pariſiorum.*

Hanc vir magnanimus almi *Victoris* amore
Auro, relliquijs, ornauit, rebus, honore.
Sancte *Dionyſi*, qui ſeruas corpus humatum,
Martyr & Antiſtes *Ludouici* ſolue reatum.
Chriſti centeno cum mille decem & tribus anno
Templum hoc *Victoris* ſtruxit regalis honoris.

LXXVI

LVDOVICI VII. COGNOM. IVNIORIS.

*In Abbatiâ de Barbellis ſeu de Sano portu.*

QVi modo ſum modicus cinis, olim Rex *Ludouicus*,
Dum terris præeram terra futurus eram.
Sed licet aufferre ſua non valeat caro terræ,
Seruat perpetuum ſpiritus eſſe ſuum.
Parce mihi Domine, qui finis es & ſine fine,
Quem ſine principio, quem ſine fine ſcio
Iam tranſcendo fidem, quia jam ſcio credita pridem,
More ſuo patriæ credita, more viæ.
Hoc mihi ſcire dedit, quem vita ſcit, & via credit,
Quem via credit, eum vita ſcit eſſe Deum.
Elegiſſe leges alia loca Regia Reges,
Huic magis elegi pauper ineſſe gregi.
Pauperis vt memores meliùs ſint pauperiores;
Gaudeo pauper homo pauperiore domo.

*Alterum.*

TRANSIT in hæredem pius ille prior *Ludouicus*,
Nomine, ſede, fide, nec pietate minus.
Seruula, triſtis, inops aliquo ſub Rege; ſub iſto
Floruit Eccleſia libera, læta, potens.
Rex humilis, Rex pacificus, *Dauid* & *Salomonem*

Digitized by Google

Protulit exemplo, ſéque ſuóſque regens.
Quantum conjugij permiſit copula, caſtus:
Quantum iuſtitiæ regula, mitis erat.
Iejunans, vigilans, orans, deuotus ad omnes
Diuini cultus obſequij que modos.
Lingua preces viuas, lacrymas pia palpebra fudit,
Pauperibus ſolidos officioſa manus.
Hic meritis rapuit cælum, violentia ſancti
Raptus & à cœlo te tibi terra refert.

## LXXVII. LXXVIII. LXXIX. LXXX. LXXXI.

LVDOVICORVM VIII. IX. X. XI & XII. deſiderantur Epitaphia, hoc loco, ſi quis repererit, collocanda.

## LXXXII.

## LVDOVICI XIII. IVSTI, FRANCIÆ ET NAVARRÆ REGIS CHRISTIANISSIMI.

### *ELOGIVM FVNEBRE,*

*Auctore Antonio Chanut, è S. I.*

QVIS, & quantus ereptus ſit terris, orbem docet attonitum luctus Franciæ, dolor ſociorum, hoſtium gaudium, ſtupor Europæ. Rex hic eſt, diuino munere Philippus Adeodatus, innocentiâ Ludouicus nonus; religione Clodouæus; ſapientiâ Carolus quintus; continentiâ Ludouicus octauus; generoſo candore animi Franciſcus primus; prudentiâ Ludouicus vndecimus; felicitate Carolus octauus, fortitudine Henricus quartus, rebus geſtis Carolus magnus: vtroque magno minor ætate, par gloriâ: etiam major, quod eius vita fuerit contexta miraculis, regnum vi-

ctorijs & triumphis; LVDOVICVS XIII. vnus inſtar auorum omnium.

Naſcituro præiuit Europæ terræ motu concuſſæ, tremor ad terrorem, naſcenti Libra præfuit ad æquitatem: Iupiter die ſuo fauit, ad majeſtatem: Henricus pater, offerens Deo, bene precatus ad felicitatem. Editus eſt, ante Veneris aut exortum, aut regnum; ne vel in ortu quidem ſubeſſet infami aſtro, cui nunquam in vita futurus erat obnoxius: horâ noctis vndecimâ, vt lumen orbis: anno ſæculi primo, Regum ſui ſæculi primus: neque tam regni gradu, quàm vitæ meritis, & laude geſtorum.

Natus candidis fuit manibus, ad innocentiam: ter oculos in cœlum ſuſtulit, ad religionem: gladium à patre porrectum arripuit, ad fortitudinem: in ſinu virtutum, Deíque tutela educatus, ad ſanctitatem.

Natura purpuram dedit infanti, ad hæreditatem imperij; Indiges Ludouicus nomen, ad æmulationem virtutis: Iuſtitia cognomen, ob meritum: Nouenni puero mors immatura patris, imperium, ad rerum ingentium maturationem: indoles animos, ad Heroïca: inſtitutio pietatem, ad diuina: ordo regum à Clodouæo per vigeſimum quemque ſacer, virtutis futuræ pignus, in ſanctitatis augurium, felicem ominis implendi neceſſitatem. Adoleſcenti annus idem, & Libræ menſis vtrique natalis coniugem dedit ex Libra cœleſti parem: Dei fauor, matris cura, propria pietas innocentiam; labor aſſiduus temperantiam; exercitatio bellica ſcientiam; arma Hæreſis & perduellio; æquitas cauſæ felicitatem, facta gloriam, diuina eius ergô miracula ſpeciem conſecrationis. Viro

venerationem

venerationem religio contulit, bella ciuilia & externa victorias, potentia rerum arbitrium, vota progeniem, virtus aſtra, merita æternitatem. Per labores & bella; per triumphos & gloriam ſeni eſſe non licuit.

Ad Aulonças arenas præſentem veneratus eſt maris æſtus; ad Rupellam Oceanus, ad Rçam venti, licèt abſentem. Ad rebelles vrbes horruit perfidia, ad Corbiam Belga, ad Suſas Inſuber, ad Caſale; ad Ruſcinonem Hiſpanus; mors ipſa Lugduni. Famula vbique natura, dux Virtus, Fortunæ comes, ſecundi Cœlites, MARIA Patrona, fauens Numen.

Trecentæ arces æſtate vnâ, vel alterâ ereptæ perduellioni & Hæreſi, cum Prouincijs integris, totidem teſtes præſentis Dei. Rupella domita, Caſale ſemel, iterum, tertiò defenſum, Briſacum captum, Taurinum receptum, Atrebatum vindicatum, Bapalma, Eliberis, cæteræ per vim expugnatæ, prodigia virtutis bellicæ: Nanceium, Monœcus, Perpinianum, Sedanum parta ſine vi, miracula felicitatis. Multa per annos ſingulos, terrâ marique, miranda licet, crebritate deſierant eſſe miracula.

Bellis ciuilibus nunquam commiſſæ acies, quin pariter debellatum: eòque mirabiliùs aliquando, quod etiam tum vicit, cum victus eſt: eòque ſemper feliciùs, quod cum cæde paucorum. Bellis externis Franciam docuit, quid poſſet: Hiſpaniam, quid non poſſet: Italiam, quid timeret: Germaniam, quid mereret: Angliam, quid auderet: Europam, quid ſuſpiceret omni virtutum regiarum genere tam carus & mirabilis, quam grauis & formidabilis hoſtibus.

Qq

In Arteſia, Hannonia, Lucemburgo, Belgio; Flandricus: cis & trans Rhenum Germanicus; trans Alpes Italicus: trans Pyrenen Ibericus: in Oceano Gallico Anglicus: ad Cantabricum littus, ad Lerinenſes inſulas, ad oram Genuenſem, ad Tarraconem Hiſpanicus: fractis Europæ ſimul infeſtæ, & coniuratæ viribus Europæus: curſu perpetuo, ſplendore virtutum, factorum gloriâ Solis inſtar, cui ſemper agi, ſemper fulgere, natura, non labor eſt. Patronus Mantuani, domitor Lotharingi, tutor Sabaudi, ſeruator Gothalani, defenſor Luſitani, omnium victor, aut propugnator, aut arbiter Cui ferè caſtra pro regia, labores pro delicijs, otia pro ſupplicijs, pericula pro exercitationibus; pugnæ pro ludis; palmæ fuêre pro præmijs. Nam clades acceptæ, non tam detrimenta fortunæ, quàm temperamenta felicitatis, irritamenta virtutis, incrementa gloriæ, victis deinde victoribus.

Regno fines dedit arcibus à ſe partis inexpugnabiles, vt, vel ſe mortuo, nihil timeret Francia præter ſeipſam: Romanæ Sedi ſecuritatem, externæ dominationi modum, Europæ terrorem pariter, & amorem; Orbi admirationem; Deo victorias, & ſeipſum: triumpho pietatis illuſtrior, quàm fortitudinis: relatâ in Deum autorem intactâ gloriâ tanto glorioſior, quanto ex modeſtia religioſior, ex religione modeſtior. Certabat ſcilicet in eo cum fortitudine religio, vincebátque victricem hoſtium virtus quæ ipſum quoque vincebat fauentem Deum.

Diuina ſic obijt, ac ſi non curaret humana: eâ religione, qnâ cerneret potiùs, quàm crederet præſens Numen: eâ compoſitione, quâ compo-

neret incompoſitos, omnium oculos, animóſque defigeret: ſpirans imago regiæ pietatis, lux viua modeſtiæ. Cœlites coluit vt patronos, prenſauit vt ſuffragatores, frequentauit vt amicos, amplexus vt ſocios, virtutum æmulus, candidatus felicitatis, ſanctus in regibus, rex futurus in ſanctis. Tot vetera, tot noua templa impietati erepta pietati reſtituit, vel addixit, tot poſuit, vt dignus ipſe ſit templo.

Præſules haud minùs elegit, quam Polemarchos, ex merito: religionem, vt regnum, amplificauit ex ſtudio: hæreſim tantùm non extinxit ex odio: ac ne quid irreligioſum, aut profanum eſſet in iure ſuo, voto Se, liberos, ſubditos ciuitates, prouincias, regnum Deiparæ in æternum anathêma, Franciam vniuerſam ſolenni diê, ritu, aris, ſupplicationibus, conſecrauit in templum.

Monomachiam ſeueritate coërcuit, ad furoris pœnam: luxum lege compeſcuit, ad modeſtiam: de re iudiciaria, de militari, de politica, de nautica, de publica re vniuerſa, Rex ſui nominis iuſtiſſimè ſanxit ad æquitatem. Virtutem omnem rege dignam, probauit iudicio, animauit imperio, imperauit exemplo.

Nempe, haud minore miraculo ſui victor ille, quàm hoſtium: inter aſſiduas & ingentes vitiorum illecebras, in ſumma licentia temperans, in majeſtate facilis, in poteſtate moderatus, in ſecundis modeſtus, in aduerſis ſedatus, in perpetuis bellorum & negotiorum tumultibus ſemper pius: ſemper tam candidis moribus, ac in ortu manibus: boni & æqui tam ſemper tenax, quàm Sol Eclipticæ: vbique tam æquabilis, ac ſi ſemper in Libra. Hoc vnum erat illi ſignum in ſignis omni-



Digitized by Google

bus, etiam in monſtris. Nec in Scorpio ſæuijt, neè arſit in Leone, nec amauit in Virgine, niſi ad Librã.

Nec in morte ſui diſſimilis, niſi quod tum ſeipſo maior: ſemper interritus, ſemper inuictus, de morte victor, & de ſeipſo, terrebat terribilem omnibus: hinc mortis moræ. Tum ſui maximè rex, cum vix ſuus: rex ſuorum magis, regni curâ: pluſquam rex, contemptu regni: ferè iam Indiges tædio vitæ, odio terræ, cœli deſiderio, de morte gaudio, fiduciâ beatæ æternitatis.

Vates etiam ſupremo vitæ die, reportandæ breui, Enguieno Principe copiarum duce, de Belga, Hiſpanóque victoriæ. Autorem vaticinij Deum, poſt quintum ab eius obitu diem, probauit euentus: Vatem ipſum effectorem tantę rei prodidit libera captiuorum, & fidê digna confeſſio. Viſum illum à cohortibus multis in acie Rocroienſi, fulminantem ex equo negare quis audeat, quando victus hoc hoſtis & ille Hiſpanus, teſtis oculatus, & iuratus affirmat? Fuit ergo poſt fata Patronus Franciæ, fatalis hoſti, probator cauſæ, belli ſocius, pugnæ dux, parens victorię, pro Francis in Hiſpanos idem, qui pro Hiſpanis ſanctus Iacobus in Mauros: futurus impoſterum Principis Cœlitum Michaëlis Vicarius, Indigetis Proaui Ludouici Collega,

Coniugi luctuoſum licet, dignum tamen reliquit laudatiſſimis Reginæ virtutibus, & ingentibus meritis præmium: Hæredi, cum nomine, gloriam immortalem, auito maius imperium, populos tam obſequentes, vt à Rege puero regi poſſent; diu regnandi ſpatium, vincendi legem, ſanctè regnandi neceſſitatem: vtrique liberûm, præter Annam parentem, tutorem Deum, Patronam

MARIAM: Regibus humanæ mortalitatis documentum: omnibus, Chriſtianiſſimæ vitæ & mortis exemplum.

Corpus ſancto Dionyſio, ex Regum more, Societati IESV, paterno, maternôque exemplo, COR ex amore dedit, animum Deo reddidit: Vndequaque fœlix, ſi, quam vrgebat, dediſſet heu pacem Europæ! At non abſtulit, ſed diſtulit; quam fecerat, ſpem reliquit, & ſpei cauſam.

Exceſſit è viuis cùm Sol iret in Geminos victurus in prole gemina: menſe Maio, florente iam regno: in robore ætatis, canus laboribus, factis ſenex: in apice gloriæ, ad extollendam paruitatem Hæredis: fatali diê paterni obitûs, ad æternam Regis vtriuſque memoriam, vtriuſque funeris luctum: ipsâ ferè aditi regni horâ, ad fidem fluxæ felicitatis humanæ. Diſcant mortales nihil eſſe diuturnum, niſi quod æternum eſt: & hoc vnum eſſe felix, ſanctè viuere, ſanctè mori.

## IN STATVAM EIVS EQVESTREM LVTETIÆ POSITAM *In Plateâ Regali.*

LVDOVICO XIII. Chriſtianiſſimo *Francorum* & *Nauarrorum* Regi, Pio, Iuſto, Felici, Triumphatori ſemper inuicto, Catholicæ Religionis aſſertori: ſanctorum Principum *Arnulfi* Ducis, *Caroli Magni* Imperatoris, *Ludouici IX.* Regis ſanguini primigenio: *Henrici Magni* filio: *Ludouici XIV. Adeodati*, vt Regni, ſic primis ab annis victoriarum hæredis parenti non ſine miraculo: poſt bellorum ciuilium ignes ſopitos, fuſos ac fugatos *Anglos*, fractas *Hæreticorum* partes, *Oceanum* ſtupendo aggere, imo compedi-

bus vinctum, *Rupellam* nullis fere humanis viribus expugnabilem addeditionem compulſam, poſt ſubditorum itidem rebellantium proſtratam peruicaciam cum fortitudine tum clementiâ, *Caſalim* præcipuum *Italiæ* munimentum tribus obſidionibus exemptum, *Auguſtam Taurinorum* ac *Mantuam* ciuitates *Sabaudo* ac *Mantuano* Ducibus reſtitutas, *Italiam* liberatam, poſt *Catalauniam* vindicatam, Regem *Luſitaniæ Ioannem IV.* alióſque fœderatos Reges ac Principes auxilijs adjutos, poſt *Atrebatum*, *Briſiacum*, *Nanceium*, *Perpinianum*, *Sedanum*, munitiſſimas vrbes plurimáſque alias armis ſubactas, *Germanos*, *Belgas*, *Hiſpanos*, *Lotharingos*, *Allobroges*, collatis ſignis terrâ marique ſępiſſime ſuperatos, Monumentum hoc *Scæuola* & *Ludouicus Sammarthani*, Gemini fratres, Regis Hiſtoriographi, publico *Galliæ* nomine poſuerunt anno reparatæ ſalutis 1647. *Pſalmo XCI.* Iuſtus vt Palma florebit. *Virgilius Æneidos XI.*

*Rex inuicte, Quibus cœlo te laudibus æquem?*
*Iuſtitiane prius mirer, belline laborum?*

## LXXXIII.

## LVDOVICI FILII S. LVDOVICI IX. FR. REGIS.

*In Eccleſiâ Abbatiæ Regalis montis*

HIc iacet *Ludouicus* filius ſancti *Ludouici* Noni Regis *Franciæ*, & *Margaritæ* filiæ Comitis *Prouinciæ*, qui obijt anno ætatis ſuæ decimo ſexto anno Domini 1259. & ſepultus eſt in loco iſto in Octauis Epiphaniæ Domini. Adoleſcens Deo & hominibus gratioſus, honeſtate morum adornatus.

Digitized by Google

## LXXXIV.

## LVDOVICI DVCIS AVREL.

*Apud Cæleſtinos Pariſienſes.*

QVi ſim, quæ mea ſit ſi quæris noſſe propago?
Clarior eſt, quàm quod dicier hîc ſit opus.
Regis ego proles, & Regis origine frater,
Regis ego patruus, denique Regis auus.
Si Rex non fuerim, mirari deſine; Regnum
Ante diem veniens mors inopina tulit.

*Alterum eiuſdem.*

LVDOVICI DVCIS AVRELIANENSIS ET VALENTINÆ MEDIOL. CONIVGIS.

QVIS tumulum poſuit? Regum Rex maximus ille
Filius & Regum Rex *Ludouicus* honor.
Quando? Poſt *Ligurem*, *Inſubrem*, *Siculúmque* triumphum,
Poſt captos Reges, *Sfortiadáſque* Duces.
Quis iacet hîc? Magni Heroes, *Ludouicus*, & Vxor,
Alma *Valentina*, Regia progenies.
*Aureli* proceres *Carolus* cum fratre *Philippo*
Ille auus, illa auia eſt: hic Pater, hic Patruus.
Qui genus? *A Francis.* Studium quod? Regna tueri,
Bellaque ſanguineâ ſollicitare manu.
Quæ mulier? *Ducis Inſubrij* pulcherrima proles.
Ius *Mediolani* ſceptráque dote dedit.
Viuere debuerant propter facta inclyta ſemper.
Debuerant, ſed mors impia, cuncta rapit.
Hos ergo rapuit Proceres? Non corpora tantùm.
Semper erunt animæ, gloria ſemper erit.



Digitized by Google

*Alterum.*

Hoc tecum illuſtris Pario *Ludouice* ſepulcro
Iuncta *Valentina* coniugis oſſa cubant.
Et merito *Inſubris* tibi iura Ducalia ſceptri
Tradita legitimæ præmia dotis erant.
Subjacet & *Carolo* clauſus cum fratre *Philippus*,
Inclyta iam veſtri pignora bina thori.
Magnificus *Carolo* naſcens *Ludouicus* ab alto,
Hæc poſuit largâ buſta ſuperba manu.
*Sfortiadem* indignâ pepulit qui ex ſede Tyrannum.
Et ſua qui *Siculas* ſub iuga miſit opes.
Vt tantos decorata Duces *Aurelia* iactat,
*Gallica* Sic illo ſceptra tenent. tument.

LXXXV.

MARGARITÆ BVRG. REGINÆ SICILIÆ.

*In choro Eccleſiæ Noſocomij Ternodorenſis.*

HIc iacet illuſtriſſima Domina vitæ morúmque floribus decorata, Domina *Margareta* quandam Regina *Ieruſalem* & *Siciliæ* filia incliti Domini *Odonis Comitis Niuernenſis*, filij nobiliſſimi *Ducis Burgundiæ*, fundatrix iſtius Hoſpitalis, de proprijs bonis dotatrix, humilitatis ſpeculum, charitatis refugium, puritatis veſtigium: quæ obijt anno Domini 1308. die 5. Septembris.

LXXXVI

MARGARITÆ REGINÆ NAVARRÆORVM

*Auctore P. Fuluio.*

ADſta Viator, eſt ſacer locus: cernis
Vultus, & agnoſcis pares Dijs ſummis?
Miraris, & ſtupens rogas quod eſt Numen?
Auguſta facies te ſatis docet. Quin tu

Digitized by Google

Lege titulos: hoc mater artium & Princeps
Oriunda ſtirpe nobiliſſimâ Regum
Regis ſoror, conjúxque Regis elegi
Fanum: ſat eſt, abi Viator, & ferro
Pius oculos ſupplêxque inure candenti,
Ne quid profanum conſpicêris à ſacro.

## LXXXVII.

## MARIÆ DVCISSÆ BRABANTIÆ PHILIPPI AVG. ET AGNETIS MERANIÆ FILIÆ.

*In Monaſterio Affligemenſi.*

MARIA *Philippi Regis* filia, quondam *Philippi Marchianis Namurcenſis*, & poſtea *Henrici Brabantiæ Ducis* vxor, fœmina omnium pulcherrima, hîc petijt ſepeliri anno MCCXXXVIII. Kal. Aug.

## LXXXVIII.

## MARIÆ HVNG. REGINÆ SICILIÆ.

*Neapoli in Eccleſiâ Monialium Ordinis S. Franciſci.*

HIc requieſcit ſanctæ memoriæ excellentiſſima Domina *Maria*. D G. *Ieruſalem*, *Siciliæ Hungariæque* Regina, magnifici Principis quondam *Stephani* D. G. Regis *Hungariæ* filia, ac relicta claræ memoriæ inclyti Principis D. *Caroli* ſecundi, & mater ſereniſſimi Principis & Domini *Roberti*, eadem gratia Regis dictorum Regnorum *Ieruſalem Siciliæ*que Regum illuſtrium, quæ obijt anno Domini 1323. Indictione ſextâ, die 25. Martij, cuius anima requieſcat in pace.

Digitized by Google

LXXXIX.

MARIÆ FILIÆ OBERTI R. NEAP. ET CONIVGIS PHILIPPI II. PR. TARENT.

*Neapoli in Eccleſiâ S. Cl ra ſeu V. Sacramenti.*

HIc jacet corpus illuſtriſſimæ dominæ *Mariâ de Franciâ*, Imperatricis *Conſtantinopolitana*, ac Duciſſæ *Duratij*. Quæ obijt anno Domini 1366. die 20. Maij indictione quartâ.

XC.

PETRI CARLOTI EPISCOPI NOVIOMENSIS REGIS FRANC. PHILIPPI AVG. F. N.

*In Eccleſia B Mariæ Nouiomenſis.*

NOuiomi Præſul *Petrus* iacet hîc tumulatus,
Quondam *Francorum Philippo* Rege creatus,
Caſtus, formoſus, iuſtus, mitis, generoſus.
Trans mare deuote fuit hic cum Rege nepote
Luce tuâ remeans Dionyſi tranſijt anno
Bis ſexcenteno quinquageno minus vno.
Qui legis exterius, intrinſecus aſpice, plora:
Seriùs aut citiùs veniet tibi funeris hora,

XCI:

PETRI DROC. BRITANNIÆ DVCIS.

*In Eccleſiâ S. Euodij Brennacenſis.*

PEtrus flos Comitum *Britonum* Comes hic monumentum
Elegit poſitum iuxta monumenta parentum.
Largus, magnanimus, audendo magna probatus,
Magnatum primus, Regali ſtirpe creatus.
In ſanctâ regione Deo famulando moratus,
Vitæ ſublatus obiens iacet hîc tumulatus,

Digitized by Google

Cæli militiâ gaudens; de milite *Chriſti*
Summa lętitia Comiti Comes obtine *Ieſu*.

XCII.

## PHILIPPI I. FRANCORVM REGIS.

*Ex codd. Mſſ. Bibliotheca Petauiana.*

SEPTEM milleno centum ſimul adde reſecto
Tuncque ſcies annum, Regem ſubijſſe *Philippum*
Ingreſſum mortis diræ nulli renuentis,
Auguſto quartas orbi ſignante Calendas
In feria dicta *Silueſtri* dogmate quarta.

*Alterum.*

FRANCORVM ſummus jacet hac tellure *Philippus*,
Rex fuit hic magni progenies *Priami*.
Corpore procerus, vultu ſtellante ſerenus,
Imperio ſpecies congrua *Romuleo*.
Strenuus in bellis, regni defenſor auiti,
Solers conſilio, prouidus eloquio.
Inſignis pietate, trucis cohercitor iræ,
Verbis iocundus, moribus & placidus.
Auguſti terris conſcendit in æthra Kalendis,
Annis ſceptra nouem vigies & bis agens.

*Tertium.*

REX fueram prædiues opum, linquáque diſertus,
Progenies Regum, virtute potens, genus altum,
Gloria magna mihi, quâ tenditur æmula virtus.
Hac tumulatus humo naturæ debita ſolui,
Ac cinis in cinerem ſenſi datus ecce quid eſſem.
Heu quid honor, quid opes, quid gloria, quidue poteſtas!
Aſt petij *Benedicte* tuam ſpecialiùs ædem,

Æthercam concede rogo precibus mihi ſedem.
Julius exactis dum lucibus iret ad aſſem,
Spiritus Auguſtas ceſſit meus ante Calendas.
Qui legis hæc meritam minui mihi Iudicis iram
Exige, ſed precibus faueas his *Chriſte Redemptor.*

XCIII.

PHILIPPI II COGNOMINE AVGVSTI.

IN Crucis hoc ſigno *Philippus* Rex ego ſigno,
Qui me confixi mundo clauis *Crucifixi.*
Cúmque meum nomen in amoris conſonet omen,
Facto ſeruaui quod nomine ſignificaui.
Hinc de mercede cœli ſecurus in ęde,
Quomodo Rege regi gaudebam, ſeruio Regi,
Francorúmque tribus domitis per bella Tyrannis,
Quadraginta tribus rexi feliciter annis.
Bis ſexcenteno bis deno cum tribus anno,
Poſtquam iuſtitiæ ſolem tulit aula *Maria*
Sub Cancri ſidus data Iulij cùm præit Idus,
A mundi regno tranſlatus in æthera, regno
Cùm verè viuis factus de milite ciuis.
Poſt breuis hic æui requiem breuiter requieui,
Fitque loco celebris cum ſignis gloria crebris.

Eiuſdem Regis Teſtamentum ex veteri codice MS. in lucem eruit Ducheſnius pag. 261. Tomi V. Hiſtoricorum Franciæ.

XCIV.

PHILIPPI CORTEN. MARCH. NAMVRCI.

*In Eccleſiâ Monaſteriy Vallicellæ.*

MArchio *Philippus Namurcenſis* iacet intus
Nec facilè dicas animis an major in armis.
Tu prece ſis facilis. Mors comparat vltima primis.

Digitized by Google

XCV.

PHILIPPI DROCENSIS EP. BELLOVACENSIS.

*Bellouaci in Eccleſiâ Cathedrali.*

F*Rancorum* ſoboles Regum generoſa *Philippus*,
Præſul in hoc Templo quondam iubet oſſa recondi,
Ex humili quando iſtud opus conſurgit in altum,
Huc tranſlata iacent Comiti ſociata *Rogero*.

XCVI.

PHILIPPI ET IOANNIS FF. LVDOVICI VIII.

*In Eccleſia B. Mariæ Piſſiacenſis.*

HIſtorum Comitum cuiuſdam *nomen auitum*,
*Gratia* dat reliquo, *Blancâ* nati & *Ludouico*.
Regibus hi nati, ne non Reges habeantur
Vitæ morte dati cæleſti ſede locantur.

XCVII.

PHILIPPI DAGOBERTI F. LVDOVICI VIII.

*In Eccleſia Abbatiæ Regalis montis.*

ECCE *Philippus* ego cognomen habens *Dagoberti*,
Ad te tendo manus, ad te volo, *Chriſte*, reuerti:
Natus magnifico patre Rege fui *Ludouico*:
Rex meus & frater *Ludouicus*, *Blancá*que mater.
Rex qui regna regis, regúm diadema perenne.
Me ſobolem Regis tuearis ab igne gehennæ.
Vermibus hic ponor eſca....., extendere conor
Et ſicut hic ponor, ponitur omnis honor.

Digitized by Google

*Aliud*

Hic iacet *Philippus* cognomen habens *Dagoberti*, frater ſancti *Ludouici* huius monaſterij Fundatoris.

## XCVIII.

## PHILIPPI PR. TARENTI ET IMP. CP.

*In Eccleſia S. Dominici Neapoli.*

HIc pius & fidus, hic *Martis* in agmine ſidus,
*Philippus* plenus virtutibus atque ſerenus;
Qui *Caroli* natus *Francâ* de gente ſecundi,
Regis *Siciliæ*, Reginâ matre creatus
*Hungariæ*, ipſe etiam vir natæ ſemine *Diui*
Regis *Francorum Catharinæ* proſtrenuorum,
Quâ *Conſtantinopolis* extitit Imperator;
Atque *Tarentini* Princeps dominatus amator.
Noſtra tamen patris, ſtrenuis ac ictibus acris
*Achaiæ* Princeps, cui *Romania* deinceps
Tanquam *Deſpoto* titulo fuit addita noto.
Inclytus eſt gratus tumulo hic iacet intra beatus.
Princeps, qui magno ſolio migrauit in anno
*Chriſti* milleno trecenteno ter quoque deno
Bino, December erat eiuſdem ſexta vicena
Facta dies, inerat indicto quintáque dena.

## XCIX.

## PHILIPPI ALENGONII CARDINALIS.

*Romæ in Eccleſia S. Mariæ trans Tiberim.*

FRancorum genitus Regia de ſtirpe *Philippus*,
*Alenconiades*, *Oſtia* titulatus ab vrbe,
Eccleſiæ cardo tantâ virtute reluxit,
Vt ſua ſupplicibus cumulentur marmora votis.
Anno milleno cum quater, abde ſed I ter,
Occubuit qua luce Dei pia Virgóque mater.

Digitized by Google

C.

# RADULFII II. VERMANDORUM COMITIS.

*In Capitulo Abbatiæ Longipontis D. S.*

HIc *Radulfe* iaces Comes inclyte, laúſque tuorum,
Te genus & pietas, te laudat gratia morum.
Te Deus aſſumat decus atque corona ſuorum:
Hîc erit & requies & vita beata piorum.

CI.

# RAINALDI F. FRANC. DYRRACHII.

*In primariâ Eccleſia Urbis Foggienſis.*

HIc iacet inſignis populo defletus ab omni
*Rainaldus* patriæ flóſque decúſque ſuæ.
Quem tulit ingenti *Dyrrachia* laude nitentem
Magnorum Regum ſtemmate clara domus.
Hunc pater infelix iuuenili ætate peremptum
Vidit, & extinctum ſic dolet eſſe genus.
I nunc & Mundi rebus ſpem pone ſecundis:
Sors humana mala eſt, qua bona tanta cadunt.

Franciſcus Dyrrachius filio dulciſſimo qui vixit annos 25 obijt die primo Septembris 1494. gemens poſuit.

CII.

# ROBERTI PII FRANC. REGIS

*Epithaphium non reperimus,*
*Sed eius loco verba Helgandi Monachi Floriacenſis in fine eius vitæ placuit adſcribere.*

VNa pro certo omnium vox : *Rex magne, Deus bone, ut quid nos interficis, cùm nobis Patrem bonum abſtrahis & tibi adiungis?* Heu! pro dolor! ingeminatis vocibus acclamatum eſt : *Rex*

*berto imperante & regente ſec rivivimus :neminem timuimus. Patri pio, Patri Senatus, Patri omnium bonorum, felix anima & ſalus. felix ad ſuperna aſcenſus, felix cum Chriſto Rege regum per ſæcula cohabitatio.* Poſt alia porrò eiuſdem ſanctiſſimi Principis elogia; opuſculum illud hoc fine concludit: Iam nunc Monachorum, Clericorum, viduarum, orphanorum, & omnium pauperum Chriſti ex parte habeas perpetuum vale; noſter præcordialis amor Rotberte &c.

## CIII.

## ROBERTI II. COMITIS DROCENSIS.

*Apud Brennacum in Eccleſiâ S. Euodij.*

STIRPE ſatus Regum, pius, & cuſtodia legum,
*Brennæ Robertus* Comes hîc requieſcit opertus,
Et jacet *Agnetis* ſitus ad veſtigia matris.
Obijt anno 1218. die Innocentium.

## CIV.

## SEV ROBERTI I. SENIORIS COM. DROCENSIS.

PRinceps ROBERTVS mira pietate refectus
Hic jacet: Heu noli plura rogare, tacet.

## CV.

## ROBERTI III. COMITIS DRO.

*In Eccleſiâ S. E Brennaci.*

HIc jacet illuſtris ex Regum ſanguine natus
*Drocarum Branaque* Comes *Robertus* humatus,
Hic in amiciti â *Theſeus* fuit, alter in armis
*Ajax*, conſilio pollens fuit alter *Vlyſſes*
Obij anno 1233.



Digitized by Google

## CVI.

## ROBERTI IV. DROCARVM COMITIS.

*In Eccleſia S. Euodij Brennacenſis.*

MAgnus in orbe Comes, morum grauitate diſertus,
Iuſtitiæ fomes, jacet hac in parte *Robertus*
Pulcher & illuſtris, conſtans, nec fraude paluſtris,
*Chriſtum* mente piâ coluit cum matre *Mariâ*.
Hunc dominum *Clarimontis*, fortiſque *Drocarum*,
Et *Branna* didici ſancti ſimul & *Valerici*
Compatiens miſeris quibus & miſerando mederis
Munus opis celebre tribuens, huic tu miſerere.

ROBERTVS V. filius Ioannis & Roberti IV. nepos obijt an 1350 & ſepultus fuit in Eccleſia S. Stephani cum Epitaphio quod quia Gallicum eſt, illud, vt cætera eodem idiomate expreſſa, prætermiſimus.

## CVII.

## ROBERTI REGIS SICILIÆ.

*Neapoli in Eccleſia S. Claræ.*

CErnite *Robertum* Regem virtute refertum.

## CVIII.

## ROBERTI PR. TARENTINI ET IMP. CP.

*Neapoli in Eccleſiâ S. Georgij Magni.*

ILluſtri *Roberto Andegauenſi*, *Byzantiorum* Imperatori, *Tarentinorúm*que Principi, *Caroli* vtriuſque *Siciliæ* Regis ex *Philippo* filio neopoti ab anno 1364. obſcurè jacenti vſque dum anno 1471.



Digitized by Google

*Andreæ Agneſis* huius templi Præſidis pietate ac diligentia locus datus eſt.

CIX.

ROTHAIDIS FILIÆ PIPINI REGIS,

*Ex Libro Pauli Vvarnefridi Langobardi de Epiſcopis Metenſis Eccleſiæ.*

HIc ego quæ jaceo *Rotaith* nomine dicor,
Quæ genus excelſo nimium de germine duco.
Nam mihi germanus gentes qui ſubdidit armis
*Auſonias* fretus *Karolus* virtute *Tonantis*.
*Pipinus* pater eſt *Carolo* de Principe cretus,
*Agareum* ſtrauit magna qui clede *Tyrannum*
*Pipinus* proauus, quo non audacior vllus
Aſt abauus *Anſchiſe* potens, qui ducit ab illo
*Trojano Anchiſa* longo poſt tempore nomen.
Hunc genuit pater iſte ſacer præſulque beatus
*Arnulfus*, miris geſtis qui fulget vbique,
Hic me ſpe cuius freti poſuere parentes.

CX.

SANCIÆ ARAG. REGINÆ NEAPOLIS

*In Monaſterio S. Crucis O. M. Neapoli.*

HIc jacet ſummæ humilitatis exemplum, corpus venerabilis memoriæ ſanctæ ſororis, claræ olim Dominæ *Sanciæ* Reginæ *Ieruſalem* & *Siciliæ* relictæ claræ memoriæ ſereniſſimi Domini *Roberti Ieruſalem* & *Siciliæ* Regis quæ poſt obitum ejuſdem Regis viri ſui agens debitæ viduitatis annum deinde tranſitoria cum æternis commutans ac inducens eius corpore pro amore Chriſti voluntariam paupertatem bonis ſuis omnibus in alimoniam pauperum diſtributis, hoc celebre Monaſterium

Sanctæ Crucis, opus manuum ſuarum ſub Ordinis obedientia eſt ingreſſa anno Domini 1344. die 21. Ianuarij duodecima Indictione, in quo beatam vitam ducens ſecundum Regulam B. Franciſci Patris pauperum, tandem vitæ ſuæ terminum religioſè conſummauit anno 1345. die 21. Iulij, ſequenti verò die tumulatur,

## CXI.

## SIBYLLÆ BVRG. REGINÆ SICILIÆ.

*In Monaſterio S. Trinitatis Cauenſis.*

IN hoc tumulo jacet corpus Reginæ *Sibyllæ*, vxoris quondam *Rogerij Siciliæ* Regis.

## CXII.

## THEODORICI I. FRANCI REGIS.

*Atrebati in S Vedaſti Abbatia.*

REx *Theodoricus* ditans vt verus amicus
Nos ope multimodâ jacet hîc cũ conjuge *Dodâ*.
*Regis* larga manus & Præſul *Vindicianus*,
Nobis *Regale*, dant & ius *Pontificale*.
In decies nono cum quinquagies duodeno
Anno defunctum ſciet huic qui quatuor addet.
Quâ legis hæc horâ, *Dominum* pio *Regibus* ora,
Muneribus quorum ſtat vita Dei famulorum,

## CXIII.

## THEODECHILDIS REGINÆ.

*Ex Ven. Fortunato lib. 4 Ep. 25.*

QVAMVIS ætatis ſenio iam flecteret annos
Multorúmque tamen ſpes cito rapta fuit.
Si precibus poſſent naturę debita flecti,
Plebs ageret lacrymis hanc ſupereſſe ſibi.
Gaudia quanta inopum tumulo ſunt cauſa ſub iſto!

Votáque quot populis abſtulit vna dies?
Inclyta nobilitas genitali luce coruſcans,
Hic properante die *Theodechilda* jacet,
Cui frater, genitor, conjux, auus, atque priores,
Culmine ſucciduo Regius ordo fuit.
Orphanus, exul, egens, viduæ, nudíque jacentes,
Matrem, eſcam, tegmen hîc ſepeliſſe dolent.
Vnica res placuit tumulo mercedis opimæ,
Antea cuncta dedit, quàm peteretur opem.
Occultans ſua dona ſuis, mea fortè vetarent,
Sed quę clauſa dedit iudice teſte, docet.
Templorum Domini cultrix, pia munera præbens,
Hoc proprium reputans quidquid habebat inops.
Vna mori ſors eſt, & terræ reddere terram.
Felix; cui meritis ſtat ſine fine dies.
Actibus his inſtans terrena in luce relata
Ter quino luſtro vixit in orbe decus.

Ejuſdem aut Alterius cognominis.

*Ex Odoranni Chronico Senonenſi.*

HVNC Regina locum Monachis conſtruxit ab imo,
*Teuchildis* rebus nobilitando ſuis.
Cuius nunc licet hoc corpus claudatur in antro,
Spiritus aſtrigero viuit in axe *Deo*.
Implorans teſtes paſtoribus, euge beatum
Det rapientibus hinc, Heu! mala digna *Deus*.

*Hanc quoque XII. partem cum Deo ac Virgine Eodem ac cæteras claudemus exitu.*

Οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων.

*Neque omnia, neque paſſim, nec ab omnibus.*

# INDEX LOCVPLETISSIMVS EPITAPHIORVM OMNIVM, QVÆ HVIVS THESAVRI PARTIBVS XII. COMPREHENDVNTVR.

*Romani numeri Character Partes: Arabicus vero Partis epitaphium deſignat.*

## A


Ablabij medici VII. 1
Abrahami abbatis II. 1
Abrahami Orteſij VII. 1. 2 XI. 1.
Abundantij II. 2
Accipitris X. 1
Achillis Pelidæ I. 1
Achillis & Patrocli VIII. 2
Acidis I. 2
Actæ libertæ IX. 1
Actij Sannazarij VII. 3. 4. VI 1. 2.
Adamantij catelli X. 2
Adami VI. 3. 4.
Adami Bodenſtenij XI. 2
Adami de ſancto Victore II. 3


Digitized by Google

Adelfonſi Ep. II. 4
Adelæ conjugis Flandr. CXII. 1
Adeleidis filiæ Caroli Magni XII. 3
Adhelardi Corbeiæ Abbatis XII 4
Adeodati leuitæ II. 5
Adheleidis Pipini filiæ XII. 2
Adjutoris XII. 3
Adoleſcentis Philoſophi VII 5
Adolfi Occonis VII. 6.
Adrianæ Memmiæ VII. 7.
Adrianæ Saxonæ VII. 8
Adriani I. Papæ II. 50
Adriani Iunij XI. 57
Adriani Turnebi III. 1. VII. 9. 10. XI. 4
Adtæ alumni I. 3
Aduocati cujuſdam IX. 2. VI. 7. 8.
Ægidij Burdini VII ij. 12. VI. 9.
Ægidij Magiſtri VII. 14
Æliæ Læliæ Criſp. IX. 3
Æliæ Septimaniæ VII. 15.
Agamemnonis I. 4
Agnetis & Clementiæ XII 5
Agrippæ iuuenis VII. 16.
Ajacis Telamonij I. 5. 6 VII. 3
Alani calui IX. 4
Alardi Milleni IX 8
Alberti Luteri VI. 10
Alberti Magni VII. 17
Alberti Royenſis V. 1
Albieræ VII. 18. 19
Albij coloni VI 20
Albij Tibulli I. 7. 8
Albinæ VII. 21
Albradæ XII 6
Alcimenis VIII. 4
Alcimi pueri I. 9
Alcuini Flacci II. 6
Aldinæ catellæ X. 3
Aleatoris IX. 9
Alexis XII 7
Alexandri Achillini VII 25
Alexandri Fabri VII. 26
Alexandri Farneſi VII. 27 28. XI 5.
Alexandri Iunij VII. 30
Alexandri Magni I. 10. 11.
Alexandri Nouellarii VII. 29
Alexandri Montacurij XII 8
Alexandri viri pij VII 31

S. Alexij VI 11
Alfonſi Dauali VII. 22 23 24
Alfonſi ducis VI. 12.
Alfonſi Toſtati VII. 13
Alienordis XII. 9
Aloyſij Aragonij Card. VII. 32.
Aloyſij Taliani VII 33
Aloyſij Turrij VII 34
Alphij furciferi IX. 5.
Aluari Gomeſij XI. 6
Aluari Nonij XI 7
Amandi Vorm Ep II 7
Amalrici Monfortij XI 3
Amantij IX. 6
Amaranthæ VI. 14
Amaryllidis VII. 35
Ambroſij cujuſdam VII 36
Ambroſij Monachi VI. 15.
Amicorum duorum VII 37
Amoris Ic. I. 12
Anacreontis IX. 10
S Anathalonis II. 8
Andreæ Alciati XI. 6
Andreæ Alexij VII. 38
Andreæ de Caſtro VII. 39
Andreæ Fabri IX. 12
Andreæ Minutij VII. 40
Andreæ Naugerij VII. 41 42.
Andreæ Neap. regis XII. 10
Andreæ de Neſmond XI. 10
Andreæ Theueti VII. 43.
Angelæ puerperæ I. 13.
Angeli Politiani VII. 44. 45 VI. 16. 17.
Anicię matronę I. 14
Anicię Probę I. 15.
Annę reginę Fr. XII. 2
Annæ Anglurąei de Giury VII. 49
Annę Ioyeuſęi ducis VII 46. 47. 48
Annæ Montmorancij VII. 50 51
Annę cuiuſdam IX. 2
Annæ Berguardæ IV. 2
Annæ Britannę reg. Fr. IV. 3. 4
Annęi vide Marci.
Anni morientis X. 4
Annię Agathonices I. 18
Anonymorum I. 19 20 21. 22. 23. IV. 5. V. 2. VI. 20. 21. vſque ad 27. VII. 52. 53. vſque ad 59. IX. 13. 14. 15. 16 17. 18 19.
Anſelmi Decani II. 10
Digitized by Google

Antenoris I. 25. 25
Anthei naufragi VIII. 5
Antilochi I 26
Antiſtij Ruſtici I 27
Antonię cuiuſdam IX. 17
Antonij Auguſtini Arch. Tarrac. XI. 12
Antonij Burgundi XII. 12
Antonij Briconneti VII. 61
Antonij coci IX 7
Antonij de Leone VII. 63
Antonij iuuenis IX. 22
Antonij militis IX 23
Antonij Mont. ducis VII. 65
S. Antonij Paduani V. 13
Antonij Nebriſſenſis VII 66
Antonij Panormitę VII. 67
Antonij Puccij Card VII. 69
Antonij Seueri Aquilę XI. 15
Antonios alios vide cum Marcis
Antullę puellę I. 28
Apidani piſcatoris VII. 42
Apis electo incluſæ X 5
Apolloniæ I 29
Apri leuitæ II. 10
Aquilæ iuuenis I. 30
Aquini & Fabricij I 31
Archilochi poetæ VIII. 6
Ardelionis IX. 25
Aretini IX 26
Argenteæ puellæ I 33
Ardolaphi Pinei VII. 70
Ariadnes I 33
Areſtotelis VII. 71
Ariſtomaches anus VIII. 7
Ariſtomenis VIII. 8
Armandi Richelij Card. VII. 72. XI 17
Armandi nobilis VI 30
Arminę catellę X 6
Arnaldi Oſſati Card. XI 18
Arnoldi Ternets IX. 21
Arnulfi Cornebontij IX. 27
Arnulfi Imper. XII. 13
Arnulfi Rem ep XII. 14
Arnulfi Lexouij ep II. 2

Arris

Arris iuuenis I 34
Arſacij II. 12
Artuſi canis X. 7
Aſcanij Calcagnini VI. 31
Aſtorij Quinnonis I. 35.
Aſtrologi IX. 28
Aſtyanactis pueri I. 36
Ataulfi Gothorum regis II 13
Athei IX. 29
Atiliæ Maximinæ XI. 19
Atinij Fab. I. 37
Attij Epicteti I. 38
Auarorum IX. 30. 31
Aufidi bibonis IX 33
Augonis canis X. 8.
Auguſti preſbyteri II. 14
Auguſtini Niphi VII. 70
Auguſtini Richini VI. 33.
Auguſtini Triumphi XI. 20
Auguſtini Thuani VII. 73
Aui Celtici IX. 32
Auli Egnatij I. 39
Auræ IV. 6
Aureliæ I 40
Aurelianenſis decani II 15
Aurelij Augurelli VII. 74
Aurelij infantis VII. 75
Aureoli IX. 34
Auſtrigildis reginæ XII. 15

B

Baldi Ic. VI. 34
Balduini regis V. 4
Balliſtæ latronis I 36
Balthaſaris Bardelli VII. 76
Balthaſaris Mencij VII. 77
Baptiſtæ Guarini VII. 78
Banderæ canis X 9
Baptiſtæ Stabilini IX. 35
Barbaſillæ canis X 9
Barileti IX. 36
Barnabæ Briſſonij VII. 79
Bartoli Ic. VII. 80
Baſiani Ic. V. 5
Baſilij Zanchij VII. 81
Baſſani poetæ VII. 82. 83
Baſſi pueri I. 42. 43
Beatricis XII. 18
Bedę venerabilis V. 6
S. Benedicti VI. 35
Beliſarii ducis VII. 84
Bembini catelli XI. 2

Berengarii Arch Turonenſis VII. 85
Bernardi Aureæ vallis Abbatis XI 21
S. Bernardi Cluniacenſis Abb. II. 16. IV 7
Bernardi Cluniacenſis prioris II. 17.
Bernardi Italiæ regis XII. 17
Bernardi de Vallera XI. 22
Bernardini Roſcij VII. 86
Bertrandi Rubei VII. 87
Beryti vrbis Aſiæ X. 12
Bibaculi IX. 37
Bis ſacerdotis IX. 38
Blancæ reginę XII. 18
Blaſani Nonij I 44
Blaſij Monlucij VI 36
Boetij pueri II. 18
Bombycis pag. 482.
Bonifacij Papæ II 19. 20
Borgeti canis X. 14. 15
Borſij Principis VII. 88. 89
Boryſthenis veredi X. 14
Bracæ catellæ X. 16
S. Brunonis II. 21. V. 7. VI. 37
Bucephali equi X. 17
Buphori ducis IX. 39

C

CÆdoalis Brit regis II. 22
S. Cæleſtini Papæ I. I. 23
Cælibis Felicis IV. 8
Cærellij I. 45
Cælij Calcagnini VII. 90
Cęſaris Baronij XI. 109
Cęſaris Borgię IX. 40
Cæſij I. 46
Caietæ I. 47
Caij Iocundi IX. 41
Caij Ranzonij XI. 23
Callicrateæ I. 48
Callimachi pueri VIII. 9
Callirhoës VII. 91
Calliſti iuuenis VII. 92
Camilli Aquileij I. 50
Camilli Bocaci IX. 42
Camilli pueri I. 49
Camilli Treuizani VII. 93
Campegij Cardinalis VII. 38
Canaces puellæ I. 51
Caninij I. 52

Cauſileij Zoſimi XI. 24
Canum X. 18. 19. 20
Caparionis canis X. 21
Capellæ X. 22
Carolæ Duciſſæ XII. 21
Caroli V. Imp. VII. 94. 95. 96. XI 26. XII. 23
Caroli Andegauenſis XII. 29. 30
Caroli Bembi VI. 39. XII 97
Caroli Borbonij VI. 40. IX. 43. XII 32
S. Caroli Borromæi XI 25.
Caroli Calui regis XII 24
Caroli Coſſæi briſſacii VII. 98
Caroli Craſſi Imp. XII. 25
Caroli Crequij VII. 123. XI. 20
Caroli Lotharingi Cardin. XI. 27
Caroli Martelli XII.
Caroli Morimini XI. 30
Caroli noni regis XII. 28
Caroli Neouillęi XI. 29
Caroli octaui regis Fr. XII. 27.
Caroli principis III. 2
Caroli Rupifucaldij VII 110.
Caroli Templij XI. 31
Caroli ſimplicis
Caroli poëtę VII. 99
Carolomanni XII. 20
Caſſię VIII. 2
Caſcarum fratrum I. 53
Caſmyli VIII. 10
Caſſani medici VII 101
Caſſii epiſcopi II 24
Catilię I. 54
Cati X. 23
Catonis Vticenſis VI. 41. 42
S. Catharinę VII. 102
Catharinę Anglorum reginę VII. 130.
Catharinæ puerperæ VII. 104.
Catulli I. 256
Caudolæ VII. 105
Cauſidici rabioſi IX. 44
Cerberi Ludimagiſtri IX. 45
Ceruiæ II. 25
Cerdonis IX. 46
Cetronij I. 55
Charidæ VIII. 12
Chalomi XI. 32

Chiappini IX. 47
Childeberti F Clodouei XII. 33
Chilperici regis Fr. XII. 34
Chlodoberti F. Chliperici XII 35
Chlodomeris F. Guntramni XII. 36
Chlotarii F. Guntramni XII 37
S. Chlodoaldi XII. 38
Chlodouæi primi Francorum regis XII. 39
Chriſti Ieſu D. N. VII. 106
Chriſtophori papæ VI. 43
Chriſtophori Columbi VII. 07 108
Chriſtophori Longolij VII. 109. IX. 33
Chriſtophori Plantini VII. 110. 111. XI 34
Chriſtophori Thuani III 4. VII. 112. 113. XI. 34.
Chunonis miniſtri IX. 48
Cicadæ X. 24
Cicchi ebrioſi IX 49
Ciliniæ XI. 36
Claræ puellæ IX. 50
S. Clari II. 26. 27. 28
Claudiæ I. 57
Claudiæ Gaglianæ VII. 114
Claudij cujuſdam IX. 51
Claudij Albaſpinei VII. 116. 117
Claudij Aquauiuæ S. I. G. VII. 115
Claudij Aumalæi VI. 44
Claudij Guiſij ducis XI 37
Claudij Maroti IX. 52
Claudij Puteani VII. 118
Claudij Rufini I. 56
Clementis IV. Papæ V. 8
Clementis
Clementis pueri I. 60
Cleombroti VIII. 13
Clodiæ Secundæ I. 58
Clodij Fabati I. 59
Comedonis termaximi IX. 53
Comitis cujuſdam VII. 119
Conradi Card. XI. 38
Conradi Geſneri VII. 120
Conſtantiæ reg. Caſtilliæ XII. 40
Cornelij Agrippæ IX. 55

Corneliæ Anniæ IX. 5n
Cornelij Ianſenii Gandauenſis ep VII. 121
Cornelii Kyliani IX.
Corradi Salæ IX 56
Coruinæ IX. 238
Corydonis Ic IX. 57
Cottæ poëtæ VII. 122
Craſſi IX. 58
Cratetis VII. 14
Creuſæ puellæ VII. 124
Cruciarii IX 59
Culicis X 61
Curionis annoſi IX. 60
Cynthiæ Semperuiuę VII. 125.

D

Dagoberti I. Regis Fr. XII. 41
Dagoberti F. Chilperici XII 42.
Dalmatię virginis II. 30
S. Damaſi papæ II 31
Dantis poëtæ II. 32. IV. 9
Daphnidis I. 67
Dauidis Philoſophi IX. 61.
Deiphobi I. 60
Denij IV. 10
Deliæ Damianæ
Deliæ nobilis VII. 127
Delphinis X 25
Deſiderij Eraſmi VI 47 48. VII. 132. 133. 134 IX. 63
Didaci de Valdes VI. 45
Didonis I. 69. 70
Diogeniæ II. 33
Diogenis cynici I. 71
Diomedis Tydidæ I. 72
Dionyſiadis vernæ I. 73
Dionyſi Argenterii VII 46
Dionyſij Leuitæ II. 34
Dionyſij Petauij pag. 342. ſub finem Partis VII.
Diuitis auari IX. 64
Domitii VII. 128
Domitii iuuenis I. 74
Donati Acciaioli VII. 129
Donniæ IX. 65
Drogonis Metenſis ep. XII. 43.

E.

Ealidis comitiſſæ V. 12



Digitized by Google

Ebriorum IX 66
Eduardi I. Angliæ regis V. 13
Edmondi Merillii VII. 130
Edmundi rabulæ IX. 67
Egnatii Priſcilliani II. 35
Eldertani bibonis IX. 68
Eleonoræ Brancifortiæ XI. 41
Elephantis X. 26
Ennii poëtæ I. 75
Ennomi I 76
Ennonis Embdenſis VII. 131
Eobani Heſſi III. 5. IX 69
Epicteti Philoſophi VII 15
Epiſcopi martyris V. 14
Equorum X. 27. 28
Erardi à Marca Card. II 6
Eraſini Biberii IX. 70
Erotii puellæ I. 77. 78
Errici Rudi VI. 49
Erris nani IX. 71
Etheoclis & Polynicis fratrum VIII. 16
Etruſci patris I. 79
Euerardi Ambianenſis ep. V. 15
Euerardi Muſſeltini VI 50
Eugenetis VI 51
S. Eugeniæ Martyris III. 7
Eugenii Colonii XI. 42
S. Eugenii Toletani ep. II. 8
Euphemi I. 80
Euphemiæ II. 36
Euphroſines VI. 2
Euſebii monachi VII. 135
S. Euſebii Vercellenſis ep. III. 9
Euſtachii comitis II. 37
Eutychetis aurigæ I. 81
Eutychi pueri I. 82
Exulis anonymi IX. 72
Ezelini Baſileæ præpoſiti VI. 52.

F

FAbiæ Pyrallidis I.
Fœminæ nobilis VII. 136
Faſtradę reginæ XII.
Fauſti poëtaſtri IX. 73
Federici V. Friderici.
Felicię Minnæ X 29.

Feliciani XI. 43
Felicis I. 84
Felicis infelicis VII. 137. 138
S: Felicitatis filiorum II 38
Ferdinandi ſeu Fernandi Conſalui VII. 140
Filiarum & Filiorum I. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. VII. 141. 142. 143. & alibi.
Firmini Durij III. 10
Flaccillæ IX. 74
Flauiæ Rupillæ IV 12
Flauij Antiochi I 92
Flauij Blondi VII 144. 145
Florentiæ IX. 75
Florentinæ II. 39
Florentini abbatis III. 2
Flori I 95
Flori ſenis XI. 45
Floris IX 76
Floridi IX. 77
Floridæ Foſſææ VII. 146
Fonteij ſpuriani I 94
Foreſti medici III. 12
Formicæ X. 29. & I. 482
Fortunati Pictauenſis ep. II. 40
Foxeæ Candaliæ VII. 147
Franciſcæ Sfortiæ VII. 148
Franciſci Ælij IV. 13
Franciſci I. Galliæ regis XII. 45
Franciſci Architalaſſi VII 149
Franciſci Auanſoni VI. 55
S Franciſci Aſſiſiatis VI 53. XI. 46.
Franciſci Balduini VI. 56. VII. 150
Franciſci Bencij S. I. VII 151
Franciſci Brulartij XI. 47
Franciſci Borbonij Motiſpenſerij ducis XII. 46
Franciſci Buſlidii VII. 152
Franciſci Chizolæ IX. 78
Franciſci Dauali IV 14
Franciſci Draki IX. 79
Franciſci Duareni VII. 153
Franciſci Giſleri VII. 154. IX. 80
Franciſci Guiſii ducis VII. 55

Digitized by Google

Franciſci Hiachini IX. 81
Franciſci Ioannis Ponani VII. 156
Franciſci Leſdiguerij VI. 57
Franciſci Montmorantij VII. 157
Franciſci Oliuæ IX 82
Franciſci Pepini VII. 158 159
Franciſci Petrarchæ VI. 58
Franciſci Philelphi VI. 60. 61
Franciſci Protei IX. 83
Franciſci Rabelæſii IX. 84
Franciſci Rupefucaldij Cardinalis XI. 51
Franciſci Sacrati VII. 160
B. Franciſci Saleſii ep. Geneuenſis XI. 48
Franciſci Sfortiæ VI. 59
Franciſci Toleti Card. XI. 49
Franciſci Turnonii XI. 50
S. Franciſci Xauerii S. I. VI. 54
Franciſci Ximenii Card. VII. 161
Fratris ſororiſque IX. 85
Fratrum duorum VIII. 17
Friderici II. Imp. VI. 62
Friderici Spinolæ XI. 52
Friderici Spirenſis ep. IX 86
Fulradi Abbatis XII. 47
Fuſci I. 95
Fuſci aurigæ IX. 87

G

Gabrielis Faerni VII 162
Gabrielis Treuiſani VII 163
Galeotti Card. IX. 88
Galeſii IX 89
Galiniæ Gaudentiæ XI. 53
Gallæ fœminæ IX. 90
Galli gallinacei X. 30
Galtheri Lingonenſis ep XII. 48
Gargonii I 96
Gaufridi Ambian. ep. V 16
Gaufridi Cenoman. ep. V. 17

Gazonis

Digitized by Google

Gazonis Lauduni ep. V. 18
Gemmæ Friſij IX. 91
Genoueſæ Ruxellæ XI. 54
Georgij Amboſij Card. VII 164
Georgij Critonij VII. 165
Georgij Merulæ VI. 63
Georgij Trapezuntij IX. 92.
Gerardi Blanci Card. V. 19
Gerardi de Lyra V. 60
Gerbergæ reginæ V. 20 XII. 49
Germanici Cæſaris I. 97 VII. 167
Germanorum IX. 93. 94
Gertrudis Mayeriç IX. 95
Geruntij I. 90
S. Germani Pariſienſis ep. II 41
Geroldi comitis II. 42
Glandorpij VI. 64
Glauciæ I. 99. 100
Godefridi Bullonii II. 43. XI. 55
Gontaldi Bironii VII. 168. 169
S. Gorgonii II. 44
Græciæ in ruinam actæ X. 31
Gratiæ puellæ VII. 170
S Gregorii papæ II. 46
S. Gregorii Lingon. ep. II. 45
Gregorii infantis VII. 171
Grylli ebrioſi IX. 96
Grynei piſcatoris VIII. 18
Grunnii IX. 97
Guidi poſtumi VII. 172
Guidonis Card. II. 47
Guillelmi Aruerni Pariſienſis ep. II. 49
Guillelmi Bellayi Langæi VI. 66. VII. 145
Guillelmi Budæi VI. 67. VII. 173. 174
Guillelmi de Brayo, Card. V. 21
Guillelmi Cenom. ep. V 23
Guillelmi à S. Euſtachio V. 22
Guillelmi Lindani VII. 176
Guillelmi de Mote ſorelli V. 24
Guillelmi Normanni II. 48
Guillelmi Poſtelli VI. 68

Guillelmi Sauarii IV. 15
Guillelmi Remondi VII. 177
Guillelmi Sirleti XI. 56
Guis
Guiſii equitis VI. 69
Gunei I. 101

H

Hadriani Vide Adriani
Hateriæ Teletes I. 102
Hectoris I. 103. 104. VI. 70. VIII 19
Hectoris alterius I. 105
Hecubę I. 106
Helenę in partu mortuę VII. 178
Helii hoſpitis I. 107
Heliodori Carthagin. IX. 98
Heloiſſę V. 25
Heluidii oratoris I. 108
Helpis II. 51
Henrici II. Fr. regis XII. 50
Henrici III Fr. & Polonorum regis XII. 51
Henrici IV. Francorum & Nauarræorum regis XII. 52
Henrici Ang. I. regis II. 52
Henrici de Bello pratello XII. 53
Henrici Borbonii Principis Condæi pag 338 & seqq
Henrici Montiſpenſerii XII. 54
Henrici Abingtonii IX. 99
Henrici à Gram VII. 179
Henrici Ciſtercienſis abbatis V. 26
Henrici Moguntini Arch. IX. 100
Henrici Nauarræ regis VII. 180
Henrici Memmii VII. 181. 172.
Henrici Vveni XI 58
Herbrandi Lutherani IX 101
Herculis Strozę VII. 183. 184
Hermaphroditi IX. 103
Hermolai Barbari VII. 185. 186
Herſyli IX 102
Hieronymi Aleandri VIII 87
Hieronymi Cardani VII 188

Digitized by Google

Hieronymi Fracaſtorii VII. 189
Hieronymi Guidoboni IX. 104
Hieronymi
Hieronymi Oſorii XI. 59
Hieronymi Sauanarolæ VII 190
Hieronymi Suritę VII. 191
S. Hilarii Pictauenſis ep. II. 53
Hippolytę VII. 192
Hildegardis matris & filię XII. 55. 56
Hippolytæ alterius VII 193
Hippocratis VIII. 20
Hinnuli X. 32
Hippolyti Ferrarienſis VI. 71
Hippothoi I. 109
Hoeli Cenomanenſis ep. II. 54. 55
Homeri I. 110
Homonęę IV. 16
Honorę Quinteriæ VII. 194
Honoratæ Vrſinæ VI. 72
Horatii Flacci I. 3
Hortenſiæ Agariæ VII. 195
Hoſtium IX. 105
Hrodines II. 56
Huberti Fortii IX. 106
Huldrichi Zaſii IX. 107
Hugonis abbatis V. 27
Hugonis Burgundiæ ducis XII. 58
Hugonis Lugdunenſis Arch. V. 28
Hugonis iunioris regis XII. 57
Hugonis de S. Theoderico Card. V. 29
Hugonis à S. Victore II. 57
Hyantis IX. 108
Hyellę VII 196. 197. 198
Hypatij VII. 21
Hylacis X. 33
Hypermneſtrę I. 112
Hypocritæ IX. 109

## I

IAcobi Belnenſis IX. 110
Iacobi Bugæi VII. 199
Iacobi Canani XI. 60
Iacobi Cuiacii XI. 61
VII. 202. 203
Iacobi Fabii Stapulenſis VII. 73. VII 04. 265

Iacobi Ghentii IX 3 117
Iacobi Marignoni VI. 74
Iacobi Mentebonæ Card. II 58
Iacobi Perronij XI. 62
Iacobi Sadoleti XI. 63
Iacobi V. Scotorum regis VII. 200. 201
Iacobi Siluij IX. 112
Iacobi Sirmondi pagina 341
Iacobi Triuultij VII. 206
Ianæ Hennequinæ VI 207
Iani Aniſij IX. 113
Iani Guillelmi VII. 208
Iani Iacobi Memmii VII. 209. 210
Iani Laſcaris VII. 211. 212
Iani Pannonij VII. 213 14. 215
Iarentonis S. Benigni abbatis VI. 75
Iaſonis Magni VI. 76
Ichthyophagi IX. 114
Idæ VII. 216
IESV CHRISTI XI. 64
Ignaui hominis IX. 215
Ikadij I. 113
Imperiæ Romanæ IX,
Impoſtoris I 114
Incertorum & incertarum I. 115. 116. &c II 59. VI. 77. 78. &c.
Infantium VI. 79. 80. 81
Infantis nondum nati IX. 118
Innocentii IV. Papæ V. 30
Innocentii Fontani IX. 119
Ioachimi Bellayi VII. 220
Ioachimi Chalybei IX. 120
B. Ioannæ Biturigum ducis XII. 61
Ioannæ Lauræ
Ioannæ poetriæ VIII. 22
Ioannæ Darciæ Aurelianenſis puellæ XI. 65. VII. 218. 219
Ioannæ Albertę VII. 217
Ioannæ I. Neap. reginæ XII. 60
Ioannis adoleſcentis VII. 221
Ioannis Albaſpinei ep. XI 66
Ioannis Angliæ re-

gis II. 133
Ioannis Baptiſtæ Ferrarij IX. 122
Io. Bapt Pii VII. 222
Io Bapt. Villani IX. 123 XI 67
Io Bartol Platinæ VII 243
Ioannis Beyerlinck XI. 68
Ioannis Caluini hæreſiarchæ IX. 124. 125. &c
Ioannis Barollæ VII. 223
Ioannis Bocacii VII. 224
Ioannis Brinonis VII. 225. 226
Ioannis Burgundiæ ducis XII. 64
Ioannis Dampetri IX. 125
Ioannis Campelii VI 82
Ioannis Deſpauterii IX. 126
Ioannis Dyrrachii Ducis XII. 63
Ioannis Choleti Card V. 31 32.
Ioannis Cratonis VII. 236
Ioannis Dormani Card. V. 33
Ioannis Fiſcheri Roſ. fenſis epiſcopi VII. 227
Ioannis Fitzeri IX. 127
Ioannis Foſſæ IX 128
Ioannis Gerſonis In. 60
Ioannis Galeacii VII. 237
Ioannis Hauchini IX. 14
Ioannis Hueſdeni Im. 126
Ioannis Flemingi IV. 16
Ioannis Iouiani Pontani IV. 17. VII. 216
Ioannis S. Lud. Filij XII. 12
Ioannis Miræi ep. III. 15. VII. 239. 240
Ioannis Iacobi Triuultii IX. 130
Ioannis Manardi VII. 229
Ioannis Morelli VII. 230
Ioannis Marii Catanæi VII 238
Ioannis Moreti XI 69
Ioannis Oliuarii ep.

Andegauenſis IV. 18
Ioannis Onfrai VII. 241
Ioannis Papæ XV. V. 34
Ioannis Paſſeratii VII. 231. 232 IX. 132
Ioannis Pici Mirandulani comitis VI. 83. 84. VII. 232
Io. Romerii IX. 131
Ioannis Quelini VII. 233
Ioannis Poggii VII. 228
Ioannis Pictoris VII. 242
Ioannis de Sacroboſco V. 35
Ioannis Secundi VI 85
Ioannis Stoti VII 235
Ioannis Stadii VII. 244
Ioannis Toeraſii XI 70
Ioannis Viſcheri IX. 134
Iobi VII. 245
Iocti Pictoris VII. 246
Iodoci Germani IX. 135
Iouitæ Rupicii VII. 248
Irenes II. 61. VII. 249 250
Irmingardis imperatricis XII. 66
Iſabellæ ducis VII. 248
Iſenburgis ſiue Ingeburgis reginæ Francorum XII 59
Iſabellæ reginæ Nauarræ XII. 65
Italici I. 123
Iudithæ reginæ XII. 67
Iuliȩ I. 125. & VII. 252
Iuliæ & Corneliæ III. 16
Iuliæ Procillæ I. 126
Iuliæ Secundæ I. 127
Iuliani infantis I. 124
Iulij Aquauiui VI. 86
Iulij Cæſaris I. 124. VII. 254
Iulij Cardinalis VII. 253
Iulij Pomponij VII. 255
Iuonis Carnotenſis ep. II 62. 63
Iuriſperiti VI. 78
Iuſti Lipſii III. 17. IV. 19. VI. 88. 89. 90. 91. 92. VII. 257. 258. 259
Iuſti Vulteii VII. 260
Iuuenis VIII. 23. XI. 71

Digitized by Google

## L

LAconum in Thermopylis I. 129.
Ladiſlai regis VII 261. XII 68
Læliæ I. 130
Lælii Capilupi VII. 262
Læuini Torrentii XI 73
Lanceloti Carlæi VII 263
Laodamiæ VII. 264
Larciæ Horææ I. 131
Lanfranci Arch. Cantuarienſis II. 64
Laſciuiæ vernæ I. 132
Latini comœdi I 133
Latini Vecciæ VII 265
Latinarum I 134 135
Latinitatis putidi affect. IX. 136
Latronis Balliſtæ I 136
Laudaniæ
Laudiciæ XI. 74.
Lauræ Comicæ VII. 270
Lauræ Naſiæ 266. &c
Laurentij Sculptoris VI 93
Laurentii Toſcani VI. 94
Laurentii Vallæ VI. 95. IX. 137
Lazari Baifii VI. 96
Lazari Bonamici VII. 271
Lentuli ducis IX 138
Leonardi Aretini IX. 139
Leonis Alberti VII. 272
Leonis IX. Papę VI. 97
Leonis X. Papę VI. 98
Leonis Strozzæ VII. 274
Leucadii XI. 75
Leſbiæ I. 137. 138 IX. 140
Leuciæ puellæ VII 274
Liberalis martyris II. 65
Liberii Papæ II 66
Lilii Gyraldi VII. 275
Liciniæ I. 139
Licinij Liberti I. 140
Locarini IX. 141
Locuſtæ X 34
Lotharij Imper. XII. 69
Lotharij regis Francorum XII 70
Louati VI 99
Lucæ Gaurici VII. 276
Lucani I. 141

Lucceij I. 142
Luciæ Martiæ VII 277
Luciæ Phœbes VI 100
Lucij & Flauij I 143
Lucij III. Papæ II 67.
Lucij Tabellarii IX. 142
Lucij Tabellarii IX. 142.
Lucilij I. 144
Lucij Bembi VII. 278
Lucilij Pontani VII. 279
Luciolæ I. 144
Lucilij Pontani VII
Luciolæ I. 144
Lucinæ VI. 101
Lucretiæ Caracciolæ XI 76
Lucretiæ infantis VII. 280
Ludouicæ ſiue Aloyſiæ matris Franciſci I. regis Fr. XII 71
Ludouici Pij Imper & Franc. Regis XII. 72
Ludouici II Imperatoris XII. 73
Ludouici III. filij Arnulfi Imperatoris XII. 74
Ludouici Groſſi Franc regis XII. 75
Ludouici VII. Franc. regis XII. 76
Ludouici filij S. Ludouici XII. 83
Ludouici XIII. Francorum & Nauarræorum regis XII. 82
Ludouici Arioſti VII. 281. 282
Ludouici Aurelianenſis ducis IV 20. XII. 84
Ludouici Bloſij VII 283 284
Ludouici Hungariæ regis VII. 286
Ludouici Lucenæ XI. 77
Ludouici Pinieri IX. 143
Ludouici Rhodigini VII 285
Ludouici Viuis VI. 102 IX. 144
Lycoridis puellæ VII. 287
Lydæ I 146
Lydiæ canis X. 35
Lydij infantis I. 147

M

Macardi & Mæonis potatorum IX. 145 146
Mæonis venatoris IX. 147

Maſſæorum

Maſſæorum gemellorum VII 288
Magdalenæ reginæ Scotiæ VII. 289
Magdalenæ Monauiæ IX. 148
Magni Ennodij Felicis II. 68
Magnorum ducum I. 1[illegible]8
Malateſtæ Carboneſij VII. 290
Manlię Dædalæ II. 69
Manlij Marulli VII. 291
Manuelis Chryſolorę XI 78
Marranę XI. 79
S. Marcellinæ II. 70
Marci Annæi Lucani I. 16. 141
Marci Annæi Senecæ I. 17
Marci Antonij Antimachi VII 60
Marci Ant. Caſanouæ VII. 62
Marci Ant Coccij VI. 28. IX 20
Marci Antonij Delrio VII. 64
Marci Antonij Gourgæi VI. 13
Marci Ant. Majoragij IX. 14
Marci Ant. Muteti VII. 292. XI. 15
Marci Ant. Turriani VI. 29
Marci Grybliæ VII. 293
Marci Tullij Ciceronis IX. 149
Marentij Muſici VII. 294
Margaritæ reginæ Sicil. XII. 85
Margaritæ reginæ Nauarræ XII. &c.
Mariæ monialis II. 71
Mariæ Brabantiæ Ducis XII. 87
Mariæ Ceſarię VII. 296
Mariæ Gorñææ VII. 295 XI. 80
Mariæ Pullanæ VII. 297
Mariæ Siciliæ reginæ XII. 88
Marię cum filiola VII. 298. IX. 150
Marię Tarenti Principis XII. 89
Marinæ II. 72
S. Marij XI. 81
Marij Molſę VI. 10[illegible]
Mariolenæ X. 36
Mariti & vxoris VII.



Digitized by Google

299.300
Marronis auari IX. 151
Marſilij Ficini VI. 104 105. VII. 302
Martini Cruſtij IX. 152
Martini coqui IX. 154
Martini Dorpij VII. 301. VII. 181
Martini Lutheri hæreſiarchæ IX. 153 &c.
Martini Loys V. 61
Martini Nauarri XI 83
Matronę multinubæ IX. 155
Matronę nobilis I. 149
Matthæi Vveſembecij VII. 303
Matthię regis Hungarorum VI. 106
Maturę I 150
Mauricij Hylareti IV. 21
Mauri grammatici IX. 156
Mauricij Pariſ. ep. II. 73
Maximi iuuenis VIII. 25
Maximi Olybrij I. 151. 152
Maximiliani II. Imp. VI. 187
SS. Medardi & Gildardi epp. Fratrum VII. 304
Medici cuiuſdam VI. 108. IX. 157
Meiæ I. 153
Meliſſę Virginis II. 74
Melchioris Porthini VII. 305
Mellini Sangelaſij VII. 306
Melliſæ matronæ II. 75
Mendici IX. 158
Menippi Cynici I. 154
Mercatoris I. 155
Metrophanis I. 156
Michaëlis Arnidei IX. 159
Michaëlis Angelij VI. 109. 110
Michaëlis Halleri VII 307
Michaëlis Marulli VII 308
Michaëlis Verini VI. 3. VII. 309
Michaëlis Violæi III 18 19 20 21. VI. 112. 113 114. XI. 84
Miellæ IX. 160
Militis ruſtici IX. 161
Militum I. 157
Miltiadis I. 158
Monſtri bicipitis IX. 162

Digitized by Google

Montani Ducis VII. 310
Montani medici VII. 311.
Mordacis cruciarij IX. 163
Morini infantuli IX. 164
Morionis IX. 165
Mulieris ignotæ VII. 312
Mulierum ebrioſarum VIII. 26
Multorum vna ſepultorum VII. 313. IX. 166
Muſici VII. 312

N.

NÆuij I. 159
Napi IX. 168
Narciſſi I. 160. 161. IX 169
Naufragi & ruſtici VIII. 28
Naufragorum I. 162
Nazarij II. 76
Natalis abbatis V. 36
Neæræ VII 315
Necri IX. 170
Neruæ IX. 171
Neſtoris I. 163
Nicolai Bezæ VII. 316. 317
Nicolai Borbonij VII. 318
Nicolai Cauſſini S. I. vide pag. 340.
Nicolai de Clamengiis VI. 115
Nicolai Euantij patria III 22
Nicolai Fabri XI. 86
Nicolai Panormitæ VI. 116
Nicolai Papæ V. VII. 319
Nicolai Pærchet III. 24
Nicolai Peireſcij III 23. XI 85
Nicolai Pratenſis Card. V. 37
Nicolai Rapini IX. 171
Nicolai Sudorij VI. 117
Nicolai Trecenſis ep. V. 38
Ninniæ I. 164
Niobes I. 165. 166. 167 IX. 172
Nobilis equi X. 39
Nymphij I. 168

O

OCtauiani Auguſti I. 169
Octauij I. 170



Digitized by Google

Odiliæ VII. 320
Odetti Lautreci XI. 87
Odonis pueri II. 77
Oneſimi I. 171
Oppiæ I. 172
Orontij Finei VII. 321
Othonis Imperatoris I. 173
Oſij II. 8
Ouidij Naſonis poetę I. 174. 175

P

Pacis ſepultæ IV. 22
Pacuuij I. 176
Pæti I. 177
Panopei venatoris VIII 29
Pantagathi I. 178
Paridis
Papyrij Maſſoni Ic XI. 88
Paſſeris X 40. 41. & pag. 482
Paullę Taurillæ XI 89
S. Paulæ II. 103
Parui anonymi IX 178
Parci anonymi IX. 179
Paulinæ I 181. 182
Pauli Barbi VII. 322
Pauli Honorati IX 180. 181
Pauli Iouij VI 121
Pauli IIII. Papæ VII. 323
Pauli Manutij VII. 325
Pauli Tarchaniotæ VII. 326
Pedanæ I. 183
Perdicis X 41. 42
Peregrini IX. 182
Periolæ VIII. 30
Perinelli VI. 122
Peruſinæ mulieris VII. 327
Perini Sculptoris IX. 183
Perini pictoris IX. 184
Procuratoris IX. 198
Proditoris IX 199
Projectæ II 87
Ptolemæi VIII. 35
Pullinij I. 216. 217
Puellæ bimulæ VII. 363
Puerorum I. 218. 219. 220. 221. 222. VII. 365. &c.
Pueri nobilis IX. 220
Pueri quinquennis VII 364
Pulicis X. 47
Puppij poëtæ I. 223
Pyrrhi Neoptolemi I. 224. IX 201
Pyrrhi Strozæ VII 366

Digitized by Google

Q

Quatuor Virginum VII. 367
Quinterij VII 368

R

Rabi apoſtatæ IX. 203
Radulfi II Vermandorum com. XII 100
Raginaldi Comitis III. 27
Radulfi generalis VII. 369
Radulfi Atrebatenſis ep. V. 49
Raphaelis pict. VI. 139 VII 370. XI 100
Raynaldi lugd. Arch II. 88
Raynaldi Dyrrachini XII.101
Ranconis Aruernorum Epiſcopi V. 50
Reginaldi II. 89
Reginaldi Clerici V 51
Regnoberti Bajocenſis ep V. 52
Remi I. 225
Relegatorum in Corſicam IX. 203
Remigij Bellaij III. 28 VII. 372
Renati Biragæ VI. 140. 141. VII. 373 374
Reyneri Gemmæ VII. 371
Renati Choppini VII. 375
Renati Gentilis IX 205
Renati Moreau medici pag 559
Renati de Pria Card. XI 101
Richelij V. 142 Vide Armandi.
Rimini poratoris IX. 22
Ricardi de S. Victore II. 90
Ricardi de Mariſco V. 53
Robertij Pij Franc. regis XII. 102
Roberti Carmicrucij IX 206
Roberti Drocenſis Comitis XII. 103. &c.
Roberti Gaguini VII. 376. 377
Roberti Mironis pag. 557
Roberti Neap. regis VI. 143
Roberti Sanſeuerinatis VII. 378

Rodolfi Agricolæ VII. 379
Rogerij Bellouacenſis epiſcopi II. 91
Romæ Veteris X. 48. &c.
Roſæ puellæ IX. 207
Roſamundæ IX 208
Roſciæ IX. 209
Ruardi Tapperi XI. 102
Rubriæ I. 226
Ruelli VII. 380
Rufi I 227
Rufi Virginii I. 228
Ruſſelli abbatis IX. 210
Ruſticæ II. 92
Ruſtinæ IV. 23

S

SAbbæ Caſtilionæi XI. 103
Sabis I. 230
Sabiniani papæ VI. 144
Salonini I. 231
Saluidienæ XI. 104
Saonis Acanthi VIII. 36
Saphiri catelli X. 49
Sardanapali I. 232
Sargij potatoris IX. 10
Sarpedonis I. 233
Saturninæ I. 234
S. Satyri II. 102
Saxonis grammatici II. 93
Scipionis Africani I. 235 236 VII. 381
Scipionis iunioris I. 237
Scorpi aurigæ I 238
Scurruliæ temulenti IX 212
Sebaſtiani Motenſis IX. 213
Sebaſtiani Munſteri IX. 105
Seberti regis Anglorum IX. 214
Senarij I. 239
Senatoris iuuenis IX. 215
Senis cælibis IX. 217
Senis pauperculi IX. 216
Senis & iuuenis IX. 218
Senum I. 240
S. Sepulchri V. 54
Sepulti in templo VII. 382
Selimi Turcarum imp. VI 145
Sergij paraſiti IX. 219
Seruiliæ Chryſes I. 241
Seueri filij I. 242
Sidonii Apollinaris Aruernorum epiſcopi II. 104

Siſſini præſbyri II. 95
Sigfridi IV. 46
Simonettæ Veſpuciæ VI. 83
Siluiæ IV. 24
Simonis Agennenſis epiſcopi II. 94
Simonis Briani VII. 384
Simonis Fontani VII. 385
Simonis Marquemontij Card. Arch. Lugdun. XI 106
Simonis Piſtorij VII. 386
Simonis Verepæi VII. 387
Solymanni Turcarum Imperatoris IX. 220
Sophoclis tragœdi VII. 37
Sorani militis I. 243
Sororum trium VII. 388
Staniſlai Hoſij Card. XI. 106
Staniſlai Cracouienſis V. 55
Stephani Columnæ VII 389
Stephani Cardinalis ep. V. 56
Stephani Durantij VII. 390
Stephani Pleurræi VII. 391
Storacis prefecti IX. 221
Sturni X. 50
Succeſſi I. 244
Sulpitiæ IX. 108
Sulpitij I. 245. 246
Sympheruſæ I. 247

T

Tarquitiæ I. 248
Tauruſij Cardinalis XI. 109
Teclæ I. 249
Telephi I. 250
Terentiæ VI. 147
Terentij I. 251
S Tereſię XI. 110
Tadæi Zucheri VII. 392. 393
Thaidis IX. 224
Theodori Bezæ IX. 225
Themiſtoclis VII. 38
Theodoræ II. 96
Theodori Gazæ VI. 148. VII. 394. 395. 396
Theodori poëtæ VII. 39
Theonoræ Burſinæ

VII. 367
Theridis VIII. 40
S. Thomæ Aquinatis VI. 149. VII. 398
Thomæ Mori IV. 25. VII. 399. 400
Thracis pueri I. 252
Tigrini preſbyteri II. 97
Timocreontis Rhodij VIII. 41
Timocriti VIII. 42
Timonis miſanthropi VIII. 43. IX. 222
Timoleontis Coſſæi VII. 401
Tineæ X. 58
Tiſſoni auari IX. 225
Titæ catellæ X 51
Titi Claudij Eugenetis VIII. 45
Titi Liuij VIII 402
Titi Veſpaſiani Imperatoris I. 260. 261.
Triſtani IX. 226
Trium ſimul ſepultorum IV. 150
Troiæ X. 59
Troili I. 253
Tullij Ciceronis I. 254
Tutilij Rufini I. 255

V

Valentinæ Ducis Aurelian. XII 84
Valentis canis X. 52
Vernarum I 258. 159
Veſpaſiani & Titi Imperatorum I. 260
Veturiæ I. 262
Vgolini V. 57
Vibiæ I. 263
Vidi Medici VI. 152 153
Vicilini Dani ep IX. 22
Viglij Zuichemi Ic. IX. 228
Victoriæ natis X. 53
Violæ catellæ X. 54
Violantidis IV. 26
Violi IX. 229
Violinæ IX. 130
Vinuli potatoris IX. 234
Virgilij Maronis I. 264 265. 266. 267. VI. 154 155.
Viri & vxoris VI. 156. IX. 231
Viperæ electro incluſæ X. 55
Vitalis mimi IX. 232
Viti canis X. 56
Vituli & Aſellæ IX. 233
Viuentis & amantis IX. 234



Digitized by Google

Vlpij Phædimi XI. iii
Vlyxis I. 268. VIII. 44
Vmmiciæ I. 269
Volantis canis X. 57
Vrbani II. Papæ II. 98. 99
Vrbani IV. Papæ V. 58
Vrbani VI. Papæ V. 59
Vrbici I. 257
Vrſi Togati IX. 236
Vvalcheri de Benhem V. 62
Vvidonis Comitis XI. 112
Vide Guidonis.
Vvillelmi nothi Norm. Ducis & regis Anglorum II. 100
Vvillelmi Rufi eius filij & in regno ſucceſſoris II. 101
Vide Guillelmi.
Vvolfangi Ducis IX. 237
Vvolfangi Guinſtenij XI 115
Vxoris rixoſæ IX. 238. ſunt & alia plura vxorum Vide conjugis, mariti, viri &c.

X

Xanthippes I. 270

Z

Zoes VI. 157



Digitized by Google

# INDEX COPIOSISSIMVS POETARVM GRÆCORVM AC LATINORVM, ALIORVMQVE SCRIPTORVM VETERIS MEDIÆ AC RECENTIORIS ÆTATIS.

Ex quibus hic Epitaphiorum Theſaurus multorum annorum ſpatio collectus fuit.

*Romanus character Partem, Arabicus Partis numerum deſignat.*

## A


Achilles Bochius VII. 214

Actius Syncerus Sannazarius VI. 14. 42. VII 105. 122. 143. 261. 315. 365

Adam de ſancto Victore II. 3

Adrianus vide Hadrianus.

Æneas Siluius, ſiue Pius II. VII 119

Agathias VIII 17. 22. 29. 30 IX. 3. X 43. 59

Agobardus XII 23


Digitized by Google

Alcuinus Albinus Flaccus II. 6
Aldus Manutius I. 33. XI. 19
Alexandri Petauij ſen. Par Bibliotheca II. 45 XII. 37 41
Alexander Tennecurius XII. 22
Aloyſius Iuglaris S. I. XI 70
Alfonſus Ciacconius V. 19
Ambroſius Camaldulenſis VIII. 32
Ambroſius Morales III. 6. 19
Andreas Fruſius S. I. IX. 63. 124. 153. 192. X. 48
Andreas Alciatus VII 237. VIII. 38. XI. 75
Andreas Naugerius X. 8. 15. 33
Andreas Quercetanus ſiue Ducheſnius III. 21. XII. 15. 36. 37. 41
Angelus Colotius VII. 212
Annibal Cinceius VII. 162
Anonymi, ſiue incerti atque innominati poetæ atque ſcriptores ſingulis pene paginis occurrunt.
Angelus Politianus VI. 94. VII. 18. 128. 129. 217. 246. 369. 394. IX. 172.
Anthologia Græca ſeu Florilegium Græcorum Epigrammatum à Maximo Planude collectum VIII. fere integra parte quam conſule.
Antipater VII. 5. 8. 26. 27. 32. 33. 35
Antiphilus VIII. 52
Antonius Auberius II. 58 82. V. 19. 49
Atonius Boſius II. 5. 18. 22. III. 25. VI. 144. XI. 71
Antonius Goueanus VII. 223
Antonius Gueuara VII. 141
Antonius Panormita VII. 67. 402. IX. 70 154
Antonius Oiſellius VII 203 XI. 65.
Antonius Tibaldeus VII. 172. 193. 308.

312. X. 18. 51
Antonius Vacca VII. 342
Antonius Viſdomiuus IX. 22
Aonius Palearius X. 15
Argentarius VIII. 7
Artemiſius libertus I. 83
Auguſtinus Beatianus VI. 126
Aulus Gellius I. 159. 176. 191
Aulus Pacuuius I. 176
Aulus Tibullus I. 8
Auſonius ſiue Decius Magnus Auſ. I 4. 5. 14. 26. 36. 41. 48. 68 70. 71. 72. 76. 80. 101. 104. 106. 109 163. 165. 173. 192. 193. 208. 215. 224. 233. 23. 261 268. X. 45. 48

B

Baldricus Burguliensis abbas & Archiep. Dolenſis II. 54. 55. 77. 94. 98. 100. 101. V. 24. 27. 36. 51
Balduinus Cabillauus.
S. I. IV. 19. VII. 1
Balthaſar Mencius VII. 77
Bandinus Gualfreduccius S. I. VII. 136. 294. 363
Barnabas Briſſonius II. 63. VII. 13
Bartolomœus Facius IX. 137
Baſilius Zanchius VII. 3. 41
Beda Venerabilis II. 46
Bernardus Baldinus IV. 74
Bernardus Bembus Petripater V. ii.
Bernardinus Scardeonius IX 56
Bloſius Palladius IX. 117
Bianor VIII 16
Bonauentura Vulcanius VIII 12 36. 40. 43

C

Cælius Calcagninus VI. 71 VII 285. 286. IV. 10
Cęſar Capaccius III. 29
Cæſar Caracciolus III. 29

Digitized by Google

G. Villedanneus VI 113
Cæſar Ducchus VII. 252
Cæſar Baronius Cardinalis II. 22. 66. III. 2 13. 25. VI 43
Caius Valerius Catullus I. 156
Callimachus VIII. 12. 13 36 40. 43.
Carolus Magnus Francorum rex II 50
Carolus Marillacus VII 150
Carolus Sauſſeius IX. 229
Caſpar ſeu Gaſpar Barthius I 62
Chilpericus Rex Francorum II. 41
Chriſtophorus Aulæus IX. 124
Chriſtophorus Brouuetus S. I. II. 6. XII. 44
Claudius Binetus VII. 35 X 48
Claudius Eſpencæus VII 12
Claudius Pratus IX. 3. 25 84. X 20
Claudius Robertus V. 23. XII. 24
Claudius Roilletus VII. 220
Claudius Roſſelletus VII. 149
Claudius Verderius IX ii. 152
Conſtantinus Pulchachelius S. I. VII. 345
Cornelius Amaltheus VII. 248
Couruaiſonnetus IV 15
Cynthius Gyraldus IV. 2. VII 76. 126. 129. X. 7

D

S. DAmaſius Papa II. 31. 44. 61. 87
Daniel Heinſius VIII. 3 8. 38. IX. 118. X. 42
Dantes Aligherius V. 10
Dauid Chytræus VII. 26
Deſiderius Eraſmus VII 301. 320. IX. 212
Dioſcorides VIII. 26
Dominicus Baudius VII 169 IX 171
Domitius Marſus I. 7
Domitius Palladius



Digitized by Google

VII. 358
Donatus Grammaticus I 156
Dungalus diaconus II. 102.

E

EGinhartus XII. 23
Ennius vetus poëta I. 75. 235. 236
Ennodius Ticinenſis ep. II. 2. 30. 36. 74. 75. 92
Elias Vinetus VIII. 45
Erycius VIII. 37
Erycius Puteanus XI 31
S. Eugenius Toletanus ep. III. 8
Euphorbus Scholaſticus I 254
Euſebius poëta I. 1.

F

S. FAronis vita V. 1
Fauſtus Andrelinus. VII. 376. 377
Fauſtus Sabæus VII. 69. 322. 324. 381
Flexienſes lacrymæ XII. 52
Fortunius Licetus IX. 3
Franciſcus Antonius Riuerius X. 32
Franciſcus Barberinus Card XI. 85
Franciſcus Bencius S I. VII. 27. 54. 86. 178 X. 48
Franciſcus Camœnus X. 9
Franciſcus Columna auctor Poliphili IX. 54
Franciſcus Franchinus VII. 274
Franciſcus Garaſſus S. I. X. 47
Franciſcus Guiccardinus IX 26
Franciſcus Iuretus III. 26. XI. 171
Franciſcus Remondus S I. VII. 177. XII. 52
Franciſcus Panigarola VI 52
Franciſcus Pithœus XI. 93
Franciſcus Quercetanus V. 52
Franciſcus Petrarcha IX 162
Franciſcus Raguellus VII. 203
Franciſcus Rupifucaldius Card. XII. 39

Digitized by Google

Franciſcus Thorius Bellio III. 1
Franciſcus Squillus IX. 3. 144
Franciſcus Suuertius II. 47. IV. 16. V. 57. 60 61. 62. VI. 2. 27. 29. 64. 105. VII 26. 66. 281. 364. 388. IX. 3. 13. 56. 92. 124. 130. 153. 233. X 49. 49. XI. 31
Franciſcus Vayerius Motheus XI. 80
Fuluius Vrſinus I. 269.

G

Gabriel Faërnus VII. 24
Gaſpar ſeu Caſpar Geuartius IX 3
Gaſpar Barthius Vide Caſpar.
Georgius Brugenſis X. 48
Georgius Bucananus VII. 98. 204. 205. 336. IX 112. 119. 206
Geneſis liber cap. 5. VI. 3. 4
Georgius Burgenſis X. 48
Gerbertus Monachus tum Silueſter II. Papa V. 20
Gregorius Martinus VII. 227
Gregorius Tifernas VII 322
Guido Patinus XI. ſub finem pag 557
Guillelmus Crittonus VII. 165. 166. IX. 171
Guillelmus Gazetus V. 49
Guillelmus Modicius VII. 81. 249. 217.
Guillelmus Paradinus XI. 44.

H

Hadrianus Morius VII. 132
Hadrianus Scotellius IX. 195
Hadrianus Turnebus XII 50
Henricus Fabricius IX. 48
Henricus Smetius IV. 16
Henricus Stephanus VII. 112
Hercules Strozza VI.

84. VII 91. 193. 180. IX. 116. X. 6. 14

Hermolaus Barbarus VII. 379

Hieremias Drexelius S. I. XI. 2

S. Hieronymus II. 103

Hieronymus Aleander iunior VII. 78. X. 3

Hieronymus Amalthæus VI. 101. VII. 34. IX. 33. X. 44

Hieronymus Balbus VI 61. VII. 70

Hieronymus Cardanus VII. 188

Hieronymus Faletus VI. 31. 118

Hieronymus Fracaſtorius VII. 32

Hieronymus Vulpius VII. 206

Hilaſius Scholaſticus I. 266

Hildebertus Cenomanenſis epiſcopus VII 81. 85 & pagina 178 ac ſequentibus.

Hippolytus Capilupus VII. 95 108. 254 325. IX. 66. XII. 50

Homerus I. 6. IX. 169

Honoratus Bouche III. 23

Hubertus Morus VIII. 14.

I

IAcobus Auguſtus Thuanus VII. 203

Iacobus Bidermannus S. I. vii. 8. IX. 203

Iacobus Breullius O. B. II 73. VI. 115

Iacobus Buccardus XI. 85

Iacobus Chalbertus III. 18

Iacobus Graſſus III. 10

Iacobus Gutherius VII 203. IX. 171. XI 65

Iacobus Rogerius IX. 169.

Iacobus Herlomius IV. 22

Iacobus Sirmondus I. 210. 225. II. 14 66. 79. 104 III. 8. XI. 22. 55. 98.

Ianus Antonius Baiſſius VI. 96. X. 48

Ianus Cornarius VIII. 20

Ianus Gruterus idem qui & Ranutius Gherus in Theſauro inſcriptionum antiquarum,

rum & in Monumentis Chriſtianis I. 12. 18. 19. 30. ac fere ſingulis paginis huius I. ac II. præſertim partis, necnon VII. 208. IX. 1. &c.
Ianus Douza VII. 110.
Ianus Guillelmius VII. 113
Ianus Lernutius IX 74
Ianus ſiue Ioannes Paſſeratius VII. 7. 47. 49. 79. 116. 117. 155. 281 182. 207. 209. 210. 231. 232. 234. IX. 132. XII. 32
Ianus Vulteius IX. 23.
Ianus Vitalis VI. 67. VII. 17. 25. 66 134. 146. 147. 187. 235. 272. 344. 399. IX. 188. X. 48
Ignatius Albanus IV. 27. 28. VII. 31. 102. IX 180
Inſcriptiones antiquæ à Mazochio, Apiano, Smetio, Lipſio Grutero, Pithœo, Sirmondo, alijſque eruditiſſimis viris editæ paſſim occurrunt in omnibus fere huius Theſauri Epitaphiorum partibus.
Incerti quoque ſcriptores Epitaphiorum ſingulis ferme ejuſdem Theſauri paginis reperiuntur vt jam ſupra monuimus in Anonymis.
Ioachimus Bellaius VII 127. 225. 273. 306. 366. IX. 84. X. 48. XII. 50
Ioachimus Camerarius VIII. 13
Ioannes Audoenus ſiue Ouenus IX. 29. 63. 79 165. 200
Ioannes Auratus VII 51 113 X. 16
Ioannes Antonius Flaminius X 30
Ioannes Bpptiſta Amalthæus VII. 35. 124. IX. 24. 146. 147. X. 44.
Ioonnes Baptiſta Brunus VI. 10.
Ioannes Baptiſta Guarinus VII. 3
Ioannes Baptiſta Poſſeuinus IX. 55
Ioannes Barbocallus X. 12
Ioannes Chenutius VII

203
Ioannes Cotta VII. 368. X. 21
Ioannes Franciſcus Apoſtolius VII. 33. 267
Ioannes Franciſcus Quintianus Stoa VII. 200. 201. 340 XII. ij
Ioannes Giraldus IX. 58. 179. 215. 38
Ioannes Heroardus XI. 95
Ioannes Henricus Auberius S I. III. 30. 31. 32. 33. VII. 318. XII. 52
Ioannes Iacobus Chiffletius XII. 22
Ioannes Iouianus Pontanus IV. 13. 26 VII 8. 22. 74. 138. 156. 255. 277. 279. 395 IX 45. 71 90. 108. 158. 161 207 269 230 238 X 5
Ioannes Latomus IX. 20
Ioannes Lauterbachius IX 233
Ioannes Ludouicus Viues. Vide Ludouicus
Ioannes Mathæus Toſcanus VI. 96. 115. VII. 106. 392. 393. IX. 7. 117. X. 10
Ioannes Mercerius Ic. VII. 202
Ioannes Piazzo VII. 40
Ioannes Pincierius IX. 143
Ioannes Rauiſius Textor IX. 15
Ioannes Ruxellius VII. 158. 241 297. IX 54. 164
Ioannes Sauaro II 104
Ioannes Secundus VII. 132. 287. IX 142.
Ioannes Stephanus Ferrerius III. 9
Ioannes Sleidanus VII. 9. 42
Ioannes Thomas Moſconius VII. 361
Ioannes Vouuerius XI. 1.
Ioannes Turrius IX. 3.
Ioſephus Scarlige VIII 7 26 31 32. 33. X. 41. XI 3
S. Iſidorus Hiſpalenſis ep. in originum libris I. iiij.
Iulianus poëta Ægypti præf. VII. 6. 23

Digitized by Google

Iulius Cæſar Scaliger VII. 20. 71. 189. 256 276. IX. 156 X. 2.
Iulius Capilupus VII. 28. IX. 216
Iulius Crottus VII. 192
Iulius Roſcius VII. 292
Iuſtus Lipſius IV. 10. VII. 257. X. 49

L

Laurentius Bochellus VII. 357
Laurentius Valla VIII. 24
Lazarus Bonamicus X. 48
Leodegarius à Quercu IV. 14. VII. 296
Leonidas VIII. 15. 26. 34. X. 24. 34
Lilius Giraldus VII. 80 90
Lucillius VIII. 25
Lucianus VIII 9
Lucius Anneus Seneca IX. 205
Lucius Ducatius IX. 222
Lucius Veguius IX. 209
Ludouicus Aurelius VII 375. XI. 65.
Ludouicus Balſacus X. I 9
Ludouicus Bigus Pictoriorius VI ij 35
Ludouicus Cælius Rhodiginus IV. 14
Ludouicus Ferrarolus VII 245
Ludouicus Martellus III. 10. 28
Ludouicus ſeu Ioannes Ludouicus Viues VI. 155. XI. 82

M

Marcus Annæus Lucanus I. 141 205
Marcus Antonius Caſanoua VII. 360
Marcus Antonius Dominicyus XI. 22
Marcus Antonius Flaminius VII. 4. 42. 70 196. 197. 198. X. 22
Marcus Antonius Muretus VII. 370 IX. 177
Marcus Michaël Angelus IX. 3
Marcus Terentius Varro I. 110. 140, 154
Marcus Tullius Cicero.

I. 6. 75. 129. VII. 24
Marcus Valerius Martialis I. 9. 27. 28. 31. 51. 77. 78. 79. 82. 95 99. 100. 135. 150. 178 179. 187 219. 227. 231. 238. 242. 259. IX 140. X. 5. 29. 35. 55.
Matthæus Vveſembecius VII. 293
Maximianus poëta I. 103.
Marius Molſa VII. 211 356
Martinus Azagria VII. 191
Martinus Marier VI. 68
Matthias Caſimirus Sarbieuius S. I. IX. 234
Maximilianus à Vignacuria VII. 230
Maximilianus Vrientius III. 17. IV. 1. VI. 90. 91. 121. 176. IX. 91. 128
Mazzochius Vide Iacobus in prætermiſſis.
M. Monerius IX. 145. XI. 16. 24
Mecœnas Cilnius I iij.
Michaël Aytſingerus I VI. iij.
Michaël Hallerus VII. 307
Michaël Siluius X. 48
Michaël Tarchaniota Marullus IV. 9. ij. VI 59. 86. 100. 142. 148 167. VII. 21 232. 270 291. 326. 346. 383. IX. 28

N

Nathan Chytræus VII. 281. IX. 15.
Neuius poëta I. 159.
Nicolaus Archius VI. 29
Nicolaus Barnaudus IX. 3
Nicolaus de Clamengis IX. 88
Nicolaus Bergerius XI. 65
Nicolaus Borbonius Senior VII. 109. IX. 131
Nicolaus Borbonius iunior IX. 171
Nicolaus Faber VII. 382. XI 86
N. Moreletus VII. 100.
Nicolaus Oudardus III. 17
Nicolaus Rapinus VII. 46. 118. IX 171

Digitized by Google

Nicolaus Rigaltius XI. 65. 85 94
Nicolaus Sicrius IX. 72

O

O. De Billy II. 21
Opmerus. Vide Petrus.

P

PAganinus XII 27
Pamphilus Saxus VII. 82
Papyrius Maſſonus VI. 56. 73
Paſchaſius Ratbertus XI. 4
S. Paulinus ep Nolanus II. 26. 27. 28
Paulus Longobardus diaconus Aquileienſis XII. 2. 3
Paulus Merula I. 75
Paulus Thomas Engoliſimenſis VI. 41. VII. 43. 146. 147 269. IX. 174. 185. X. 1. XII. 51
Pentadius poëta I. 2. 103 160. 161. 267
Petrus Andreas Canonherius IX. 17. 19. 59. 64 94. 100. 105. 106. 124. 153. 155 157. 173
Petrus Angelius VII. 264. XII. 50
Petrus Apianus XI. 45
Petrus Bembus VI 39. VII 15. 44. 184. 278. 341. X. ij.
Petrus Bizarrus IV. 14. VII 93
Petrus Burgius VI. 133
Petrus Calloüet S. I. XI 51
Petrus Fernandus VI. 114
P Lætus XII. 46
Petrus Labbé S I. XI. 28 29
Petrus Lamonius VII. 113
Petrus Manlius VI 144
Petrus Marionus I. 210
Petrus Melinus VII. 195
Petrus Myrteus VI 15. VII. 66. 80. 246. 331. 354
Petrus Opmerus III 2
Petrus Pictauienſis Monachus II. 4
Petrus Pithæus in erudita collectione veterum epigrammatum atque poëmatum I. 1. 10 13.

15. 16. 17. 20. 30. & ſingulis pene paginis vſque 332. XI. 60 61 93
Petrus Ronſardus XII. 28
Petrus Sautel X 62
Petrus Mauricius Venerabilis dictus, abbas Cluniacenſis II. 17. 37. 80 81. 88
Philippus Auenelius VII. 246 331
Philippus Beroaldus VII 290. 378 X 27
Philippus Beraldus V. 1 27
Philippus Labbe S. I. III. 3. 15. tum pag. 135. V. 49. VI. 53. VII. ſub finem à pagina 338 ad 342
Philippus Bonæ ſpei abbas O. P. II. 9. 15. 16 43. 48. 52. 62. 64 83. 99. V 40. X. 48
Pierius Valerianus Bellunenſis IV. 17. VII. 396
Plato poëta VIII. 28
Plautus I. 191
Pontus Tyardæus Biſſius VI 132
Proſper Spiritus VII. 243
Ptolomæus Lucenſis O. P. II. 67
Proſper Stellartius O. A VII. 239. 240.
P Fuluius VII. 180. 321. IX. 52. 170
Publius Ouidius Naſo. I. 47. 69. 112. 175. 186. 190
Publius Virgilius Maro I. 67. 136 170. 252. 264. X. 61
Pul x poëta vetus IX. 103
Pyrrhus Ligorius IX. 102

Q

Qvintianus Stoa IV. 3. 4.
Quintianus Septimius Florens Chriſtianus VII. 203. VIII. 1. 7. 17. 21 22. 23. 25. 29. 33. 34. 37. 38. 39. X. 12. 24. 34. 43.

R

Rabanus Maurus Arch. Moguntinus II. 6

Digitized by Google

Ranutius Gherus, ſiue Ianus Gruterus de quo ſupra VI. 126. VII. 267. 326. IX. 117. 180
Raphaël Fornerius VI. 112
Raphaël Placentinus VI. 82. IX. 39
Raphaël Maphæus Volaterranus VIII. 41
Richardus Vitus IX. 3
Robertus Gaguinus VII 369
Robertus Stephanus III 4. VII 1;3 374
Rolandus Betel. IX. 131

S

SCæuola Sammarthanus VII. 92. 153. 310 IX 171
Salomon Frencelius IX 196
Sextus Aurelius Propertius I. 66. 214
Sidonius Sollius Apollinaris ap Aruernorum II. 1
Simon Grynæus VI. 52 IX 148 XI. 105
Simon Majolus V. 53
Simon Vvallambertus IX 224
Simonides I. 1 9. VIII. 10. 24 41.
Smetius XI. iij.
Soter VIII 10
Statyllius VIII 18
Stephanus Doletus IX. 31
Stephanus Iodellus VII ij.
Stephanus Paſchaſius VI. 133. VII 55. 173. 219. 343. 359. IX. 3. 46. 63. 103. 168. 169 176. X 25. 47. 231
Stephanus Toubeau Bituricus ſub finem partis XI. pag. 559

T

TArquinius Gallutius S . VII 115
Theodorus Beza hæreticus VII. 173. 175. 2 3 316 317. IX. 2. 69. 110. 143 205. X. 8
Theodulfus Aurelianenſis ep II. 5 . XII. 44
Theſebia VIII. 1
Thomas Fargeus VI. 119
Thomas Morus VIII.

17. 20 38. 43. IX. 99
Thomas Porcatius VII. 106
Titus Veſpaſianus Stroza VII. 88. 350. IX. 3. 45. X. 17. 57
Tryphon Bencius X. 48

V

VEnantius Fortunatus Ep. Pictauienſis II. 45. XII. 35 42
S. Victoris Pariſienſis regale cœnobium II. 3. 49. 57. 89. 90. V. 41 IX. 187
Vincentius Guiniſius S. I. X. 4
Vincentius Opſopœus VIII. 1. 4. 6. 9. 18. 35
Villamontius V. 4
Vitalis Scholaſticus I. 265
Vrſinus Durandus VII. 218
Vrſinus Velius VIII. 8. 9. ij. 27
Vvalafridus Strabo Augienſis abbas II. 42
Zacharias Pontinus IX. 3

*Prætermiſſi ſunt ſuis locis inſerendi*

Franciſcus Amboëſius VII. 61. 236. 266. 338. 401
Iacobus Bidermanus S. I. VII. 84
Georgius Gualtherus XI 41. 99
Iacobus Mazochius XI. 16. 24
Ioannes Iacobus Muſconius IX. 12. 78. 141 226. An idem cum Ioanne Thoma Moſconio de quo ſupra ſuo loco?
Luſcinius VIII. 9 36
Mere lus XI. 16

*Sunt & quidam alij fortean præteriti quos curioſius Epitaphiorum lector ſupplere per otium non reſpuet.*

SAPIENS PROFERT DE THESAVRO SVO NOVA ET VETERA.
*Matth.* 12. & 13.

Digitized by Google

vetus Inscriptio Narbone
exhibet Jos. Scaliger. ad
Catullum p. 8.

Ælia Restit[illegible]
[illegible]

Idem Jos. Scaliger ad Catullu p. 10. [illegible] sequens [illegible]

[illegible]

Quod meri occidimus [illegible] nere [illegible]

Urbem sub leges [illegible] habeas, nunc [illegible]
[illegible] ne nulla est Zenitis [illegible] 61.

Flores Illustrium Epitaphiorum praeclarissimarum totius Europae civitatum Petro Canonherio autore. Antverpiae 1613. 8o. — Vincenzo Coronelli bibl. universal. T. VII. col. m. 1075.

Hieronymi Blanco Inscriptiones ad Regum Aragonum veterumque Comitum effigies depictas in aula Caesaraugustanensi. Caesaraug. 1587. fol. — Coronelli l. c. T. VI. col. m. 253.

Felix Boschetti presb. secularis, omnes Inscriptiones et marmora Epitaphiorum Cremonae sparsorum in unum volumen collegit. Coronelli nella Bibl. universal. Tom. VI. col. m. 919.

Marci Zuerij Boxhornij Monumenta Illustrium virorum et Elogia. Amstelod. 1638. fol.

Digitized by Google

1500.-
Nov. 84

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Digitized by Google

Digitized by Google